GEORG. FRIDR. SCHOEMANNI

OPUSCULA ACADEMICA.

VOLUMEN I.

HISTORICA ET ANTIQUARIA.

BEROLINI
IN LIBRARIA WEIDMANNIANA
MDCCCLVI.

GEORG. FRID. SCHOEMANNI

OPUSCULA ACADEMICA.

VOLUMEN I.

HISTORICA ET ANTIQUARIA.

BEROLINI

IN LIBRARIA WEIDMANNIANA

MDCCCLVI.

6-9

UNIVERSITATI LITTERARIAE

GRYPHISWALDENSI

SAECULARIA QUARTA

D. XVII. M. OCT. H. A. MDCCCLVI

CELEBRANTI

D.

G. F. SCHOEMANN

UNIV. OLIM ALUMNUS H. A. RECTOR.

PRAEFATIO.

Quae hoc volumine continentur opuscula, licet omnia iam prius edita, pleraque tamen pro ineditis haberi possunt, quandoquidem scriptiones huiusmodi academicae, quum multis, quorum nihil referat, promiscue distribuantur, ad alios, quorum plus intersit, raro pervenire solent. Sic meas quoque interdum a viris doctis, qui eas cognoscere cuperent, frustra quaesitas esse comperi, ideoque hac editione iterum publicandas putavi. Accedebat quod nonnullos, qui unam aut alteram earum usurparunt, aliter quam vellem iis usos esse videbam. Fuit adeo nuper, qui sententiam quandam mihi attribueret prorsus a me alienam, eam autem, quam ego non semel neque obscure proposueram, tanquam suam mihi opponeret. Alii quum a me dissentirent, profiteri dissensum satis habuerunt, argumenta autem et rationes, quibus usus essem, examinare ac refellere omiserunt, quamobrem, ut diiudicari tamen ab intelligentibus posset, ab utra parte veriora dicerentur, providendum erat, ne cognoscendarum disputationum mearum facultas cuiquam deesset. Neque enim is sum, qui in omnibus me veritatem assequutum esse opiner; at certe ab omni cupiditate et temeritate coniectandi, qua multos hodie transversos agi video, longissime vel natura vel moribus me remotum esse scio, eamque semper in disputando viam tenere studui, quam a viro sobrio et unius veritatis studioso teneri oporteret. Atque hinc etiam factum est nonnunquam, ut alios,

si quos deserere hanc viam iudicarem, acrius fortasse quam opus erat impugnarem et, si qui impatientiores essent, etiam laedere viderer. Sed haec atque alia quaedam in his opusculis olim scripta, quae, si hoc tempore scriberem, aliter facturus essem, curiose nunc retractare nec licebat aliis curis districto, neque operae pretium fore videbatur. Igitur perpaucis tantum locis aut emendationem adhibui aut annotationem uncinis distinctam apposui. Coniunxi autem hoc volumine ea solum opuscula, quae ad historiam et antiquitates pertinent, ad quod genus rerum, olim studiosius tractatum, mox aliis posthabitum, nuper demum revocatus sum. Proximo volumine complectar quae de mythologia Graecorum et de theogonia Hesiodea scripta sunt, tertio volumine miscellanea quaedam grammatica, critica et exegetica.

Scrib. Gryphiswaldiae mense Octob. ann. MDCCCLVI.

INDEX OPUSCULORUM.

DE ABORIGINIBUS.

Quum multa sint in antiquorum temporum historia propter ipsam 2
vetustatem monumentorumque aut defectum aut paucitatem et incertitudinem obscurissima, tum nihil fere densioribus tenebris involutum esse solet, quam stirpes populorum ultimaeque origines, civitatumque ortus et principia, in quas res ut quisque diligentissime et sollertissime inquisiverit, ita planissime certam cognitionis lucem plerumque ne sperari quidem posse intelliget. Sed inest tamen aliquid in ipsa illa obscuritate, quo ad quaerendi et coniectandi periculum plurimorum animi stimulentur et alliciantur, quum quo quisque maiore veri cognoscendi studio incensus est, tanto aegrius tam multa nesciri ferat, ac multi etiam nimia quadam ingenii et doctrinae fiducia plus a se quam a prioribus ad dispellendas illas tenebras effici posse facile sibi persuadeant. Et sane si quis huiusmodi conatus, quales a plurimis omni tempore suscepti sunt, paullo accuratius examinet, nihil facilius esse perspiciet quam novas de rebus vetustate obscuratis comminisci coniecturas, easque probabili quadam argumentationis et testimoniorum specie exornare, ut famam aliquam ingenii et fidem commentis suis apud vulgum inveniant, quamquam brevem illam plerumque et caducam, quippe cui celerem mox interitum aliarum coniecturarum non minus scilicet ingeniose inventarum et exornatarum novitas afferat, donec paucis post annis eadem pariter omnes oblivione obruantur.

Haec nobis, commilitones, et alias saepenumero, et nuper maxime in mentem venerunt, quum in explicandis Romanorum antiquitatibus de populi Latini originibus dicendum esset. De his enim et de fabulosis illis qui perhibentur Aboriginibus tam multa et olim et nostra

memoria in diversissimas partes ab Italis maxime et a nostratibus disputata sunt, ut si quis horum omnium disputationibus utendum sibi statuat ad rem melius perspiciendam, magis obrutum se discrepantium opinionum multitudine quam sublevatum in quaerendo sentiat, fructumque vix alium percipiat nisi hunc, ut nihil de illis rebus aut sciri aut sciri posse cognoscat. Quamobrem nos quidem hanc quaestionem non eo tetigimus, quo sententiam aut novam ipsi propo-
3 neremus, aut — quandoquidem novi vix quidquam amplius excogitari posse videtur — e veteribus aliquam nostro calculo comprobaremus et contra dissentientium obiectiones defendere conaremur; sed ut persolveremus auditoribus nostris quod debere quodammodo videbamur. Meministis enim, qui antiquitatum Romanarum hoc semestri auditores fuistis, Niebuhrii, viri summi et nunquam sine laude nominandi, subtilissimam de Aboriginibus disputationem a nobis improbatam esse propterea, quod et a communi antiquitatis traditione recederet, et in refutando Dionysio, qui unus omnium accuratissime de Aboriginibus exposuit, paullo durius et iniustius ageret. Huius igitur iudicii nostri rationem, quum in scholis satis explicare nec possemus nec vellemus, nunc paullo accuratius exponere decrevimus.

Iam primum satis constat antiquissimis temporibus quum alias multas Italiae partes, tum eam imprimis regionem, in qua postea Roma et Latium fuerunt, a Siculorum gente habitatam fuisse. Hanc gentem Niebuhrius [1]) Pelasgicae stirpis fuisse credit, ideoque a veteribus scriptoribus pro Siculis etiam Argivos dici, quo nomine Pelasgos significari putat, quemadmodum Argos quoque nonnunquam Pelasgia dicatur: atque hinc factum esse ut Tibur et Falerii, Siculorum urbes, etiam Argivorum coloniae dicerentur. — Scilicet de Tibure, Argivorum colonia, auctorem habemus Solinum, qui cap. 2: *Tibur*, inquit, *sicut Cato facit testimonium, a Catillo Arcade, praefecto classis Euandri, sicut Sextius, ab Argiva iuventute. Catillus enim Amphiarai filius post prodigialem patris apud Thebas interitum Oiclei avi iussu cum omni foetu ver sacrum missus tres liberos in Italia procreavit, Tiburtem, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido veteribus Sicanis* (h. e. Siculis)[2]) *a nomine fratris natu maximi urbem vocaverunt.* De Faleriis autem Ovidius Amor. III, 13, 31 auctor est Halesum, unum ex Atrei posteris,

1) Histor. Rom. tom. I. p. 52. ed. 3. (p. 48. ed. 2. cum addend. p. 12.).
2) Vid. infr. not. 11.

Agamemnone interfecto patriam reliquisse, Falerios in Italia condidisse atque Iunonis sacra ad Argivorum exemplum instituisse. Apparet igitur Argivos hosce colonos partim paullo ante partim post Troiam eversam e Graecia in Italiam appulisse creditos; Siculi autem a nemine, quod sciam, e Graecia repetiti, sed inde ab ultima aetate Italiam incoluisse crediti sunt, ex quo manifestum fit, illos certe, quos dixi, scriptores in ea fuisse sententia, ut Siculos ab Argivis diversos fuisse crederent, quemadmodum etiam Sextius apud Solinum Sicanos, qui non alii sunt ac Siculi, ab Argivis adveuis Tibure expulsos facit. At enim, dirat aliquis, istas quidem de Catillo et Haleso fabulas nemo non intelligit posterioribus demum temporibus a poetis aut originum compositoribus fictas esse, nihilque aliud ex eis concludi debere, quam fuisse aliquam Tiburtinorum et Faliscorum cum Argivis cognationem non dubiam, quam qui agnoscerent neque tamen qualis et unde orta esset intelligerent, eius explicandae causa ad fabulas illas confugerunt. — 4
Potest sane hoc ita esse; neque tamen sufficit ad Siculorum quoque rum Argivis cognationem probandam, quandoquidem satis constat non solos olim Siculos neque perpetuo illas regiones tenuisse, sed eiectos fuisse ab aliis. Quamobrem quid est, cur ad Siculos potius quam ad Siculorum successores illam cum Argivis cognationem sive similitudinem stirpis pertinere dicamus? Apparet, opinor, aliis et validioribus argumentis rem indigere: quae autem porro a Niebuhrio afferuntur, haec fere sunt [3]). Primos Latii incolas Aborigines vocari; eosdem autem a Catone et C. Sempronio dictos esse Achaeos, multis ante bellum Troianum aetatibus e Peloponneso advectos [4]), nec dubitari posse quin illo Aboriginum nomine non alios hi scriptores appellaverint, quam Siculos. Cur autem hoc dubitari non possit, demonstrare supersedit, nisi huc pertinet quod p. 91 dicit, non potuisse a Catone scribi id quod eum scripsisse Priscianus [5]) testatur, agrum quem Volsci habuerunt campestrem plerum (h. e. plerumque) Aboriginum fuisse, nisi Aborigines eosdem atque Siculos statuisset. Atqui huius quoque iudicii rationem desideramus: nam ut concedamus campestrem Latii partem, quae postea Volscorum fuit, olim a Siculis possessam esse, quidni statuere Cato potuerit eandem expulsis Siculis Aborigines etiam

3) L. l. et p. 90 (79).
4) Dionys. A. R. I, 11. cf. c. 13.
5) Lib. V, c. 12. §. 65. tom. I. p. 208. Krehl.

ante Volscos possedisse? Ceterum de Siculis quid Cato et Sempronius narraverint adeo nescimus, ut ne hoc quidem constet, num quidquam de eis dixerint: certe in omnibus utriusque scriptoris fragmentis quotquot servata sunt Siculorum nomen frustra quaeras [6]). Quodsi non plane eos silentio praetermiserunt, id quod fortasse minus credibile videri possit, licebit tamen suspicari, nihil de eis dictum esse, quod a Varronis aliorumque sententia, quam Dionysius ut maxime probabilem amplexus est, magno opere abhorreret. Cur enim Dionysius, qui in hac praesertim operis parte aliorum sententias, etiam quas non probat, diligenter referre solet, eius scriptoris, quem maximi faciebat, Catonis placita ne verbo quidem commemorasset? An quia dissentiebat? Ego quidem, si recte Dionysium novi, tanto magis eum diversam Catonis sententiam commemoraturum fuisse credo, ut dissensus sui rationem copiose, quemadmodum facere solet, et accurate explicaret. Sed ut statuamus, id quod paullo ante minus credibile videri diximus, Siculos a Catone plane non appellatos esse, numquid est causae, cur Aborigines Catoni eosdem quos aliis Siculos fuisse credamus? Nimirum, inquit, Aborigines omnium primi Latium incoluerunt; incoluerunt autem primi Latium Siculi: consequitur ergo eosdem esse Aborigines et Siculos. Atqui nullo modo constat Aborigines propterea ap-
5 pellatos esse, quia omnium primi et ab origine Latium incoluerint: sed quia in parte quadam Italiae, et propinqua quidem Latio, tanquam *αὐτόχθονες* fuisse credebantur, quum ceteri illius regionis incolae aliunde immigrasse viderentur. Ita certe Varronem hoc nomen accepisse apparet, qui eos ex agro Reatino in Latium venisse statuit [7]). Alii contra quum ne hos quidem, qui Aborigines Italiae et indigenae crediti erant, vere indigenas esse putarent, nomen illud, quod non convenire nisi indigenis viderent, falso et per errorem eis inditum statuerunt, quum initio vel Aberrigines, ab errando, vel *Ἀποϱειγενεῖς*, a montibus, appellati fuissent. Atque ipsum Catonem Aborigines non ab origine Italiae incolas credidisse apparet ex eo, quod eos ex Achaia advectos esse statuit. Quodsi non vacuam eos et inhabitatam antea terram occupasse credidit [8]), necesse est alios quospiam ante Aborigi-

6) Vid. Aug. Krausii vitt. et fragmm. vett. hist. Rom. Berol. 1833. p. 98—125 et 179—182.

7) Dionys. I. c. 14.

8) Hoc ita esse colligat aliquis e verbis Servii ad Vergil. Aen. I, 10: *Cato in originibus dicit hoc, cuius auctoritatem Sallustius imitatur in bello Catilinae:*

nes in Latio habitasse statuerit. Atque hi sunt qui Siculi a plerisque perhibentur: cuius autem stirpis et nationis fuerint maxima est et veterum et recentiorum scriptorum dissensio. Alii Ligures crediderunt, ut Philistus et Silius Italicus [9]), alii Ausones, ut Hellanicus [10]), alii non diversos a Sicanis [11]), quos quidem rursus fuerunt qui ab Iberis repeterent [12]). Plura commemorare nihil attinet, quandoquidem nihil est quod istam dissensionem certa aliqua ratione dirimere possit. Sed qui Pelasgicae stirpis Siculos crediderit e veteribus unum invenio Pausaniam [13]), e recentioribus Niebuhrium et Odofredum Muellerum [14]), quorum sententia ut vera sit — et fateor mihi veram videri: sed non hoc nunc agimus, — illud tamen certe manifestum est, nulla plane ratione vel Catoni, vel alii cuiquam Romano scriptori hanc sententiam tribui posse, ut Siculos pro Pelasgis habuerit aut eosdem atque Aborigines fuisse crediderit. Simul autem hoc quoque apparet quam temere Varro 6
eumque sequutus Dionysius reprehendantur propterea, quod Aboriginum nomen eis indiderint, qui ex Apennino monte et agro Reatino profecti pristinos Latii incolas h. e. Siculos vel subegerint vel expulerint. Scilicet omnis haec reprehensio primum eo nititur, quod Aborigines Niebuhrio non diversi a Siculis videntur: deinde quod eos, a quibus hi vel pulsi vel subacti sint, diversae stirpis et cum Pelasgis nullo modo cognatos fuisse statuit. Ex his alterum illud quam contra

---

Primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines: hos postea adventu Aeneae Phrygibus iunctos Latinos uno nomine nuncupatos. — Nolim tamen istius scriptoris auctoritati nimis cito fidem haberi.

9) Philistus ap. Dionys. I, 22. Sil. Ital. XIV. v. 37. — E recentioribus hanc sententiam rationibus haud contemnendis tueri conatus est G. F. Grotefendius in Seebodii Tabulario philol. et paedag. ann. 1829. n. 32. p. 126.

10) Dionys. I, 22. Cf. Constantin. de themat. lib. II. in themate Siciliae.

11) Servius ad Vergil. Aen. VIII, 328. Cf. Heyn. Excurs. II. tom. 3. p. 284 ed. Wagn. Add. Sextium ap. Solin. cap. 2. A. G. Schlegel in Annal. Heidelb. 1816. p. 862.

12) Vid. Cluver. Sicil. antiqu. I, 2. in Graev. thes. antiqu. Sic. vol. 1. p. 31.

13) Attic. cap. 28. §. 3. Addendus videri possit Antiochus apud Dionys. I, 12: sed hic non tam cognatos Siculos Oenotris et Morgetibus, Pelasgicae stirpis populis, quam admistos credidisse videtur. Ait enim *ὡς Σικελὸς ἐπιξενωθεὶς Μόργητι ἰδίαν πράττων ἀρχὴν διέστησε τὸ ἔθνος*: fuitque ei Siculus *ἀνὴρ ἐκ Ῥώμης φυγάς* (Dion. I, 73.) h. e. ex ea regione, in qua postea Roma fuit. Nam Romam iam tum conditam fuisse vix arbitror Antiochum credidisse, et si credidit nullius momenti est.

14) De Etruscis tom. I, p. 15.

omnem antiquitatis fidem sumptum sit et supra iam vidimus, et infra etiam magis patefiet: victores autem Siculorum eos, qui Varroni Aborigines sunt, cuiusnam stirpis Varro crediderit non apparet: Dionysius autem eos Pelasgorum cognatos facit, in quo se plurimorum auctoritatem sequi profitetur [15]). Id Niebuhrius verum esse negat propterea, quia sibi persuasit, populum Latinum, ex Reatinis victoribus victisque Siculis enatum, duarum haud dubie diversarum stirpium in unum conflatarum signa manifesta prae se ferre, alterius Pelasgicae, alterius barbarae, et quidem, ut ipsi placet, Oscae s. Auruncae [16]). Iam quum Siculos Pelasgos crederet, facere non potuit quin victores Siculorum barbaros fuisse statueret. At vero primum hoc ipsum nequaquam videtur pro certo affirmari posse, Latinum populum ex duabus stirpibus diversis coaluisse, quandoquidem quae huius rei argumenta a viris quibusdam doctis ex linguae Latinae conditione repetita sunt, haec nihil ad istam sententiam valere ab aliis quibusdam viris non minus eruditis et in linguarum cognitione et comparatione non mediocriter versatis pronuntiatum est. Quamobrem etiamsi concederemus Siculos Pelasgos fuisse, non tamen propterea consequeretur, Siculorum victores barbaros et stirpis diversae fuisse. Dein ut hoc quoque largiamur, videri linguam Latinam duarum diversarum linguarum vestigia retinere, alterius Graecae s. Pelasgicae, alterius barbarae, nihil tamen propterea opus fuit alteram linguae Latinae partem a Siculis alteram a Reatinis repetere. Etenim hos ipsos qui olim in agro Reatino, deinde victis Siculis in Latio habitarunt, per longum tempus et in pristinis suis sedibus et postea in Latio cum Sabinis bella gessisse accepimus: eaque ipsa bella praecipue in causa fuisse dicuntur, ut sedibus suis relictis in Siculorum agros descenderent. Per haec igitur bella fieri non potuit, quin aliqua Sabinorum semper instantium pars eis admisceretur, quemadmodum ipsum populum Romanum e Latinis et Sa-

---

15) I. c. 11: *οἱ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγὼν καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος καὶ ἄλλοι συχνοὶ Ἕλληνας αὐτοὺς εἶναί λέγουσι.* c. 13: *εἰ τῷ ὄντι Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὸ τῶν Ἀβοριγίνων, ὡς Κάτωνι καὶ πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται.* Quod ab Oenotris eos deducendos putat, ipsius coniectura est, cui quantum tribuendum sit quaerere supervacaneum est.

16) Eiusdem stirpis, Ausones scil., etiam ante Niebuhrium alii eos fuisse crediderunt, velut Heynius ad Guthr. et Gray, tom. IV. p. 74 et Excurs. IV. ad Aeneid. VII. tom. 3. p. 146. ed. Wagn.

binis coaluisse constat. Quidni igitur, si quid vere est in lingua Latina barbari, hoc a Sabinis repetatur? [17]) Ceterum de bellis Sabinorum cum Aboriginibus Reatinis etiam Catonem scripsisse Dionysius refert, et ita refert, ut ipsum Catonem illos qui circa Reate incoluerunt, indeque a Sabinis pulsi Siculos ipsi repulerunt, itidem ut Varronem Aborigines dixisse significet [18]). Id Niebuhrius fieri a Catone nullo modo potuisse contendit: scilicet qui a Sabinis pulsi rursus ipsi Siculos expulerunt, hos alios atque Siculos fuisse: quod quum Siculi Catoni Aborigines essent, ex Niebuhrii quidem sententia, non potuisse eos quoque, a quibus Siculi pulsi sunt, eodem Aboriginum nomine a Catone appellari. Maluit igitur Niebuhrius Dionysium reprehendere, ut qui Catonis narrationem non recte retulisset, quam suae coniecturae diffidere et Catonem de Aboriginibus aliter statuisse confiteri, quam ipsi antea visum erat. Utrum autem horum veri similius videri debeat, lectoribus diiudicandum relinquo. Quid? quod ipse Niebuhrius parum sibi constat in Aboriginum nomine Siculis vindicando. Nam cum Saufeius ap. Serv. Fuld. ad Verg. Aen. I, 10 Cascos vocatos esse dicat quos posteri Aborigines nominaverint, Cascorum ille nomen non Siculis, quos et ipse Aborigines vocat et a Catone vocatos esse contendit, sed Reatinis illis tribuit, in quos quum ipse illud nomen errore tantum Varronis et Dionysii translatum esse statuisset, aut Saufeium quoque eiusdem erroris arguere, aut Cascorum nomen Siculis, non Reatinis, tribuere debebat. — Ceterum Dionysio non illud solum obiicitur, quod Aborigines a Siculis male distinxerit, cuius quidem erroris ducem Varronem habeat, et quod Catonis narrationem perperam referendo corruperit, sed hoc quoque quod Varronis de Aboriginibus narrationi aliena e Graecis scriptoribus Hellanico et Myrsilo petita temere admiscuerit easque turbas fecerit, ex quibus ipse se expedire non posset. Hoc igitur crimen quale sit nunc videbimus. Dionysii narrationis summa haec est: Principio Aborigines inhabitasse eam Italiae regionem quae est ad radices Apennini montis circa oppidum Reate (I, 14. 15.). Ibi ex altera parte Sabinos habuerunt, a quibus bello

17) Est haec Muelleri sententia, de Etruscis I. p. 41. sqq., quam vera, nihil nunc curo, sed tamen altera illa Niebuhriana nullo modo deterior.

18) Lib. II, cap. 49: *πρώτην δ' αὐτῶν [τῶν Σαβίνων] οἴκησιν ἀποφαίνει [ὁ Κάτων] γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην, ἐξ ἧς ὁρμηθέντας ποτὲ τοὺς Σαβίνους εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν Ἀβοριγίνων ἅμα* (Sylb. coni. *αὐτοῦ*) *κατοικούντων.*

victi veterem suam metropolin Listam amiserunt, (c. 15) ex altera parte Siculos, cum quibus felicia bella gesserunt et plura deinceps loca eis eripuerunt. Et primum quidem ἱερά τις ἐξελθοῦσα νεότης, h. e. ver sacrum, Siculos repressit facilioremque reliquis victoriam fecit (c. 16.). Dein Pelasgi oraculi Dodonaei monitu e Graecia profecti easdem regio-
8 nes occupare coeperunt, receptique in Aboriginum societatem strenue et feliciter cum eis contra Siculos bellarunt (c. 17—21), donec tandem Siculi his locis et mox etiam universa Italia pulsi in insulam, quae ab ipsorum postea nomine dicta est, plerique transiecerunt (c. 22.). Huius narrationis ea pars, quae est de Aboriginum cum Sabinis et cum Siculis bellis dubitari non potest quin e Varrone potissimum, quem ipse Dionysius de priscis Aboriginum sedibus auctorem laudat, atque ex Catone hausta sit, quem de Aboriginum certaminibus cum Sabinis scripsisse alibi testatur. Ex Hellanico earum rerum, quae a nobis modo relatae sunt, nihil plane sumpsisse videtur: neque enim commemorat eum nisi post finem narrationis, ubi Siculorum in Siciliam migrationem ab Hellanico in tertia ante bellum Troianum aetate collocari dicit. A Myrsilo autem quid sumpserit ipse satis accurate indicat c. 23. Quae enim hic de Tyrrhenorum ex Italia in Graeciam migratione narraverat, quam ob causam et quo modo accidisset, haec Dionysius in Pelasgos suos transtulit, quos eosdem cum Myrsili Tyrrhenis esse sibi persuaserat. De adventu autem Pelasgorum et de societate cum Aboriginibus quem auctorem sequutus sit, non commemorat. Sed sive haec ipse commentus sit, sive apud Varronem, sive apud Graecum quempiam scriptorem invenerit, nihil facit ad rem. Nam quamvis temere Pelasgos Aboriginibus socios e Graecia accitos et falso cum Tyrrhenis permutatos concedamus, nihil tamen hoc valere potest ad elevandam illam narrationis partem, quae est de Aboriginum a Siculis diversitate deque eorum bellis contra Sabinos et contra Siculos gestis. Nam haec quidem omnia bene inter se cohaerent, et si quid turbatum est Pelasgis admistis, hoc quidem eiusmodi est, ut facile explicari possit neque summae rei intellectum impediat.

Ad defendendum Dionysium satis nobis dixisse videmur: addituri etiam aliquid eramus de Cascorum et Priscorum appellationibus, quarum alteram dudum Italus quidam Stanislaus Bardetti in libro *dei primi abitatori d'Italia* Mutinae edito ann. 1769 ac nuper etiam Niebuhrius, alteram autem hic primus Aboriginibus tanquam propriam

h. e. κύριον ὄνομα, non ἐπίθετον, vindicare conatus est: sed non vacat nunc hanc telam pertexere, quamobrem integram quaestionem in aliud tempus commodius servare malumus. Nunc autem Vos nobis, commilitones, monendi estis, ut emenso hoc aestivo studiorum vestrorum curriculo feriarum tempora ne in rebus inutilibus et frivolis aut etiam pravis damnosisque et damnandis, sed in honesta et innoxia animi et corporis recreatione consumatis, ac dein refectis viribus ad hibernas scholas tempestive et alacriter revertamini. Valete.

Scrib. in academia Gryphiswaldensi a. d. III. Calend. Sept. MDCCCXXXIV.

DE CASCIS ET PRISCIS.

3 In prooemio lectionum hibernarum anni MDCCCXXXIV, quum Varronis et Dionysii sententiam de gente Aboriginum sine idonea causa a Niebuhrio reprehensam esse demonstraremus, etiam illud nobis non probari significavimus, quod huic genti, quam veteres scriptores vel Aborigines vel etiam Sacranos[1]) dixerunt, Niebuhrius Cascorum et Priscorum nomina tanquam propria asserere conatus est, quibus ipsi se olim appellaverint, non a posteris demum propter vetustatem appellati sint. Hanc summi viri opinionem cur improbemus, quoniam illo tempore propter spatii angustias dicere non licuit, nunc vobis, commilitones, quemadmodum et tunc quum ista scriberemus, et nuper etiam in tradendis antiquitatibus Romanis polliciti sumus, paucis exponere placuit: neque enim res est eiusmodi, quae longam disputationem postulet. — Ac primum de Cascis non plane nova est Niebuhrii sententia. Nam ut alios taceam, de quibus minus constat[2]), ante hos

---

1) Festus h. v. *Sacrani appellati sunt Reate orti, qui ex Septimontio Ligures Siculosque exegerunt: nam vere sacro nati erant.* Pertinet hoc ad eam narrationem, quam Dionysius habet I c. 16 de Aboriginibus circa Reate oppidum incolentibus, quorum ἱερά τις ἐξελθοῦσα νεότης Siculos repulerit. Et Siculos ab Aboriginibus pulsos etiam Servius narrat ad Aen. VIII, 328, ut hic quoque auctor sit eiusdem de diversitate Siculorum et Aboriginum sententiae, propter quam Niebuhrius Varronem et Dionysium tam vehementer vituperavit.

2) E. c. Pontanus ad Flor. I c. 11, §. 1 haec adnotavit: „Latium, hodie *campagna di Roma*, quasi territorium Romanum dicas: incolae *Latini* dicuntur, etiam *Prisci* nominati, teste Dionys. et Festo. Nam priusquam Roma conderetur, fuerunt. Dicti etiam *Casci*, ut putat Scaliger ad Varronem.“ Videri possit Pontanus Cascorum nomen proprium putasse: quamquam Scaliger certe ad Varron. tom. II p. 188 Bip. nihil habet nisi haec: „*Cascos* autem *Latinos* interpretor eos, qui ante

octo et sexaginta annos Italum scriptorem, Stanislaum Bardetti, qui librum *dei primi abitatori d'Italia* anno MDCCLXIX Mutinae edidit, in eadem opinione fuisse, ut Aborigines proprie Cascos appellatos esse crederet, Ludovicus Bossi testatur, *della istoria d'Italia antica e moderna* (Milan. 1819) vol. 1 p. 95: quamquam quibus ille argumentis usus sit, quum ipsius librum videre non contigerit, dicere non possum [3]). Niebuhrius autem unius nos scriptoris non sane nobilis testi- 4
monio non satis diserto fidem habere iubet contra communem, quantum quidem constat, reliquorum omnium persuasionem, qui *cascos* non alio sensu dictos autumant, quam ut *veteres* significarentur. Scriptor ille Saufeius est, cuius verba e Servio Fuldensi ad Aen. 1, 10 a Niebuhrio H. R. 1 not. 218 ed. 2 (n. 247 ed. 3) afferuntur haecce: *qui — Cassei (Casci) vocati sunt, quos posteri Aborigines nominaverunt.* Non satis disertum hoc testimonium esse cuilibet apparet: nam quum nihil aliud insit in Saufeii verbis, quam, qui a posteris Aborigines, eosdem olim Cascos vocatos esse, non video quo iure sumatur Saufeio non solum vetustius hoc sed etiam proprium gentis nomen visum esse. Et si maxime ita huic visum sit, quis tandem est iste Saufeius, et unde tanta eius doctrina, ut solus scilicet compertum habuerit, quod reliqui omnes ignorarunt. Nemo est enim, qui non *cascum* adiectivum esse crediderit eiusdem significationis cuius sunt *vetus* et *senex*, quemadmodum in nostro quoque adiectivo *alt* utraque significatio inest [4]). Unum nunc testem producere satis est, M. Terentium Varronem, omnium suae aetatis Romanorum multiplici lectione et doctrina sine controversia principem, qui quanto opere a Niebuhrii sententia abhorreat, vel hinc manifestum est, quod quum de vocabuli

---

Romam conditam in colonias deducti sunt a Latino Silvio Albanorum rege, quae a Romanis postea *Priscae* dictae sunt. Auctores Livius et Festus. In Dionysio legitur *Λατῖνοι οἱ καλούμενοι Πρίσκοι.*"

3) Adscribam igitur quae Bossius refert l. l.: *Accorda (il Bardetti) che fossero (gli Aborigini) tra gli Itali primi, sebbene de' primi tempi non fosse il nome loro, e piu anticamente forse si dicessero Caschi.* Ipse quid sentiat dicit p. 305: *Questo vocabolo di primi,* (loquitur autem de priscis Latinis) *usato anche da Virgilio, da Ennio viene espresso colla parola Casci, che certamente non ha altro significato; e da questo appunto trasse il Bardetti l'errore, pel quale si indusse a credere, che gli Aborigini da prima si nominassero Caschi.*

4) Apud Latinos quid intersit inter *vetus* et *senex* subtiliter, ut solet, exposuit Doederlinus, Synonym. IV p. 89 sqq.

istius origine et significatione disputet [5]), eumque ipsum Ennii versum afferat, quem Niebuhrius Saufeii verbis tanquam in subsidium adiunxit,

Quam prisci casci populi tenuere Latini —

nomen gentis proprium in hoc adeo non agnoscit, ut pro argumento ponat, quo demonstretur *cascum* adiectivum esse et *vetus* significare. Quod quum addat originem vocabuli Sabinam esse, vereor ne temerarium sit Varroni fidem non habere, homini ipsi e Sabinis oriundo linguaeque et rerum Sabinarum haud dubie peritissimo [6]). Itaque si hunc, ut debemus, auctorem sequimur, simul etiam illud fortasse rectius intelligemus, quid sibi voluerit Saufeius, quum Aboriginum appellationem recentiorem, Cascorum vetustiorem diceret. Nimirum quamdiu Sabini in Latio superiore praevalebant, obtinebat etiam appellatio ea, qua ipsi gentem illam veterem, primum ex agro Reatino, deinde ex Latii parte a se expulsam aut subactam [7]) designabant, ut *Cascos* h. e.
5 nihil aliud quam *veteres* dicerent: posteaquam autem Latini praevaluerunt, etiam Latino vocabulo *Aborigines* illi dicti sunt, Sabina appellatione paullatim oblitterata nec nisi a poetis doctioribus, velut ab Ennio, nonnunquam usurpata. Quod autem Niebuhrius Cascorum nomen ex proprio paullatim *ἐπίθετον* factum et in *veteris* significationem abiisse autumat, eodem fere modo, quo a nostratibus res vetustae et obsoletae *gothicae* aut *francicae (altfränkisch)* dici solent, huic opinioni et Varronis auctoritas et exempla quae ab hoc afferuntur usurpati a poetis vocabuli vehementer repugnant. Varro enim, quemadmodum in Enniano versu *cascum* nihil aliud quam *vetus* significare testatur, ita *Casinum* oppidum Samnitium Sabino nomine eiusdem cum illo stirpis appellatum, latina interpretatione *forum vetus* dictum esse ait. In Manilii autem epigrammate:

Cascum duxisse cascam non mirabile est,
Quoniam Caron eas conficiebat nuptias [8]).

5) De ling. Lat. VII, 28 p. 130 ed. Od. Muelleri.

6) „Reatinorum sermonis Varro eo magis gnarus esse debebat, quod ipse Reatinus erat. V. Sidon. Apollin. Epist. IV, 32 et Symmachus Epist. I. p. 298 ed. Paris. 1684. Hinc singularis eius Sabini agri locorum peritia, de qua dixit Petit-Radel in Annal. Instit. Archaeolog. a. 1832 p. 18.“ Mueller. ad Varron. p. 301. 302. Tironum gratia non inutile fuerit monere, Reatinum agrum, antiquam Aboriginum sedem, postea Sabinorum fuisse.

7) De Sabinorum adversus Aborigines bellis vid. Dionys. A. R. I, 15 sqq. e Catone et Varrone.

8) Lectionem huius et proximi epigrammatis eam posui, quam Muellerus dedit,

satis apparere opinor senectutem tantummodo significari eorum qui seras nuptias contrahebant, non mores antiquos atque obsoletos, quorum significationem, si Niebuhrius verum diceret, inesse oporteret in *casci* vocabulo. Sed eadem senectutis significatio magis etiam apparet in Papinii versibus, quos in adolescentem fecerat Cascam:

Ridiculum est, quum te Cascam tua dicit amica,
Fili Potoni, sesquisenex puerum.
Dice illam pusam: sic fiet mutua muli:
Nam vere pusus tu, tua amica senex.

Nam omnis horum versuum lepos ita demum constat, si illud ipsum in *Cascae* nomine inest quod in *senis:* perit autem si non senem *Casca* significat sed hominem priscis et antiquis moribus, quales nihil obstat quominus etiam adolescentuli sint. Comparandum igitur illud erit plane cum nostro *alt*, quod et ipsum quorundam proprium nomen est: terminationem autem nominum virilium in ā non inusitatam Sabinis fuisse etiam alia eorum nomina ostendunt, velut *Numa* et *Atta.* Denique *Casnares* (cognatum cum *casco* vocabulum) Oscorum lingua, in quam radices Sabina egit [9]), Pappos sive senes ridiculos in Atellanis dictos esse Varro testatur: idque nomen non ad mores, sed ad senectutem tantummodo pertinere non solum Festi verba: *Casnar, senex Oscorum lingua,* sed etiam alius eiusdem Varronis locus demonstrat e satira Menippea sexagesima apud Nonium p. 86 ed. Merc.: *vix ecfatus erat, quum more maiorum ultro casnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant.* Nam *casnares* ibi pro *carnales* recte a Scaligero rescriptum esse nemo dubitabit: manifestumque est, respici a Varrone Argeos istos sive senes depontanos, quorum passim veteres mentionem faciunt, sed ita ut de vera moris ratione ne ipsis quidem satis constare appareat [10]).

---

ad Varron. p. 130. Varias codicum scripturas doctorumque emendationes et interpretationes commemorare non opus habeo. Has qui volet e Burmanni Antholog. Latin. tom. I p. 672—674 cognoscere poterit. — Charon nuptias senum conficere dicitur simili ioco, quam quo apud Aristophanem iudicibus decrepitis *ὁ Χάρων τὸ σύμβολον δίδωσι*, Plut. v. 278.

9) Verba sunt Varronis L. L. VII, 28.

10) Vid. Varro L. L. VII, 44 p. 137. Dionys. A. R. I, 19 et 38. Ovid. Fast. V, 621. Festus s. vv. *Argeos, Depontani* et *Sexagenarios.* Macrob. Satura. 1, 7 et 11. Nonius XII, 22 p. 513 Merc. Plutarch. Quaestt. Rom. §. 32. Arnob. adv. gent. II p. 21 ed. Elmenb. Lactant. de falsa relig. c. 21 p. 67 ed. A. Thysii.

6 De Cascorum nomine satis dictum est: iam de Priscis videbimus, quos quum eosdem Niebuhrius cum Cascis fecerit, verendum est ne eodem nobis quo illi ablegandi sint. Et profecto, si duobus illa gens nominibus usa est, mirari licebit, tam infestam eius memoriae fortunam fuisse, ut neutrum de duobus a posteris agnosceretur, quum tamen usurpari nunquam desinerent. Nam ut *cascum* idem quod *vetus* ita *priscum* illud esse crediderunt, *quod priore tempore fuit*, neque deflexam hanc significationem a vera et primitiva, qua gentis nomen esset, sed ipsam veram ac nativam esse, quippe quum eiusdem stirpis *priscus* esset, cuius sunt *prior, pristinus, primus.* Ita Priscianus, cuius nomen ipsum a Priscis ortum, lib. II c. 10 §. 60 p. 98 Krehl. *prius, priscus, pristinus* componit, et Festus: *prisci Latini*, inquit, *proprie appellati sunt ei, qui prius quam conderetur Roma fuerunt.* item: *priscae coloniae Latinae appellatae sunt ut distinguerentur a novis, quae postea a populo deducebantur*, et: *priscus Tarquinius est dictus, quia prius fuit quam Superbus Tarquinius.* Nos autem quo errasse veteres suaeque ipsorum linguae et historiae adeo ignaros fuisse credamus, ut fallaci quadam sonorum similitudine decepti proprium maiorum suorum nomen pro adiectivo temporali haberent et cum aliis specie tantum similibus, reapse diversis coniungerent, argumenta nobis afferri postulabimus tam certa tamque manifesta, quae nullum dubitationi locum relinquant. Qualia sunt igitur, quae a Niebuhrio afferuntur? Si verum dicimus, unum est, idque ipsum ita comparatum, ut pro nullo habendum sit. Livius enim, lib. 1 c. 32, ubi de indicendo Latinis bello ab Anco Marcio consultatum narrat, hanc ponit consulendi senatus formulam: *Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato priscorum Latinorum hominibusque priscis Latinis, quas res dari, fieri, solvi oportuit, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec solverunt, dic quid censes?* itemque indicendi belli formulam hancce: *Quod populi priscorum Latinorum hominesque prisci Latini adversus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis iussit esse, senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus populis priscorum Latinorum hominibusque priscis Latinis bellum indico facioque.* Has formulas Niebuhrius e vetustis iuris fetialis commentariis desumptas esse censet, non aequalibus quidem bello illi Latino, sed longe tamen omni annalium scriptione prioribus, neque

credibile esse quidquam in illis positum nisi quod temporum illorum conditioni accommodatum esset: non potuisse autem *veteres* Latinos commemorari ea aetate qua *novi*, quibus illi opponerentur, nulli essent: quamobrem *priscos* in his formulis non posse *veteres* significare, sed esse proprium gentis nomen, dicique *Priscos Latinos* non alia ratione quam populum *Romanum Quiritium*, omissa scilicet copula, ut populus significetur e *Priscis et Latinis* conflatus. — Haec speciosissime disputata esse fatemur: modo fundamentum satis firmum haberent. Nam e commentariis quidem veteribus illas formulas a Livio
petitas esse libenter concedimus, neque intercedemus si quis hos com- 7
mentarios haud multo Anci regis aetate posteriores dixerit: at vero nomen quoque Priscorum Latinorum in eis fuisse quo tandem iure sumitur? Nimirum formulae istae non uni cuidam sed omnibus quae quandoque inciderent bellis indicendis compositae fuerunt, quamobrem consentaneum fuit hostium in eis nomina aut nulla aut generalia tantum poni, quorum loco quod quoque tempore conveniret a patre patrato substitueretur. Et nullum hostis nomen Livius habet in clarigationis formula ex eisdem haud dubie commentariis petita: *Audi Iuppiter, audite fines* (cuiuscunque populi sunt nominat) *audiat fas.* et paullo post: *ego vos testor populum illum* (quicunque est, nominat) *iniustum esse neque ius persolvere.* Generale nomen credo *Hermundulos* esse, quos Cincius posuit in libro tertio de re militari[11]), ubi eandem fere quam Livius belli indicendi formulam e similibus commentariis petitam attulit. Nam Hermundulum populum neque historicus quisquam neque geographus commemorat[12]): quod etiamsi casu factum esse potest, et sunt alia quoque nomina semel tantum inventa, tamen non improbabile videtur, ut omne ius fetialium ab Aequiculis ad Romanos pervenit, ita nomen quoque illud ex horum lingua, quae Osca haud dubie fuit[13]), acceptum esse, et significationem habere generalem et appellativam. Sed de his utcunque statuatur nihil nunc facit ad rem: nam illud quidem satis sua sponte manifestum esse arbitror, Latino-

11) Apud Gellium XVI, 4. — De Cincio, non vetere illo Alimento, qui sexto saeculo floruit annalesque composuit inde ab urbe condita usque ad suam aetatem, sed recentiore Augustei aevi grammatico vid. A. Krause vitt. et fragmm. vett. historr. Rom. (Berol. 1833) p. 70 et 75.

12) Fuerunt e recentioribus, qui Hermundulos pro Hermunduris, Germaniae populo, acciperent, contra quos disputare nihil attinet.

13) Niebuhr. H. R. 1 p. 72 ed. 2.

rum nomen non in commentariis a Livio inventum, sed ab ipso in formula positum esse propterea, quod de bello Latinis indicto narraret. Quod autem priscos Latinos dixit, fecit ex suae aetatis consuetudine, quum ita veteres illi triginta Latini foederis populi, qui omnes ab Albanis oriundi credebantur[14]), a recentioribus Latinis coloniariis distingui solerent[15]), quemadmodum postea, Latinorum Iunianorum ordine per legem Iuniam Norbanam instituto, ipsi rursus coloniarii a Iunianis veterum Latinorum nomine distinguebantur[16]). Poterat quidem haud dubie Livius, aut debebat potius, quum de Anci Marcii bello narrabat, cognomento illo supersedere, quippe quum illo tempore unum tantummodo esset Latinorum genus: sed huiusmodi indiligentiam in hoc scriptore nemo mirabitur, et saepenumero propter eiusdem generis errores ab ipso Niebuhrio reprehensus est. Itaque de Priscorum nomine ex ista apud Livium formula non posse id quod Niebuhrio visum est concludi satis, ut arbitror, demonstratum est. Quod autem praeterea vir doctissimus etiam formam nominis plane ethnicis similem dicit, qualia sunt *Oscus*, *Tuscus*, addit etiam *Cascus*, hoc tum demum
8 esset aliquid, si non alia essent huius formae nisi ethnica nomina. Sed sunt etiam adiectiva qualitatis, ut *luscus, fuscus, vescus, crepuscus, vopiscus*[17]), quibus accenseri etiam *priscus* debebit. At, inquit, familiarum quarundam cognomen *Priscus* est, itidem ut ethnica multa, *Sabinus, Auruncus, Siculus, Tuscus:* ex quo coniicere licet, etiam *Priscus* ethnicum esse. Quasi vero non ut *Priscos*, e. c. Servilios[18]), ita etiam *Veteres*, e. c. Antistios, haberemus. — Sed adeo de inventi sui veritate Niebuhrio persuasum fuit, ut etiam Tarquinium illum veterem Tarquiniis ereptum Priscis suis vindicare conetur. Itaque illud nomen,

14) Dionys. I, 45. III, 34. Cf. tamen Niebuhr. II p. 21.

15) Hoc pertinent Festi verba supra a nobis allata, s. vv. *priscae coloniae Latinae* et *prisci Latini.* Tenendum est autem, Festum sua ex Verrio Flacco habere, Livii aequali.

16) Plin. H. N. III c. 4: *(in citeriore Hispania) oppida Latinorum veterum XVIII.* Id. IV, 22: *(in Lusitania) oppida veteris Latii tria.* Et paullo post: *oppida veteris Latii Ebora etc.*

17) De *crepusco* vid. Varr. L. L. VI, 5 p. 74, de *vopisco* Nonius XIX, 3 p. 557. Utrumque in nomen proprium abiit, alterum apud Sabinos (Varr. l. l.) alterum apud Romanos.

18) Addit Niebuhrius Porcios Priscos, ex Plutarcho, vit. Cat. mai. cap. 1. Sed de hoc non inutile erit Lessingium audire in censura Horatii Langiani (*Vademecum für Herrn Pastor Lange.* Berol. 1754) p. 56 sqq. (Opp. ed. Maltz. III p. 433.)

quod quin ethnicum sit et a patria inditum dubitari plane non potest[19]), nihil curat, constantemque antiquitatis traditionem, quae lucumonem quendam h. e. principem Etruscum Romae imperasse, Tarquiniumque a patria, priscum autem a posteris dictum perhibet[20]), quo ab altero rege item Tarquinio distingueretur, prorsus spernendam putat, invitisque Romanis ignotum ex gente commenticia regem obtrudit. Quamquam fuisse aliquando Etruscum Romanorum regem ne ipse quidem diffitetur: sed diversum scilicet hunc censet ab illo Prisco et errore scriptorum linguaeque patriae ignoratione cum eo conflatum. Hunc autem Etruscum utrum Tarquinium et ipsum fuisse credat, an Tarquinii nomen uni illi Prisco servatum velit, a duabus scilicet gentibus appellato, ipse non diserte significavit, nec scire nostra interest[21]). Sunt enim ista omnia eiusmodi quae non aegre ferremus ab egregio historiae Romanae opere prorsus abesse. Neque hoc eo diximus, quo detrahere quidquam summi viri laudibus vellemus, aut egregia eius merita minoris aestimaremus: quae sane libenter agnoscimus plura in eo et maiora esse, quam in quolibet uno eorum, qui post renatas litteras historiam Romanam tractarunt: sed nimirum quo plus ille doctrina et ingenio pollebat, eo magis etiam viribus suis confisus modum saepe in dubitando et coniectando excessit eaque protulit, quae si ab alio excogitata essent, certatim omnes exploderent, nunc autem, quum probari a prudentibus non possint, excusari tamen pietas et meritorum memoria iubet.

Scrib. in academia Gryphiswaldensi a. d. III. Non. Mart. ann. MDCCCXXXVII.

19) Apparet enim Tarquinium proprie civem esse urbis quae ipsa non alio quam civium suorum nomine Tarquinii pluraliter vocabatur, unde postea rursus Tarquiniensium appellatio deflexa est. Ab Etruscis urbs Tarchufin dicta videtur. Mueller. Etrusc. 1 p. 72.

20) Unus Livius 1, 34, 11 Prisci nomen Tarquinio tribuit simul atque Romam advenit. Sed alia huius in simili genere incuriae exempla attulit Drakenborch. ad. h. l., ne quis ex hoc praesidium Niebuhrianae sententiae peti posse credat.

21) Verissime nobis de Tarquiniorum regum historia Muellerus disputasse videtur, Etrusc. 1 p. 118—123.

DE TULLO HOSTILIO REGE ROMANORUM.

3 Quae de primis Romanae rei publicae temporibus apud veteres historicos leguntur vix quisquam hodie diffitebitur pleraque omnia in fabulis numeranda esse, quae quamvis probabili quadam specie indutae apteque concinnatae sint, fallere tamen nisi imperitos non possint, prudentibus autem tanto magis adulteratae et a prisca et genuina forma deflexae videri debeant, quanto magis verae historiae similitudinem imitentur [1]). Quamobrem si quis veteris memoriae vestigia, passim haud dubie sub his involucris latentia, detegere studeat, hunc ante omnia, fallaci illa specie detracta solutaque compositione artificiosa, fabulas ipsas, quales fuerint, antequam in hanc formam tralaticiam diffingerentur, investigare, deinde in causas fabularum inquirere, et si quid forte verae memoriae inclusum sit eruere quoad possit oportebit. Hanc autem vetustissimae historiae Romanae conditionem eiusque tractandae rationem quum studiosis adolescentibus, quibus hoc tempore antiquitates Romanae a me traduntur, demonstrare idoneo aliquo exemplo cuperem, imprimis accommodata huic consilio visa est Tulli Hostilii historia, quippe quae et pertractari non nimis longa disputatione commode possit, neque explicationem habeat admodum difficilem, sitque partim cum ipsis urbis incunabulis connexa, partim autem ad id tempus pertineat, quum duorum regum institutis rebusque gestis fundata res publica iam primi sui saeculi terminum attingeret. Itaque

[*) Hoc iudicium omnemque meam de Tullo Hostilio disputationem F. D. Gerlachius magnopere sibi displicere multis et invectivis verbis testatur, Hist. Rom. t, 2 p. 98 sqq. Nec mirum bilem bono viro motam esse, qui eorum, quos ego imperitos dixi, sese principem agnoscat. Vindicare igitur dignitatem suam quibus potuit armis h. e. plumbeis conatus est.]

quae de hoc tertio rege vel apud historicos vel apud alios passim scriptores memorantur, generalim descripta proponam et ad veritatem quantum potero revocare conabor.

Tullum Hostilium plerique nepotem fuisse perhibent Hosti cuiusdam Hostilii, qui quum condita recens urbe ad Romulum se ex Medullia, propinquo Latii oppido, contulisset, strenuamque mox operam adversus Sabinos navasset, in proelio ad Capitolium ceciderit filio cognomine relicto, qui Tulli postea pater factus sit [1]). Nomen Hosti ab re ductum esse apparet: hostos enim olim dixerunt, qui peregre
apud hostes nati essent [2]); hostes autem non perduelles sed simplici- 4
ter peregrinos fuisse notum est [3]). Gentilicia nomina ab Hosto declinata Hostius et Hostilius sunt, ut a Quincto Quinctius et Quinctilius, a Sexto Sextius et Sextilius aliaque eiusdem generis complura. Medulliam, Hosti patriam, primam earum urbium fuisse legimus [4]), quae Romuli virtutis ac iustitiae fama permotae sponte se in eius tutelam potestatemque permiserint coloniaeque factae sint. Alii Hostum in asylum confugisse tradunt a Romulo apertum [5]), quam narrationem si specie magis quam re ab illa altera diversam esse dicam, facile me hoc iudicium intelligentibus probaturum esse confido. Nam quae vulgo de asylo Romuli receptaque eo multitudine traduntur, quis est quin fabulosa esse concedat? quum praesertim ipsum ius asylorum, apud Graecos usitatum, Romanorum moribus atque institutis adeo alienum fuerit, ut ne nomen quidem rei in lingua eorum inveniatur, ideoque etiam ille in Capitolio locus inter duos lucos, posteaquam de asylo ibi aperto fabulantibus credere coeperunt, Graeco vocabulo,

1) Liv. I, 22, 1. Dionys. III, 1. Plutarch. Rom. c. 18. Macrob. Sat. I, 6 p. 229. Plin. N. H. XVI, 4 p. 225 Gron. — Alios dissentientes infra memorabimus.

2) Vid. libell. de nominibus, quem vulgo Valerio Maximo, Grotefendius nuper in Diurn. antiqu. (Zeitschr. f. d. Alterthumsw.) ann. 1843 p. 171 Verrio Flacco tribuit, p. 630 ed. Kapp.: „Hostus praenomen fuit in eo, qui peregre apud hospitem natus esset.“ Apud hospitem dixit, non apud hostem, ne ignari obsoletae significationis lectores errarent.

3) Cic. de off. I, 12, 1 cum Beieri excursu XIII.

4) Dionys. II, 36: *διαγγελλούσης δὲ τῆς φήμης πολλαῖς πόλεσι τήν τε κατὰ πολέμους γενναιότητα τοῦ ἡγεμόνος καὶ πρὸς τοὺς κρατηθέντας ἐπιείκειαν, ἄνδρες τε αὐτῷ προσετίθεντο πολλοὶ καὶ ἀγαθοὶ —— καὶ πόλεις ὅλαι παρεδίδοσαν ἑαυτάς, ἀπὸ τῆς Μεδυλλίνων ἀρξάμεναι, καὶ ἐγίνοντο Ῥωμαίων ἄποικοι.*

5) Macrob. I. l.

non Latino, appellari solitus sit. Perfugium quidem supplicibus ad aras templaque deorum quin Romae quoque fuerit dubitari non potest, quamquam libera re publica mentionem rei perquam raro fieri videmus [6]), adeoque Caesaris demum interfecti honori hoc datum esse legimus, ne quem, qui supplex in eius sacrarium confugisset, per vim abripere liceret: qualem honorem ante id tempus nulli unquam ne deorum quidem a Romanis habitum esse Dio Cassius, haud contemnendus auctor, disertis verbis testatur [7]). Ceterum interest etiam aliquid inter talem ararum templorumque sanctimoniam et illud asylorum ius, quo locis circa aram templumve definitis ac terminatis, eisque ut plurimum sat amplis magnaeque multitudinis capacibus, ea sanctitas tribuitur, ut quisquis eo confugerit non modo ab iniuriis adversariorium, sed etiam a iustis legum poenis tutus sit. Ex hoc autem genere illud in Capitolio asylum fuisse volunt, cuius quidem post Romulum semel tantummodo in Tulli Hostilii historia [8]), neque unquam praeterea mentio fit, locumque ipsum posteris temporibus nemini patuisse, immo summa cum religione clausum atque inaccessum fuisse constat [9]). Itaque quae res nascenti urbi plurimum incrementi attulerit, hanc posthac adeo in desuetudinem abire potuisse, ut nec ipsa nec quidquam simile ante mortem divi Iulii a Romanis usurparetur, ac ne nomen quidem eius Latinum extaret, quis tandem sibi persuaderi patietur? Nam quod Dionysius memorat IV, 26, Servium Tullium Latinis auctorem fuisse templi in Aventino Dianae condendi, quod commune Romanis cum Latinis et *ἄσυλον* esset, non sane perfugium in illo templo supplicibus ac noxiis aperiri, sed ipsum templum ab omni iniuria tutum et inviolatum esse voluit. — Fuerunt quidem nuper, qui asylorum apud Romanos ius antiquum comprobari etiam

---

6) Vid. Lips. excurs. ad Tacit. Ann. III, 36. Cf. tamen Cic. de leg. agr. II, 14, 36. Varr. ap. Non. p. 44 Merc. Appian. Civil. I, 54.

7) Dio Cass. XLVII, 19: *ἀπηγόρευσαν δὲ μηδένα ἐς τὸ ἡρῷον αὐτοῦ καταφυγόντα ἐπ' ἀδείᾳ μήτε ἀνδρηλατεῖσθαι μήτε συλᾶσθαι, ὅπερ οὐδενὶ οὐδὲ τῶν ἐπὶ τοῦ Ῥωμύλου γενομένων, ἐδεδώκεσαν.*

8) Liv. I, 30, 5: „Tullus ad Feroniae fanum mercatu frequenti Romanos negotiatores comprehensos querebatur: Sabini suos prius in lucum confugisse ac Romae retentos.“ Eadem Dionysius narrat III, 32.

9) Dio Cass. l. l. de Romuli asylo: *καὶ ἐκεῖνο τὸ χωρίον ὀνόματι τὴν ἀσυλίαν, μετὰ τὴν τῶν ἀνδρῶν ἄθροισιν, ἄνευ τοῦ ἔργου αὐτῆς ἔσχεν. οὕτω γὰρ περιεφράχθη, ὥστε μηδένα ἔτι τοπαράπαν ἐσελθεῖν ἐς αὐτὸ δυνηθῆναι.*

clientelae iure sacrato crederent, quod satis explicari posse negarent, nisi ortum statueretur ab eorum, qui in asylum confugissent, conditione [10]): sed his refutandis supersederi impune poterit. Alii, quum fabulosum esse illud Romuli asylum recte intelligerent, originem fabulae ab exilii iure repetierunt, pacto inter civitates amicas, ut, si quis alterius civis solum vertisset, ei in altera civitate tuto morari liceret [11]). Id ego parum probabile arbitror. Neque enim ex pacto, sed cum summa finitimarum civitatum indignatione, neque paucos quosdam, ut in iusto exilio necesse erat, sed magnam undique multitudinem Romam confluxisse accepimus. Multo igitur probabilius iudico, sicuti ipsum nomen asyli, ita hanc omnem fabulae conformationem Graecis scriptoribus deberi, qui quam mature Romanas antiquitates tractare coeperint, et quam secure ipsi etiam Romani fidem eis adiunxerint vel hinc intelligas, quod Plutarchus Fabium in eis, quae de Romuli natali-

10) W. A. Becker, Antiq. Rom. II, 1 p. 132: „Es kann diese eigenthümliche Weihe des Clientelarverhältnisses ihren Grund nur in der Form haben, unter welcher die Annahme des Clienten erfolgte, und es ist richtig bemerkt worden, dass sie sich, wenn auch nur zum Theil, aus der Einrichtung der Asyle erklärt. Denn der dahin Geflüchtete und dort Gesühnte stand unter dem Schutze der Gottheit." Auctorem laudat Goettlingium, histor. i. p. Rom. p. 128, qui quomodo rem sibi informaverit, ex verbis eius non satis intelligi potest. „Diese rechtliche Sicherstellung des Clienten ist sehr bedeutsam und allein erklärlich durch die Einrichtung der Asyle."

11) W. Ihne, in Museo classico Londinensi, no. VIII vol. III p. 191 sq.: „I have no doubt that it was the ius exulandi which gave rise to the whole legend. The citizens of different states, on the ground of special treaties, had the right of leaving their own city, when threatened with capital punishment, and of retiring to another, where they forthwith acquired the rights of citizens, in consequence of the ius exulandi. This right was, in historical times, enjoyed reciprocally by the Latins and Romans; and this right it is which was extended to the time of Romulus, that is, to the first period of the city, and which gave rise to the legend about the asylum." Idem vir doctus de causa, cur locus inter duos lucos saeptus et inaccessus fuerit, coniecturam profert non contemnendam: „It is, I think, not improbable, that the mysterious wall, *inter duos lucos*, included one of those Sabine sanctuaries, which, like those of Terminus and Iuventus, would not give way to Tarquin. Perhaps the doubtful deity, whose name was identical with the secrete name of Rome, had here its altar in the Sabine citadel."

bus retulerit, Dioclem maxime Peparethium sequutum esse testatur [12]).
6 Graeci igitur, quum magnam aliquando hominum multitudinem ex finitimis regionibus in Capitolium confugisse accepissent, viderentque ibi locum inter duos lucos saeptum et propter sanctimoniam inaccessum, hanc ipsam sanctimoniam in causa fuisse coniecerunt, ut illi huc confugerent, sub inviolati scilicet templi tutelam. Confugisse olim multos in Capitolium non est cur dubitemus: sed fugitivorum, obaeratorum aut aliquo crimine obnoxiorum hanc multitudinem fuisse, qui impunitatem criminum aut expiationem quaererent, credi profecto non potest. Fugerunt potius vim hostilem, praesidiumque non a sanctimonia loci sed a situ munito quaesiverunt, et ab eorum, qui in propinquo Palatio consederant, societate. Neque obscurum est, quosnam fugerint. Videmus enim plurimas circa Romam urbes illa aetate a Sabinis occupatas esse, eisdem, qui mox etiam proxime Palatium in Quirinali monte consederunt ipsumque Capitolium expugnarunt. Nam Antemnam, Caeninam, Crustumerium Sabinorum fuisse Plutarchus et Stephanus Byzantius testantur [13]): et de Crustumerio fidem facere etiam hoc potest, quod posteris temporibus Sabinos, quum cives facti

---

12) Plutarch. Rom. c. 3. — Non coucedit hoc Niebuhrius hist. Rom. 1 p. 235 ed. 3, cui equidem hactenus facile assentior, ut non excogitatas primum istas fabulas a Diocle credam: sed hoc tamen certum est, satis mature fabulas de Romanorum originibus undeunde acceptas litteris mandare Graecos coepisse: et conformasse eos, quae accepissent, suo modo, Romanosque scriptores sat multa ab eis assumpsisse non video qua ratione negari possit. [Cf. Willenborg. de Diocl. Pepar. (Monaster. 1853) p. 13. Karsten. de Rom. hist. ant. (Trai. ad Rh. 1849) p. 15 et 57. O. Jahn. de Lycoreo in Bericht. d. K. Sächs. Ges. d. W. 1 p. 422. M. Hertz. in Diurn. antiquar. (Zeitschr. f. d. A. W.) 1852 p. 181.]

13) Vid. Plutarch. Rom. c. 16 et 17, eiusque compilator Zonar. VII, 3 p. 12 ed. Bonn. Plutarchus quidem c. 17 etiam Fidenates Sabinis accensere videtur, sed quum haec urbs in illa de raptis Sabinorum mulieribus historia a melioribus auctoribus non nominetur, neque alio ullo indicio eam Sabinorum fuisse probetur, errorem suspicari licet. Nam quod in aliquot codicibus Aur. Victoris, de vir. illustr. cap. 2 p. 55 Arntz. eidem Fidenates praeterque hos etiam Veientes nominantur, nullius ponderis esse apparet. Distinguuntur tamen ibi a Sabinis non solum hi duo, sed etiam Antemnates, Caeninenses, Crustumini, quos Livius quoque et Dionysius ab illis distinxerunt: sed huius rei haec haud dubie causa fuit, quod Sabinorum in his urbibus dominatio brevis fuerat, moxque rursus Latini eis potiti sunt. Stephani Byz. testimonia sunt p. 44. 153. 171 ed. West. Ceterum cf. Cluver. Ital. ant. p. 651, 50 recte indicantem.

essent, Crustuminae tribus esse videmus [14]), propterea, opinor, quod plurimi huius gentis in illa urbe remanserant, licet subiecta rursus Latinorum potestati. Sabinorum igitur armis pulsi ex urbibus suis multi Romam versus confugerunt Capitoliumque insederunt, in quibus si fuerunt etiam Medullini, consentaneum fuit, accepta semel de asylo fabula, Hostum illum h. e. advenam Medullinum in eis numerari, qui in asylum confugissent. Nam quod Dionysius tradit Medullinos cum aliis multis civitatibus Romani regis fama allectos esse, ut in eius se tutelam darent, id reapse sic ut traditur gestum esse nemo facile credet. Nihil aliud huic fabulae subest, quam adiunxisse se illos Romanis auxilii spe, et metu, ut dixi, Sabinorum.

Sita autem Medullia in Latio fuit, numeraturque in coloniis Albanorum [15]): verum illo tempore, quum Sabini in has regiones penetrabant, non Latinorum, sed Etruscorum fuisse videtur, quos magnam olim Latii partem possedisse multa docent [16]). Nam ne de Fidenis dicam, quas etiam posthac diutissime retinuerunt, aut de Tusculo, cuius ipsum nomen a Tuscis h. e. ab Etruscis inditum esse apparet, aut de 7
Ardea, Rutulorum urbe, cuius mox mentio facienda erit, Volscorum quoque agrum in Etruscorum potestate fuisse et Catonis testimonio constat [17]), et, ut arbitror, etiam oppidorum duorum nominibus, Tarracinae et Velitrarum, comprobatur [18]). Sed Etruscos cum dico, non eum intelligi populum volo, qui ex Rasenis [19]), barbara gente, et Tyrrhenis Pelasgis, cum ad Padum tum in ipsa Etruria mixtus et concretus fuit, — quae concretio num hac iam aetate aut coepta aut perfecta sit, in medio nunc quidem relinquendum est, — sed solos Tyrrhenos, quorum de nomine, varie apud Italos immutato, etiam illud

14) Liv. XLII, 34, 2: „Sp. Ligustinus tribus Crustuminae ex Sabinis sum oriundus."

15) Dionys. III, 1 et 34, cf. Cluver. Ital. ant. p. 665.

16) Cf. Mueller, Etrusc. 1 p. 114.

17) Serv. ad Aen. XI, 567: „Gente Volscorum, quae et ipsa Etruscorum potestate regebatur, quod Cato plenissime exequutus est."

18) De Tarracina — quae minus recte Terracina scribitur — infra dicetur. Velitrarum nomen cum Velathri, quas Volaterras Romani dixerunt, iam alii composuerunt. Cf. Lanzi, Saggio di lingua Etr. II p. 95. J. Marchi et P. Tessieri, L'aes grave del museo Kircheriano. (Rom. 1839) p. 90.

19) De his conf., quae contra R. Lepsium (Ueber die Tyrrhenischen Pelasger in Etrurien. Leipz. 1842.) a nobis disputata sunt in Diurn. antiquar. (Zeitschr. f. d. Alterthumswiss.) 1843 p. 1243.

alterum deflexum esse videtur. Etruscorum igitur Medulliam quoque fuisse iam ante me alii statuerunt[20]), comprobarique hanc sententiam etiam eo arbitror, quod Hostus, Medullinus advena, in lucum asyli confugisse, h. e. in Luceribus fuisse dicitur. Luceres enim ab hoc luco appellatos esse volunt[21]), quae originatio quamvis nihilo magis quam omnis illa de asylo fabula probabilis sit, tamen, si vera est nostra huius fabulae interpretatio, hoc certe indicari videmus, Lucerum tribum ex eis extitisse, qui sedibus suis a Sabinis exciti Romam se et in Capitolium contulerint. Iam vero constat fere inter omnes, tres illas tribus antiquas Ramnium, Titium, Lucerum[22]), ex tribus populis originem habuisse, Latinis, Sabinis, Etruscis. Ramnes eos fuisse aiunt, qui in Palatio consederint, Romae illius veteris quadratae conditores, quorum eponymus Romus, ab urbis nomine, ac dein Romulus vocatus est. Hos cur Latinos fuisse negemus, nulla idonea causa est: nomen antiquitus **Romanes**, **Romnes** fuisse videtur, unde mutata vocali **Ramnes** appellati sunt, ab Etruscis fortasse, quorum sermo **o** littera carebat[23]). Tities a Tito Tatio, Sabinorum rege, appellatos volunt, quem huius tribus heroem eponymum,
8 ut Ramnium Romulum, habendum esse apparet[24]). Stirpem nominis

---

20) Dempster. Etrur. reg. IV, 100. tom. II. p. 182, et Inghirami, lettere di erudiz. etr. p. 283. Quamquam argumento hi utuntur perquam infirmo aut potius nullo, epistola Augusti ad Maecenatem apud Macrob. Sat. II, 4, de cuius vera lectione conf. A. Weichert, Imp. Caes. Aug. scriptor. reliqu. p. 185.

21) Ps. Ascon. in Cic. Verr. lib. I p. 159 Orell. Plut. Rom. c. 20.

22) Vid. Iunius Gracchan. ap. Varron. de l. l. V, 55 p. 22 Muell. Cic. de re publ. II, 8. Liv. I, 13. Propert. V (IV), 1, 29. Serv. ad Aen. V, 560, aliique infra laudandi.

23) Lanzi, Saggio I p. 182. Mueller. Etr. II p. 305. Lepsius, Inscr. Umbr. et Osc. p. 138. — Quod Volnius, ut Varro refert, de l. l. V, 55, omnia haec tribuum nomina Tusca esse dicebat, non tam stirpes eorum, quam formas eum respexisse crediderim, quae, quamvis ad Latinum morem terminatae, ceteroquin tamen ipsa brevitate sua Tuscis quam Latinis similiores videntur, et longiores a Latinis passim usurpatae sunt, Ramnenses, Titienses, Lucerenses, etiam Lucomedii ap. Festum. Ceterum nomen **Lukir** in Etrusca inscriptione extat apud Inghiramium, lettere di erudiz. etr. p. 205, **Remne** ap. Lanzium tom. II p. 398, **Tite**, **Tites** aliquoties.

24) Inferias Tito Tatio quotannis etiam sua aetate ferri Dionysius testatur II, 52, videnturque hae caerimoniae a Titiis sodalibus curatae, quod sacerdotium Tacitus Histor. II, 95 Tatio sacratum scribit. Quamquam de his diversa traduntur, quae persequi hoc loco non opus est.

Sabinam esse Valerius Maximus, sive is Verrius Flaccus est, testatur[25]), videturque Titus militem s. bellatorem significasse. Luceres denique aut a luco, aut a Lucumone, aut etiam a Lucero quodam Ardeatium rege nomen accepisse perhibentur. Ac de luco quidem supra dictum est. Lucumones Etruscorum principes dictos esse constat, quorum unus Romulo adversus Sabinos auxilium tulisse traditur[26]). Idem etiam de Ardeatium rege Lucero narratur[27]), quem et ipsum pro Etrusco habendum esse nullus dubito. Nam Rutuli, quorum Ardea fuit, disertis verbis Tyrrheni ab Appiano vocantur[28]), et rex ille fabulosus, Aeneae adversarius, apud Dionysium Halicarnassensem optimorum codicum fide *Τυῤῥηνὸς* est[29]), cuius alterum nomen Turnus ex Turrino s. Turino decurtatum esse apparet. Denique ipsos etiam Ardeates Turinos appellatos esse Niebuhrius docuit[30]) ignoti cuiusdam scriptoris Florentini testimonio, sed qui veteres auctores secutus videri possit; idemque Turinos a Tyrrhenis pronuntiatione tantum diversos esse monuit. Conspirant igitur omnia hactenus, ut Etruscam Lucerum originem demonstrent: de ductoribus, unde nomen acceperint, diversa tradi nemo mirabitur.

Iam vero de Hosto Hostilio persimilia atque de Lucumone narrari videmus. Primae post ipsum Romulum partes in proelio contra Sabinos apud Livium Hostilio tribuuntur: sinistro cornu Lucu-

25) De nom. p. 631 Kapp.: „Titus e Sabino nomine Titurio fluxit.“ Et Titurii, cognomine Sabini, complures noti sunt, quorum Sabinam originem praeter cognomen etiam nummorum signa testantur. Vid. Patin. famil. Rom. p. 278. Item Titios Sabinos novimus e Tacit. Ann. IV, 68. De significatione nominis vid. Fest. Paul. p. 366: „Tituli milites appellantur, quasi tutuli, quod patriam tuerentur: unde et Titi praenomen ortum est.“ Ortum quidem Titum aut a Titulo aut a Titurio praestare nolim; sed significationis testimonium haud temere spernendum puto.

26) Cic. et Varr. ll. ll. Fest. Paul. s. v. Lucomedi. Dionys. II, 37. Propert. V (IV), 1, 29. 2, 51.

27) Fest. Paul. s. v. Lucereses.

28) Apud Photium p. 50. Hoesch.: *Τρίτῳ δὲ ἔτει πάλιν ὑπὸ Ῥουτούλων τῶν Τυῤῥηνῶν διὰ Λαουϊνίαν τὴν γυναῖκα, προμνηστευθεῖσαν αὐτῶν τῷ βασιλεῖ, ἀναιρεῖται πολέμου νόμῳ ὁ Αἰνείας.* Ne quis forte *καὶ Τυῤῥ.* pro *τῶν Τυῤῥ.* scriptum fuisse suspicetur, vetant proxima verba: nam si distinxisset App. Rutulos et Tyrrhenos, non *αὐτῶν τῷ βασιλεῖ*, sed *ἐκείνων τῷ β.* dicere debuisset.

29) Dionys. I, 64. De codicum lect. testis est Ritschelius ap. Klausen. Aen. u. d. Pen. II p. 1212.

30) Hist. Rom. I p. 49. 50.

monem Dionysius praeficit: uterque pugnans apud utrumque interficitur, et quemadmodum Hostilii, sic Lucumonis morte Romanorum acies inclinatur[31]): vix ut dubitari possit eandem de uno viro fabulam mutato nomine narrari, quumque bellum illud contra Sabinos coniunctis Romanorum s. Ramnium et Etruscorum s. Lucerum viribus gestum sit, horum ducem in genuinis fabulis modo Hostilium, modo Lucumonem dictum esse, quorum nominum alterum simpliciter peregrinum atque advenam, alterum autem principem Etruscum significat, hoc quidem nomine a suis, illo altero a Romanis appellatum, et
9 a posterioribus demum propter hanc ipsam nominis duplicitatem in duas personas distractum[32]).

Reliqua, quae de Hosto Hostilio traduntur, haec sunt. Primum hunc a Romulo frondea corona donatum esse, quod Fidenas primus irrupisset[33]): quae narratio non minus bonam operam contra Fidenates quam contra Sabinos ab Hostilio, h. e. ab Luceribus sive Etruscis advenis, praestitam esse significat. Ab historicis quidem[34]) bellum illud contra Fidenates post Sabinum demum gestum esse memoratur, mortuo iam Hostilio; sed stultus sit, qui in huiusmodi narrationibus temporum rationem curiose subducat, aut Hostilii nomine unum virum, ac non potius gentem vel tribum significari credat. Neque id quemquam merito offendet, quod Fidenae ipsae Etruscorum fuerunt. Quidni enim hanc quoque urbem, sicut alias finitimas, illo tempore a Sabinis occupatam credamus? aut si maxime etiamtum Etruscorum fuit, quidni Luceres etiam contra consanguineos fortiter

31) Vid. Liv. I, 12, 2. Dionys. II, 42. III, 1, cf. Plut. Rom. c. 17. Aurel. Vict. de vir. ill. 2, 7.

32) Dionysius II, 37 Lucumonem suum *ἐκ Σολωνίου πόλεως* advenisse scribit, quo nomine quum nulla urbs neque in Etruria neque in reliqua Italia memoretur, Cluverius Ital. ant. p. 473, Inghiramius, lett. di erudiz. etr. p. 282 aliique *Οὐετυλωνίου*, Muellerus Etr. 1 p. 116 *Οὐολσινίου* reponendum censuerunt, quorum utrumque pariter probabile videri potest. Nam ex Vetulonia etiam regum Romanorum insignia repetuntur a Silio Ital. VIII, 483, quae, ut mox videbimus, fuerunt qui ab Hostilio rege introducta dicerent; Volsiniis autem eos, qui cum Romulo contra Sabinos pugnarunt, Propertius V (IV), 2, 4 coll. 49—52 repetit: quumque auxilia tam ex longinquo advenisse parum credibile sit, non temere coniicias, aliquos eorum, qui Romulo se adiunxerunt, Medullinos fortasse, antiquitus aut Vetulonia aut Volsiniis oriundos fuisse aut creditos saltem esse.

33) Plin. N. H. XVI, 4 p. 225.

34) Liv. I, 14, 4. Dionys. II, 53.

pugnare potuerint? — Porro coniux Hostilii a nonnullis Hersilia fuisse dicitur[35]), una de raptis mulieribus Sabinis, quam alii Romulo nupsisse volunt[36]). Sed omnem hanc de raptu fabulam optime Niebuhrius interpretatus est[37]), subesse statuens obscuram quandam memoriam eius temporis, quum occupato iam a Sabinis Quirinali, urbeque ibi condita, Ramues, Palatii habitatores, coniuncti quidem cum Sabinis essent, sed impari iure et ne conubio quidem concesso, donec quum aliam iuris aequationem tum etiam conubia per vim illis extorquerent. Neque Lucerum erga Sabinos conditionem meliorem quam Ramnium fuisse credibile est, significaturque etiam eo, quod illorum maxime causa, qui in asylum confugissent, mulieres raptae esse dicuntur. Itaque ut Romulo, Ramnium regi, sic etiam Lucerum duci Hostilio una ex raptis uxor data est, eaque cuius nomen maxime in fabulis celebratum fuit, Hersilia. Nam de ceterarum nominibus nihil memoriae proditum fuisse videtur, quodque curias ab eis appellatas esse nonnulli voluerunt, factum partim propter duarum curiarum nomina, Titiae et Raptae[38]), partim, ut arbitror, propterea, quod curiarum institutio a Sabinis repetebatur. Hersilia autem dubitari vix potest quin deae, non mulieris nomen fuerit. Eadem Horta aut Hora vocata est, credebaturque dei Quirini coniux esse[39]). Quod quum Quirinus pro Romulo consecrato haberi coepisset, consentaneum fuit etiam Hersiliam credi divam ex mortali factam, et eiusdem, cuius in coelis coniux erat, etiam in terris uxorem fuisse. Sed varie fabu-

---

35) Dionys. III, 1. Plutarch. Rom. c. 14 et 18. Macrob. Sat. I, 6 p. 229. — Iaotili coniectura Dionysii locum A. Maius tentavit ad Cic. de re publ. II, 17, *Ἑρσιλίας θυγατέρα* pro *Ἑρσιλίου θ.* rescribendum suadens, ut Hersilia ipsa Romulo, filia autem eius, Romuli privigna, Hostilio nupserit: nam Hersiliam, quum raperetur, non virgioem, sed matronam filiarumque matrem fuisse testari Dionysium II, 45. Ita est saoe, sed coniecturae isti nulla hinc commendatio accedere potest, non magis quam ex Lapi et Gelenii convers. lat., qui qood Hersiliae filiam habent, nihil nisi ipsorum aut oculorum aot indicii errorum prodit. Ipsius autem Dionysii contextus orationis III, 1 quidquam mutari vetat: *Ἑρσιλίου θυγατέρα, τὴν ὑφηγησαμένην ταῖς ὁμοεθνέσι πρεσβεῦσαι* —: oam si *Ἑρσιλίας* D. scripsisset, etiam *τῆς ὑφηγησαμένης* scribendum fuisset.

36) Liv. I, 11, 2. — Alii Romulo Tatiam uxorem dederunt, T. Tatii filiam. Plut. Rom. c. 17.

37) Hist. Rom. I p. 323. 4.

38) Fest. s. v. Novae curiae et Titia.

39) Ovid. Metam. XIV, 830. cf. Enn. ap. Nonium II, 394 p. 120 Merc.

Iam mutatam esse nemo mirabitur. Haec quidem forma eis placuit, qui ex Romuli gente b. e. ex Ramnibus erant: Luceres contra illustrissimi coniugii honorem suo potius duci asserentes Hersiliam Hostilio copularunt.

His igitur parentibus filius procreatus esse dicitur patri cognominis, de quo nihil memorabile proditum, nisi bulla aurea ac praetextae insignibus hunc primum ab Romulo honoratum esse [40]). Ornamenta illa puerilia Romanos ab Etruscis ascivisse satis constat [41]), quamobrem qui Etrusco patre, et primus omnium Romae natus esset, — nam hoc quoque traditur, — in eo moris initium factum esse non absurde finxerunt. — Huius porro filium Tullum fuisse dicunt, Numae in regno successorem. Veteres tamen et genuinae fabulae de uno tantum Hostilio fuisse videntur Romuli socio, eodemque mox rege: haec autem generis ab avo ad nepotem deductio posteriorum acumini debetur, qui, quum ex fabulis historiam facerent, non facile eundem et Romuli aequalem et Numae successorem haberi posse viderunt. Sed supersunt tamen aliquot vetustioris fabulae vestigia. Primum Aurelius Victor, aut quisquis est, qui libellum de viris illustribus composuit, Tullum Hostilium regem propterea creatum esse scribit, quia bonam operam adversus Sabinos navasset. Nam haec navari uisi Romulo regnante non potuit, siquidem post hunc Numa per quadraginta circiter annos in summa pace regnum tenuisse credebatur. Senem autem Hostilium imperio admotum dicere non licebat quum propter ipsius regni longitudinem, — nam XXXII annos regnasse dicitur, — tum propter multas res strenue et iuvenili ferocia gestas: eaque causa fuit ut adolescentem potius fingerent veteris illius nepotem et alio praenomine, de quo quid mihi videatur, in extrema hac dissertatione expositurus sum. Vetustam fabulae formam scriptor ille de viris illustribus casu quodam et incuria repetiit: nam si attendisset, dubitari non potest quin commenticiam historiam et ipse probaturus fuerit, scripturusque id quod recentiores quidam critici reponendum suaserunt: „Tullus Hostilius, quia *avus eius* bonam
11 operam adversum Sabinos navaverat, rex creatus.“ Alter vetustae fabulae testis Aelianus est, Var. hist. XIV, 36, Tullum Hosti-

40) Macrob. Sat. I, 6 p. 230.

41) Etruscum aurum bulla ab Iuvenale dicitur sat. V, 164, ubi conf. intt. Add. Mueller. Etr 1 p. 374.

lium in eis numerans, quorum patres ignorentur, quod de Hosti filio Hosti nepote dici non potuisse manifestum est. Tertius denique Valerius Maximns est, cuius III, 4, 1 haec verba sunt: „Incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium cepit: eiusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata.“ Haec quoque in fugitivum potius, qualis Hostus fuisse credebatur, quam in eum cadere apparet, qui principes Romae viros avum patremque habuisse perhibetur.

Fuisse autem Tullus dicitur „omnis militaris disciplinae artisque bellandi conditor, militiaeque artifex“[42]), sicuti Numam omne ius sacrum religionesque et caerimonias ordinasse volunt: quo nihil aliud significatur, quam sacra Romanorum maximam partem a Sabinis, militaria instituta vetustissima ab Etruscis originem habuisse. Bellorum a Tullo gestorum unum maxime celebratur, cum Albanis, quorum urbe diruta ipsos Romam omnes traduxerit. Nos autem in tralaticia huius belli historia illud primum advertere oportet, quod Albanorum rege aut praetore aut dictatore[43]) C. Cluilio subita morte intercepto imperium ad Mettum aut Mettium Fuffetium delatum esse dicitur. Cluilii quidem memoriam fossa servatam aiunt in Romani Albanique agri confiniis, ab eius nomine appellata, neque absimile vero est, quod nonnulli arbitrati sunt, hoc ipsum fossae nomen in causa fuisse, ut regem illum Albanum fabulantes comminiscerentur[44]). Mettii autem nomen de Sabinis esse arbitror, quorum unus, Mettius Curtius, sub T. Tatio contra Romanos pugnasse fertur[45]): stirpem nominis eandem censeo, unde etiam Meddix apud Oscos descendit, summi magistratus vocabulum. Nam arctissime cognatas Sabinorum et Oscorum linguas fuisse satis constat[46]). Memoratur porro in Sabinorum

---

42) Flor. I, 3, 1 et 8, 4.

43) Regem Livius dicit I, 23, 4; praetorem Cato dixisse videtur, orig. lib. I ap. Festum s. v. oratores p. 182, 7 Muell. Dictatorem a Licinio Macro dictum esse ex Dionysio colligas V, 74, siquidem is Amulio Numitoreque mortuis dictatores ab Albanis creari solitos esse voluit.

44) Cf. Niebuhr. H. R. 1 p. 225, 386, et de nominis significatione Klausen., Aen. u. d. Pen. II p. 743. Similiter propter Tiberis fluvii nomen rex Albanus Tiberinus fictus est.

45) Liv. I, 12. Dionys. II, 42.

46) Cf. Cluver. It. ant. 1 p. 43. Niebuhr H. R. 1 p. 76. Mueller. Etr. 1 p. 42. Kleuze, phil. Abhandl. p. 69. Henop, de lingua Sabina. Alton. 1837.

fabulis heros quidam Marte genitus, **Modius Fabidius**[47]), quae nomina nescio an recte cum **Mettio Fuffetio** componantur, utpote pronuntiatione tantum diversa et a vero sono in Latinarum vocum
12 similitudinem deflexa[48]). Sabinos autem, ut Romanis, ita etiam Albanis admixtos fuisse perquam probabile est: nisi quis opinetur, qui populi in Latio diu variaque victoria de terrae possessione dimicarunt, hos nusquam nisi Romae etiam sociatos inter se esse unamque urbem remque publicam communiter habuisse. Immo equidem similes atque apud Romanos tribus, ex Latinis, Sabinis, Etruscis, etiam alibi in Latinorum civitatibus fuisse arbitror: ut apud Albanos numerum certe tribuum eundem quem Romae fuisse etiam fabula de trigeminorum pugna prodit, id quod iam a Niebuhrio animadversum est[49]). Quodsi numerus idem fuit, etiam causam numeri eandem fuisse non est cur dubitemus. De trigeminis autem alteros Horatios, alteros Curiatios fuisse satis constare Livius I, 24 memorat: utri Romanorum, utri Albanorum fuerint, ambigi; plures tamen esse, qui Romanos Horatios vocent. Hos ego verum vidisse iudico, ipso hoc nomine permotus, de quo statim dicturus sum. Curiatii igitur si Albani fuerunt, habemus hoc quoque Sabinorum in eo populo vestigium. Nam Curiatii indidem haud dubie nomen habent, unde Quirites, a Sabino vocabulo **curis**, quod hastam significare multorum testimoniis constat[50]), ut **curites** s. **quirites** nihil aliud proprie quam ha-

47) Dionys. II, 48: Virgo a Marte compressa filium parit Modium Fabidium, *ὃς ἀνδρωθεὶς μορφήν τε οὐ κατ' ἄνθρωπον ἀλλὰ δαιμόνιον ἴσχει, καὶ τὰ πολέμια πάντων γίνεται λαμπρότατος.* Is postea **Cures** urbem condit.

48) **Fufitius** pro **Fuffetio** est ap. Festum s. v. Sororium tigillum, p. 297 a. 13 Muell. — Grotefendius, de geogr. et histor. vet. Ital. fasc. 3 p. 33 etiam **Medium Fidium** eundem cum **Modio Fabidio** esse statuit, parum probabiliter, siquidem veteres, quod sciam, omnes non **Medium** illum sed **Dium** v. **Deum Fidium** appellatum, **me** autem pronomen esse testantur, ut in **mecastor**, **mehercules**. Nam quae Servianis in Vergil. commentariis immixta leguntur ad Aen. IV, 204 et VIII, 275, horum nulla auctoritas est: nec maior Pomponii Sabini, qui sane ad Aen. I, 392 istum Martis filium Medium Fidium, pro Modio Fabidio, dicit. — Audacissimas coniecturas nuper protulit Th. G. M. Pfund, De antiquissima apud Italos fabae cultura et religione. Berol. 1845.

49) Hist. Rom. I p. 386 not. 871.

50) Vid. Varro ap. Dionys. II, 48 extr. Fest. Paul. s. v. Curis et Curitim p. 49 Muell. et s. v. Coelibaris hasta p. 63. Macrob. Sat. I, 9 p. 248. Serv. ad Verg. Aen. I, 292. Plutarch. Rom. c. 29. Quaestt. Rom. c. 87.

stati, bellatores sint. Hinc etiam Curitios, et breviore forma Curtios dictos esse manifestum est: et Curtium Sabinum bellatorem modo memoravimus. Neque Curiatios facile quisquam ab his segregare volet, etiamsi nomen non ex ipso illo curis sed ex alio eiusdem stirpis vocabulo, velut a curia, factum videri possit[51]). Sabinum autem hominem Curiatium Antronem ex Plutarcho novimus, eum, qui Servio Tullio regnante hostiam insolitae magnitudinis in Aventino sacrificaturus erat pro populi sui imperio[52]). — Horatios autem si non diversos ab Hostis vel Hostiis esse dicam, ridebunt, sat scio, qui nihil nisi externam vocabulorum speciem intueri soliti sunt: eos tamen, qui formarum varietates ad stirpem suam cer- 13
tasque leges revocare didicerunt, facile mihi assensuros esse spero. Nam s et r quam cognatae inter se et quam saepe permutatae sint, nemo ignorat, quamobrem inter Hostum et Hortum non plus interesse apparet, quam inter Fusium et Furium, Mascellum et Marcellum[53]). Intellexerunt autem dudum viri doctissimi[54]), hostem, unde est Hostus, eiusdem stirpis esse, cuius est foris, siquidem veteres pro hoste fostem dixerunt, ut fircum pro hirco, fedum

51) Nam curiam a cura dictam, quod multis olim, et nuperius etiam Hortungio placuit, de rel. Rom. II p. 39, recte negarunt peritiores, velut W. Humboldt, opp. II p. 128. Institutionem curiarum Sabinam esse vel ex fabula colligas de nominibus curiarum a mulieribus Sabinis, quamvis haec ipsa levissima sit: nomen quominus cum curis cognatum credamus, diversam primae syllabae quantitatem vix obstare puto. — Ionum et Quirinum (h. e. Curinum) et Curiatium dictum novimus, quem Klausen. Aen. u. d. Pen. II p. 714 ad curias pertinere credit; Iunonique Curiti in curiis sacra facta esse constat. Vid. Fest. s. v. curioles mensae p. 64, cf. s. v. Quiritis, p. 254 a. 27 et Dionys. II, 50, ubi *Κυριτίδι* pro *Κυριτίᾳ* rescribendum esse apparet. Nam Curiatium Iunonem, quam Hartungius II p. 40 et 42 ex hoc loco confinxit, adeoque, p. 72, a Curiti distinxit, Dionysius non *Κυριτίαν* sed *Κοριατίαν* dixisset, cf. III, 13 sqq. et 22. — Lictores curiati s. curiatii in inscriptionibus inveniuntur ap. Orell. no. 2922 et 3217. Cf. Th. Mommsen. in Mus. Rhen. a. 1847. p. 4 et 23. — Curiatium Horatiae sponsum schol. Bob. ad Cic. or. pr. Mil. p. 277 Or. praenomine Attum fuisse scribit, quod et ipsum Sabinum vocabulum esse Valer. Max. de nom. p. 631 testatur. Cf. Liv. II, 16, 4 c. intt.

52) Plut. Quaestt. Rom. c. 4, qui Iubam auctorem citat. Ipsam historiam, sed celato nomine, etiam Livius habet I, 45, 6.

53) Cf. Schneider, gramm. lat. I p. 342. Inscr. ap. Gruter. 111, 2, cf. Gutberleth. de Sal. p. 156.

54) Vid. Doederlin. Etym. et synon. IV p. 393.

pro hedo s. hoedo, in quibus omnibus labialis littera in meram aspirationem abiit[55]): alia autem eiusdem stirpis vocabula modo cum aspero spiritu, modo cum leni pronuntiabantur, ut hostium et ostium[56]), quod quidem rursus cum ora cohaerere apparet, quumque in foris et ora r litteram videamus, eandem etiam in illis huius prosapiae vocabulis, quae ab h incipiunt, comparere non mirabimur. Itaque quod Hostus, idem etiam Hortus est: hinc autem producitur altera forma, Horatus, quo nomine heroem quendam sive semonem fuisse legimus trans Tiberim in finibus Etruscorum prope silvam Arsiam[57]), inde haud dubie appellatum, quod in ora terrae et quasi in ostio et pro foribus collocatus erat easque tuebatur[58]). Hinc porro Horatiorum nomen derivatum est, ut stirpe ita significatione cum Hosto, Hostio, Hostilio coniunctum, ut iam appareat, Romanorum illos trigeminos Horatios non aliam ob causam appellatos esse, quam quod regis Hostilii milites essent, Curiatios autem Albanorum, quod Sabini tunc Albam haberent. Hosticum vero sive Hostilianum Romae imperium Etruscum fuisse intelleximus. Significatur itaque Horatiorum victoria nihil aliud, nisi Sabinorum apud Albanos imperium ab Etruscis, qui Romae imperarent, fractum esse: qui utrum solis populi Romani viribus an cum aliis Latii civitatibus coniuncti Albam everterint, satis discerni non potest, nisi quod tralaticiae narrationi hoc obstat, quod agrum Albanum, urbe eversa, haudquaquam omnem Romanorum factum esse videmus[59]). Ceterum post Albam dirutam aliquamdiu inter Latinos Romanosque de principatu foederis, sed leniter et nullo memorabili eventu, certatum esse unus ex histori-
14 cis Dionysius narrat[60]): nam Livius aliique nec certaminis huius

55) Vid. Schneider. l. l. p. 196.

56) Cf. Doederlin. tom. V. p. 215.

57) Dionys. V, 14. Cf. Cluver. Ital. ant. II p. 868.

58) Idem etiam Hartungio visum est, de relig. Rom. 1 p. 319.

59) Conf. Niebuhr. 1 p. 388, qui quum in ed. 2. p. 363 Albam a solis Latinis eversam, Albanos autem Romam fugisse ibique receptos suspicatus esset, postea hanc sententiam retractavit, Albamque a Romanis Latinisque coniunctis expugnatam esse statuit, quod sane probabilius est.

60) Lib. III c. 34: *Αἱ δὲ τῶν Λατίνων πόλεις Ῥωμαίοις ἐγένοντο τότε πρῶτον διάφοροι, οὐκ ἀξιοῦσαι κατεσκαμμένης τῆς Ἀλβανῶν πόλεως τοῖς ἀνῃρηκόσιν αὐτὴν Ῥωμαίοις τὴν ἡγεμονίαν παραδοῦναι. — Διὰ ταύτας μὲν δὴ τὰς αἰτίας συνέστη Ῥωμαίοις ὁ πρὸς τοὺς ὁμοεθνεῖς πόλεμος, προὔβη δὲ ἄχρι πενταετοῦς χρόνου, πολιτικός τις γενόμενος καὶ ἀρχαϊκός. οὔτε γὰρ ἐκ*

mentionem faciunt, neque omnino in foedere Latino Romam illo tempore fuisse memorant. Tamen accuratius apud Varronem hac de re scriptum fuisse ex eis coniicias, quae Festus de Oppii et Cispii montium nominibus refert[61]: „Oppius appellatus est, ut ait Varro rerum humanarum libro octavo, ab Opitre Oppio Tusculano, qui cum praesidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, quum Tullus Hostilius Veios oppugnaret, consederat in Carinis et ibi castra habuerat. Similiter Cispius a Laevo Cispio Anagnino, qui eiusdem rei causa eam partem Esquiliarum, quae iacet ad vicum patricium versus, in qua regione est aedis Mefitis, tuitus est." Nam subesse huic narrationi videtur foederis cuiusdam memoria, ex cuius lege, dum Romani externum bellum gererent, urbem eorum socii tuerentur, eiusque foederis fortasse etiam Hernici participes credebantur, si quidem horum iam tum Anagnia fuit. Ne Veiorum quidem oppugnationis ab historicis mentio fit, sed auxilia tantum Veientium contra Romanos Fidenatibus affuisse castraque eorum a Romanis capta esse traduntur[62]. — Denique etiam cum Sabinis bellum exortum esse memoratur[63]), qui de suis quosdam asylo receptos Romaeque retentos, h. e. non redditos exposcentibus indignati Romanos negotiatores ad Feroniam mercatu frequenti pignoris loco comprehenderint. De asylo non aliter atque in Romuli historia iudicabimus: ex occupatis a Sabinis oppidis multos Romam confugisse, quos illi persequuti, sed a Romanis repulsi sunt, florentibus tunc Romae Etruscorum viribus. Quae adiiciuntur de negotiatoribus comprehensis, de rebus utrimque repetitis, de proelio ad silvam Malitiosam, de pacis denique conditionibus, nemo sibi ex rerum fide certaque memoria tradi persuadebit.

Tantum de bellicis Hostilii rebus: iam de domesticis videndum est. Primum igitur regiae maiestatis insignia, sellam curulem, licto-

παρατάξεως ὅλοις τοῖς στρατεύμασι πρὸς ὅλα συμβαλοῦσι μεγάλη συμφορὰ καὶ φόνος ὁλοσχερὴς συνέβη, οὔτε πόλις αὐτῶν οὐδεμία πολέμῳ κρατηθεῖσα κατασκαφῆς ἢ ἀνδραποδισμοῦ ἢ ἄλλης τινὸς ἀνηκέστου συμφορᾶς ἐπειράθη. — Τοιγάρτοι ῥᾴδιαί τε καὶ οὐδὲν ἔγκοτον ἔχουσαι προθυμίᾳ τῶν Ῥωμαίων αἱ διαλύσεις ἐπετελέσθησαν.

61) S. v. Septimontio, p. 348, 29 Muell.

62) Liv. I, 27. Dionys. III, 23. 25 extr.

63) Liv. I, 30. Dionys. III, 32.

res duodecim, togam pictam atque praetextam tunicamque laticlaviam ab eo introducta esse plurimi auctores sunt [64]). Alii haec iam a Romulo, alii a Tarquinio demum Prisco usurpata perhibent: illud tamen inter omnes constat, exemplum ab Etruscis sumptum esse [65]), ut iam appareat causa, cur ad Hostilium potissimum, quippe primum Etruscae stirpis regem, a plerisque relata sint [66]). — Deinde auxisse urbem dicitur, Caelio monte multitudini ad habitandum assignato: idque Dionysius III, 1 iam statim regni initio, probabilius Livius I, 30 post Albam demum eversam Albanosque Romam transductos factum esse memorat. Montem illum, qui Querquetulanus olim dictus sit, alterum nomen ab Etrusco quodam duce exercitus, Caele vel Caelio Vibenna, accepisse omnes consentiunt: de tempore discrepant, quum alii Caelem Romuli, alii Tarquinii demum Prisci aequalem faciant [67]). Illud non ambigitur, ab Etruscis antiquitus hanc partem urbis habitatam

---

64) „Sutis coustat“ inquit Pliu. N. H. IX, 39 p. 632 Grou. Cf. Macrob. Sat. 1, 6 p. 228. Cic. de re publ. II, 17. Euseb. Chron. ad ann. 1343 p. 47 Scal. Aelian. H. A. X, 22, 2.

65) Praeter scriptores supra citatos ef. Liv. I, 8, 4. Sallust. Cat. c. 51, 38. Flor. I, 5, 6. Diodor. V, 40 aliosque, quos enumerare uibil opus est.

66) Huc pertinet etium quod dives Tullus ab Horatio dicitur, Od. IV, 7, 15: quippe qui „auctis regui opibus iu ultissimo maiestatis fastigio excelleutissimisque oruameutis decorutus fulserit:“ quae fere verba sunt Valerii Maximi, III, 4, 1, de boc ipso Tullo Hostilio. Apud Horatium tamen illud divitis vocabulum nou paucos adeo offeudit, ut corruptelam suspicarentur. Beutleius quidem puuper a poeta seriptum, alterum illud librariorum temeritate iuvectum credidit: imperitiores Tullum consecrarunt, divus reponeutes.

67) Alterum babeut Varro L. L. V, 46 p. 18. Dionys. II, 36. Fest. s. v. Caelius p. 44: alterum Imperator Claudius, tab. Lugd. I v. 21. Taeit. Auu. IV, 65. Fueruut etium qui Caelem et Vibeuuam fratres fuisse dicereut Veieutes. Fest. s. v. Tuseus vicus p. 355. Nomeu Vipiuni aliquoties in titulis Etruscis comparet, maxime Volsiniensibus, et Muellerus Etr. I p. 116 non diversum a Caele Vibeuna Lucumonem illum esse credit Romuli socium, quem Volsiniis Romam venisse ipse Dionysium II, 37 diceutem fecit, correcta loci seriptura, qua de re supra dictam est, not. 32: quamquam quod hunc Romuli aequalem fecerint, minus probabile esse, quam quod Claudius tradidit, vixisse eum Tarquiuio regnante. Id mibi quoque verius videtur propter certas quasdam ratioues, quas expouere longum est ueque buius loci. Lucumo tameu ille Romuleus, etiamsi fortasse a nounullis cum Vibenna coufusus, nequaquam tamen et ipse in Tarquinii tempora retrabi debebit, sed compoui potius cum Hosto Hostilio, quemadmodum supra proposui.

esse: quamobrem Albanos quoque, qui sedem in Caelio acceperint, huius maxime gentis fuisse perquam credibile est, siquidem, ut supra dixi, Etrusci etiam Albae cum Latinis et Sabinis habitarunt. Ac Sabinos quidem, urbe diruta, probabile est ad suos potissimum et in eas urbes migrasse, quas tunc Sabini tenebant, Latinos item in Latinorum urbes, Etruscos autem Romam, Hostilii tunc, h. e. Etruscorum potestati parentem: et possit, si quis omnia in fabulis sibi interpretanda sumat, etiam genere supplicii, quo dux Albanus affectus sit, hanc populi Albani dispersionem significatam credere: nam membra eius illigata curribus et in diversum equis concitatis discerpta esse dicuntur. Romae autem rex ipse Hostilius in Caelio, h. e. in Etrusca urbis regione habitasse fertur[68]): quamquam etiam in summa Velia domum eius fuisse volunt[69]), prope montem Palatinum: neque mirum regi, qui non uni tribui, sed universo populo imperaret, etiam regias in singulis tribubus assignari.

Saepsisse porro Hostilius comitium dicitur, curiamque aedificasse, cui perdiu posthac Hostiliae nomen a conditore mansit[70]). Antea igitur senatus aliis in locis considere solitus erat, eam autem, quae usque ad Sullam perduravit, curiam veterem fama ferebat illo tempore conditam esse, cum Hostilius regnaret, h. e. cum summo in civitate loco Luceres essent, quod cur in dubium vocetur nulla causa est. Senatum quoque eodem tempore auctum esse memorant, allectis in patres gentibus aliquot Albanis, Iuliis, Serviliis, Quinctiis, Geganiis, Curiatiis, Cloeliis, Maeciliis[71]). Nomina et numerum nemo facile praestabit:
neque solos Albanos ab Hostilio in patres allectos crediderim, sed 16
multo plures. Nam si verum est, quod plerisque hodie placet, senatores

68) Liv. I, 30, 1.

69) Varro ap. Non. XII, 51 p. 531 Merc. Cic. de re publ. II, 31. Solin. p. 2.

70) Cic. de re publ. II, 17. Varro L. L. V, 155 p. 60. Liv. I, 30, 2.

71) Hos Dionys. III, 29 et Livius I, 30, 2 nominant, nisi quod *Maecilios* Livius omittit, quorum nomen haud dubie in Dionysii *Metiliis* latet, cf. Patin. fam. Rom. p. 162. Pro *Iuliis* porro plerique codices Liviani *Tullios* habent: fierique potest, ut Livius ipse utrosque scripserit. Nam quod Tullii etiam in Volscis et, ut videtur, Corniculi antiquitus fuerunt, non obstat, quominus Albae quoque fuisse credantur. *Iulios* etiam ante Albam eversam Romae fuisse narratio de Iulio Proculo docet, Liv. I, 16, 5: scilicet pars gentis sub Romulo in novam urbem migrasse, pars remansisse Albae credebatur. Similiter de Geganiis statuendum, siquidem Gegania Vestalis iam sub Numa memoratur, Plut. Num. c. 10.

aliquando duarum tantum tribuum fuisse, Ramnium et Titium, quid probabilius, quam tertiae tribui hoc ius ab eo rege impertitum, qui ipse ad eam pertineret? Ac si recte statuunt viri doctissimi [72]), ex hac tribu eos fuisse, qui patres minorum gentium appellantur, hos ipsos ab Hostilio allectos esse unum certe auctorem habeo, quamvis levissimum et quem suppudeat producere, sed qui possit tamen fortasse meliores secutus videri. Nam personatus ille P. Victor, cuius regionarium urbis habemus, in regione secunda regiam Tulli Hostilii memorans, templumque in curiam, ut ait, redactum, additos a Tullo senatui patres minorum gentium esse scribit [73]). Plerique sane hos a Prisco Tarquinio allectos volunt: sed quum Hostilii non minus quam Tarquinii regnum praevalidas Lucerum sive Etruscorum opes significet, utriusque regis memoriam passim confusam esse nemo mirabitur; rem autem ipsam reputanti veri similius videri debebit, Luceres ab Hostilio, quam a Tarquinio demum patriciatu et senatoria dignitate auctos esse.

Etiam equitatum Hostilius auxisse dicitur, decem turmis ex Albanis lectis [74]), qua de re quid statuendum sit, difficile dictu est. Nam nihil equitum Romanorum antiquissima conditione obscurius est, et saepe equidem miratus sum viros doctissimos, qui de eorum aut numero aut descriptione quidquam ante Servium Tullium investigari a se posse speraverint. Mihi hoc unum constare videtur, tres fuisse antiquitus equitum centurias, Ramnium, Titium, Lucerum, in binas quamque partes, primos et secundos, a Tarquinio, ut aiunt, discretas: quot autem in singulis centuriis homines, quae turmarum ratio fuerit, neque disci ex veterum testimoniis, neque exputari argumentis hodie potest. Fama autem ferebat tres illas centurias iam a Romulo institutas, sed post hunc per longam sub Numa pacem dissolutas esse [75]): Hostilium,

72) Satis est Niebuhrium laudare, quem ceteri sequuti sunt, Hist. Rom. 1 p. 335—338.

73) In Graevii thesaur. A. R. tom. III p. 100: „Regia Tulli Hostilii — templumque, quod is in curiam redegit ordine a se aucto (haec ex Livio sunt) h. e. patribus minorum gentium.“ Manifestus falsarii error in eo, quod curiam Hostiliam in regione II s. Caelimontana collocat.

74) Liv. I, 30, 3.

75) Hoc est enim quod Plutarchus Num. c. 7 et eius compilator Zonaras VII, 3, habent: *παραλαβὼν δὲ τὴν ἀρχὴν (ὁ Νουμᾶς) πρῶτον μὲν τὸ τῶν τριακοσίων σύστημα διέλυσεν, οὓς Ῥωμύλος ἔχων ἀεὶ περὶ τὸ σῶμα Κελερίους προσηγόρευσεν.* Nam celeres illi non alii sunt quam equitum tres centuriae, hosque

sicut omnem rem militarem, ita equitatum restituisse, moxque ex Albanis etiam auxisse. Quod autem Livius decem turmas adiectas scribit, huius numeri fides penes auctorem esto. Ceterum si Albani illi 17
aut omnes aut plerique Etrusci fuerunt, etiam Lucerum potissimum equitum centuriam auctam esse statuemus, quandoquidem fuisse haec iam antea et ab initio rei publicae perhibetur. Sed fieri potest, ut hoc ipsum posteriores demum commenti sint, vetus autem et genuina traditio Lucerum equitum institutionem non Romulo sed Hostilio tribuerit [*]).

Porro quaesturam, qui unus magistratus ordinarius post reges exactos in re publica omni tempore permansit, plerique a Tullo Hostilio institutam esse crediderunt. Docuit hoc Ulpianus libro singulari de officiis Quaestoris [76]): nam historici nostri rem silentio praetermittunt. Sed pertinent huc haud dubie, quae de Horatii iudicio memorantur creatisque a rege duumviris, a quorum sententia provocare ad populum damnato liceret [77]). Horatium enim, quum victis Curiatiis Romam rediret, sororem suam, quae desponsata uni ex Curiatiis fuerit, occurrentem sibi ad portam Capenam caedemque sponsi flebiliter conquerentem, gladio transfixisse, quumque raptus in ius ad regem esset, Hostilium, ne ipse tam tristis iudicii aut secundum iudicium supplicii auctor esset, concilio populi advocato duumviros creasse, qui Horatio perduellionem iudicarent, sed hac lege, ut condemnato provocatio ad populum concederetur. Usum hac lege Horatium, et deprecante crimen patre a populo absolutum esse; sed ut caedes manifesta aliquo tamen

---

Romulo pro satellitibus fuisse etiam Dionysius memorat II, 13. Qui duo celerum genera distinxerunt, aut alios equites alios celeres fuisse crediderunt, in quibus Livius I, 13, 8. 15, 8 et Plutarch. Rom. c. 13 coll. 26, in manifesto errore versantur. Cf. Plin. N. H. XXXIII, 2 p. 447. Fest. Paul. p. 55. Serv. ad Verg. Aen. XI, 603.

[*) Cf. Hertz. in Diurn. antiqu. ann. 1853 p. 185.]

76) Adscribam totum locum, ut excerptus est in Dig. I, 13, 1: „Origo Quaestoribus creandis antiquissima est et paene ante omnes magistratus. Gracchanus denique [namque?] Iunius libro septimo de potestatibus etiam ipsum Romulum et Numam Pompilium binos Quaestores habuisse, quos ipsi non sua voce sed populi suffragio crearent, refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo et Numa regnantibus Quaestor fuerit, ita Tullo Hostilio rege Quaestores fuisse certum est. Sane crebrior apud veteres opinio est, Tullum Hostilium primum in rem publicam induxisse Quaestores."

77) Liv. I, 26.

piaculo lueretur, imperatum patri, ut filium expiaret publica pecunia. A patre, piacularibus quibusdam sacrificiis factis, quae deinde genti Horatiae tradita sint, transmisso per viam tigillo, capite adoperto velut sub iugum missum iuvenem. Tigillum illud sororium vocatum, et per multa saecula publice semper refectum mansisse[78]). — Infinitum est referre, quot et quam diversae coniecturae de isto Horatii iudicio a viris doctissimis prolatae sint[79]), quum plerique, quasi in re satis testata vereque gesta, modo quaererent, quo iure propter parricidium in sorore commissum perduellionis reus fieri potuerit, modo duumviri illi fuerintne extra ordinem huius unius iudicii causa creati, an ordi-
18 narii, nec diversi a quaestoribus, qui rerum capitalium aut parricidii quaestores a veteribus quibusdam vocantur[80]). Scilicet ipsis veteribus nihil hac de re constabat, sed aliter alii opinabantur. Nam in Livii narratione plane dubitari non potest, quin extra ordinem duumviri creati sint: alii, quum quaestores ab Hostilio institutos dicerent, illos ipsos duumviros pro quaestoribus habuisse videntur. Utri verius, in huiusmodi re ne quaerendum quidem arbitror[81]), quamquam posteris quidem temporibus diversos semper a quaestoribus duumviros, illos annuos, hos extraordinarios et unius tantum iudicii causa creatos fuisse in confesso est. De perduellione autem sic statuo: Horatium, quum supplicium de sorore indemnata ipse sua manu sumpsisset, eaque caede et ius regis ac populi imminuisset, et piaculum non solum sibi sed universae civitati contraxisset, visum esse adversus ipsam rem publicam adeo deliquisse, ut perduellionis, non modo parricidii lege teneretur. Extabat autem haud dubie lex perantiqua de perduellione,

78) Non modo Livius l. l. §. 13, sed etiam Aurel. Victor de vir. illustr. 4, 9 et auctor Curiosi urbis Romae regionum (ap. Becker. Ant. Rom. 1 p. 713) in regione IV huius tigilli ut sua etiam aetate superstitis mentionem faciunt.

79) Vid., ut recentiores tantum memorem, Rubino, Untersuch. üb. röm. Verf. u. Gesch. 1 p. 310. 315. 490. Göttling, Gesch. d. Röm. Staatsverf. p. 159. Köstlin, die Perduellio unter den Röm. Königen, p. 57. Geib, Gesch. des Röm. Criminalrechts, p. 50. Wöniger, das Sacralsystem u. das Provocationsrecht d. Röm. p. 241. [Pfund, Rechtsalterth. p. 223 sqq. Ihne, Forsch. auf d. Geb. d. R. Verfass.gesch. p. 53 sqq.]

80) Fest. Paul. p. 221 et fragm. p. 258. Pompon. enchir. in Dig. I, 2, 2, 23.

81) Dionysius III, 22 in Horatiano iudicio neque duumvirorum neque provocationis mentionem facit, sed simpliciter regem, quum nec condemnare ipse nec absolvere Horatium vellet, rem populo permisisse, idque omnium primum populi iudicium fuisse.

quae et duumvirorum et provocationis mentionem haberet, eamque legem in regiis numerabant[82]). Hanc utrum ab Hostilio an prius iam latam Livius crediderit, ex eius verbis non satis liquet: quamquam veri similius fit, prius latam credidisse: sed qui auctorem Hostilium et quaestorum et, quod dubitari non potest, legis de perduellione crediderunt hoc permoti videntur, quod publici criminis et iudicii capitalis primum hoc Horatii exemplum in fabulosa historia inveniebant. Huius autem confingendi causa fuerat huiusmodi. Erat in urbe ara Iunonis, cognomento Sororiae, in angiportu, quo a Carinis in vicum Cyprium iter erat. Ad hanc aram sacra quaedam Iunoni fiebant, quorum procuratio genti Horatiae propria erat, sumptus publice erogabantur. Proxime aram in eodem angiportu tigillum erat duobus adversis parietibus immissum, qua parte ad aram adibatur, idque sororium dicebatur propter arae viciniam, adspectumque praebebat haud dissimilem iugi ignominiosi, sub quo victos hostes transmitti moris erat[83]). Sub
hoc igitur transire Horatios necesse erat, sacra illa facturos, capite, ut 19
videtur, velato: eaque causa fuit comminiscendi criminis alicuius adversus sororem commissi, quod sacris piacularibus Sororiae deae oblatis et hoc sacrificantium transitu sub tigillo expiaretur. Iam vero quum in propinquo etiam Iani ara Curiatii esset, cnius nomen non posset non Albanorum Curiatiorum admonere, hinc facillime nata coniectura est, et nomen Iano ab isto trigeminorum certamine impositum,

82) Hinc desumpta apud Livium haec sunt: „Duumviri perduellionem iudicent. Si a duumviris provocarit provocatione certato: si vincent caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium.“ Mirifice Goettlingius l. l. p. 158 verba legis: provocatione certato, ita interpretatur, ut pro subiecto populum intelligi velit: „Du, Volk, sollst durch deine Stimme in der an dieb geschehenen Provocatio entscheiden.“

83) Dionys. III, 22: *ἔστι δὲ (τὸ χωρίον τοῦ ἁγνισμοῦ) ἐν τῷ φέροντι ἀπὸ Καρίνης κάτω τοῖς ἐπὶ τὸν Κύπριον ἐρχομένοις στενωπὸν, ἔνθα οἵ τε βωμοὶ μένουσιν οἱ τότε ἱδρυθέντες,* (scil. ara Iunonis Sororiae, et altera Iani Curiatii) *καὶ ξύλον ὑπὲρ αὐτῶν τέταται δυσὶ τοῖς ἀντικρὺ ἀλλήλων τοίχοις ἐνηρμοσμένον, ὃ γίνεται τοῖς ἐξιοῦσιν ὑπὲρ κεφαλῆς, καλούμενον τῇ Ῥωμαϊκῇ διαλέκτῳ Ξύλον ἀδελφῆς.* — Cyprium vicum Varro L. L. V, 150 a Sabinis ibi habitantibus appellatum ait boni ominis causa, quod cyprum sabine bonum dicatur. Ego hanc partem urbis ab Etruscis potius quam a Sabinis habitatam crediderim, vicumque a Cupra appellatum, h. e. a. Iunone, quam Cupram Tyrrhenorum sermone vocatam esse Strabo V p. 241 testatur. Cf. Mueller. Etr. 2 p. 47.

et Horatium illum, qui piaculum in sorore commississet, eundem esse, qui cum Curiatiis depugnasset.

Reliqua Hostilii instituta ad religiones pertinent. „Constituit enim“, ut Cicero ait, de re publ. II, 17, „ius quo bella indicerentur, quod per se iustissime inventum sanxit fetiali religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque impium iudicaretur.“ Observatum ab Hostilio ius fetiale etiam Livius et Dionysius significant in belli Albani historia[84]), institutum autem Dionysius quidem, II, 72, ab Numa, alii contra ab Anco demum Marcio perhibent, Hostilii successore[85]), quibus ipse etiam Livius, I, 32, fidem hactenus saltem adiunxit, ut Ancum illud ius, quo posthac fetiales usi sint, ab antiqua gente Aequiculorum descripsisse tradat, pro eo scilicet, quod prius usurpatum fuerit. Apparet igitur tres diversas fuisse veterum sententias, pariter omnes incertas et in coniectura positas, in qua quid quisque sequutus sit, non difficile est ad perspiciendum. Commune ius fetialium omnibus in hac parte Italiae populis, Latinis, Sabinis[86]), Etruscis, iam antiquissimis temporibus fuisse norant: originem iuris primosque auctores quaerentibus Aequiculi se offerebant, quorum ipsum nomen populum iuris et aequi cultorem prodere videbatur. His itaque arreptis etiam regem quendam haud cunctanter produxerunt, Sertorem Resium, fetialis iuris conditorem[87]), quem non alio loco

84) Liv. I, 22. 24, 4. Dionys. III, 3.

85) Serv. ad Aen. X, 14. Aurel. Vict. de vir. illustr. c. 5.

86) De Sabinis negat Goettlingius, Gesch. der Röm. Staatsverf. p. 3, sed argumentis usus parum validis. Nam quod ait Titum Tatium ab historicis (Dionys. II, 51. Liv. I, 14) induci Laurentibus propter iniurias satisfacere recusantem, hoc quam vim habeat, quilibet sua sponte aestimabit. Porro ex Livii verbis I, 30, 4, quum utrimque, a Sabinis et a Romanis, iniurias factas resque nequidquam repetitas dicat, etiam Romanis ius fetiale incognitum fuisse efficias. Apud eundem VIII, 23 Samnites disceptationem iuris a Romanis propositam aspernati dicuntur, id quod potuerunt etiam salvo iure fetiali. Denique X, 12 iidem Samnites fetialibus Romanis denuntiant, ne quod in Samnio concilium adeant: alioquin haud inviolatos abituros. Cavent igitur, ne ab irata multitudine ius violetur: nihili aestimatum a se non sane produnt. Neque, opinor, facile veteres ius illud Romae ab Anco Marcio, Sabinae stirpis rege, introductum finxisset, nisi apud Sabinos itidem ut apud ceteros observatum esse nossent. Accedit quod ap. Liv. I, 24, 6 sub Hostilio fetialis est M. Valerius, quam gentem e Sabinis oriundam esse constabat.

87) Val. Max. de nomin. p. 629 Kapp. — Apud Aurelium Victorem l. l. hic Rhesus dicitur.

habendum esse, atque A. Agerium et Num. Negidium, celebratas apud ICtos personas, nemo non intelligit. Est enim Sertor Resius assertor rerum, qui res ab hostibus repetit. Resium ab eo quod est res vocarunt: Sertorem quam assertorem dicere maluerunt, ne nimis apertum commentum foret, et quoniam gens erat Sertoria, quod nomen a Sertore ductum videri poterat. Nonnulli autem pro Aequiculis Aequos Faliscos arripiebant[88]), ratione non diversa. Sed Romae hoc ius a Numa receptum ei dicebant, qui omnes omnino religiones ad hunc auctorem referre soliti erant. Alii bellorum indicendorum morem a bellicoso potius quam a pacifico rege ordinari debuisse iudicantes, pro Numa Hostilium posuerunt: rursus alii, Hostilium sibi plane totum bellicosum et a religionibus aversum informantes[89]), aptiorem rei Ancum Marcium censuerunt, regem belli pacisque artibus egregie mixtum et temperatum: alii denique diversas opiniones ita conciliare conati sunt, ut fuisse quidem Romae fetiales iam prius, sed ius eorum accuratius descriptum ab Anco dicerent.

Etiam Salios Hostilius instituisse dicitur, eos qui de colle, ubi sacrarium habebant, Collini vel Quirinales vel Agonenses vocabantur[90]), siquidem collis Quirinalis, non mons, olim dictus est, idemque Agoni nomen gessit[91]). Servius tamen ad Aen. VIII, 285, Quirinales hosce itidem ut Palatinos, quod fuit alterum Saliorum collegium, a Numa institutos scribit, ab Hostilio autem Pavorios et Pallorios, quorum nemo praeterea mentionem facit, ut equidem errorem subesse credam, ex Livii verbis male intellectis ortum[92]). Nam is I, 27, 7 bello Sabino Tullum in re trepida duodecim Salios vovisse narrat, fanaque Pallori ac Pavori. — Ceterum utriusque Saliorum collegii non plane easdem caerimonias fuisse suspicor, sed Palatinos Sabino, Quirinales Etrusco ritu operatos, eamque causam fuisse, cur alteros a Numa alteros ab Hostilio institutos plerique crediderint. Nam apud Etruscos quoque

88) Serv. ad Aen. VII, 695.

89) *Τοῦ δὲ δὴ θείου πάνυ καταφρονήσει παρημέλει.* Dio Cass. fr. XXI, et ex eo Zonar. Ann. VII, 6 p. 24 Bonn. — „Nihil ratus minus regium, quam sacris dedere animum.“ Liv. I, 31, 6.

90) Dionys. II, 70. Dio Cass. fr. XXI. — Varro L. L. VI, 14 p. 78.

91) Fest. Paul. p. 22. Fest. fragm. p. 254. De colle cf. Becker. Ant. Rom. 1 p. 563. 567 sqq.

92) Idem iudicavit Grauertus, Analect. litt. 1 p. 65.

hoc Saliorum sacerdotium fuisse vel hinc apparet, quod primus Morius, rex Veientium, instituisse Salios perhibebatur[93]).

De morte Hostilii duplex fama erat. Plerique enim retulerunt, Ancum Marcium, Numae ex filia nepotem, insidiatum diu Hostilio multisque sibi conciliatis, postremo sacrificii cuiusdam opportunitate usum manus regi intulisse, ipsumque cum omni familia interemisse. Id quum alii tradunt[94]), tum Pomponius Sabinus, cuius ad Vergil. Aen. VI, 817 haec verba sunt, ex integriore fortasse Servii commentario desumpta: „Ancus Marcius vivente Tullo aegre ferebat, quum e stirpe regia se iactaret, praelatum sibi Tullum. Itaque statuerat favore populari Tullum regem cum tota familia occidere." Videtur autem is, quem Pomponius auctorem habet, Ancum iam statim Numa mortuo de regno cum Tullo Hostilio certantem cogitasse: quod quum Tulli regnum XXXII, Anci autem XXIV annorum fuisse vulgo dicatur, admodum illo tempore adolescentulum Ancum fuisse
21 oportet, eaque fortasse causa fuit, cur alii patrem potius huius, Marcium, Numae Pompilii generum, de regni successione cum Hostilio certasse mallent. Nam ita rem Plutarchus refert[95]), addens insuper, Marcium, quum victus a rivali esset, inedia sibi mortem conscivisse. Universam fabulae significationem nemini obscuram fore arbitror: regnum Hostilii, h. e. Lucerum, a Marcio eiusque factione, h. e. a Titiensibus, aegre latum tandemque subversum esse. Alteram fabulam Livius retulit I, 31: Quum pestilentia civitas laboraret, et ipse quoque rex longinquo morbo implicitus esset, vulgoque homines eum statum rerum, qui sub Numa rege fuisset, requirentes, unam opem aegris corporibus relietam, si pax deorum impetrata esset, crederent, Hostilium, volventem commentarios Numae, quum ibi quaedam occulta sollemnia sacrificia Iovi Elicio facta invenisset, operatum his sacris se abdidisse: sed non rite initum aut curatum id sacrum esse, nec solum nullam ei oblatam coelestium speciem, sed

93) Serv. ad Aen. VIII, 285. — De diversis utriusque collegii ritibus cogitavit etiam Ambroschius, Stud. u. Andeut. p. 147 not. 63.

94) Dionys. III, 35. *οἱ πλείους*. — Cf. Zonar. VII, 6 p. 24. Etiam Vergilius, quum Aen. VI, 817 nimium gaudentem popularibus auris Ancum dicat, conciliatos ei multitudinis animos adversus Hostilium innuere videtur.

95) In vita Numae c. 21: *Μάρκιος — μετὰ τὴν Νουμᾶ τελευτὴν Ὁστιλλίῳ περὶ τῆς βασιλείας εἰς ἀγῶνα καταστὰς καὶ ἡττηθεὶς ἀπεκαρτέρησεν.*

ira Iovis sollicitati prava religione fulmine ictum cum domo conflagrasse. Ortam hanc fabulae formam ab eis esse interpretabimur, qui invidiam interempti decessoris ab Anco Marcio, rege iusto pioque, amoliri studuerint: neque admodum dissimiles de Romuli obitu narrationes esse apparet, qui quum et ipse interemptus ab adversaria factione crederetur, alii potius coelesti quadam vi de medio abreptum volebant; nisi quod hunc favor deorum, illum alterum ira Iovis sustulisse dicebatur.

Annos regnasse Hostilium aiunt duos et triginta[96]), quem numerum annorum pariter cum eo, qui superioribus duobus regnis adscribitur, saeculorum ratione finitum esse facile demonstrari potest. Erant enim saeculorum duo genera[97]), alterum naturale, quod terminabatur eius hominis morte, qui de his, qui eodem quo urbs constitueretur die nati essent, longissime aetatem egisset, alterum civile, quod constabat annis CX, cuius numeri causam, in intercalationum cyclo positam, hoc loco explicare nihil opus est[98]). Saeculares urbis Romae annos post reges exactos usque ad Augusti principatum in XVvirum commentariis hosce consignatos fuisse acepimus: CCLXXXXVIII — CDVIII — DXVIII — DCXXVIII[99]), a quorum primo si retro numeramus, deducimur in annos CLXXXVIII et LXXVIII. Hoc ipso anno LXXVIII Numa mortuus est, ex eorum quidem computatione, qui Romuli regno annos XXXVIII[100]), interregibus post huius mortem annum unum, Numae annos XXXIX tribuerunt[101]). Numa autem, ut natus esse dicitur ipso urbis die natali, ita morte sua primum urbis 22
saeculum naturale terminavit, quod cur non longius annis LXXVIII factum sit, scite Niebuhrius exposuit[102]). Iam ad civilis saeculi men-

96) Liv. I, 31 extr. Dionys. I, 35.

97) Vid. Censorin. de die nat. c. 17.

98) Sagaciter rem exposuit Scaliger de emend. temp. p. 180, quem mihi quidem Petavius, doctr. temp. II p. 73 sqq., et Idelerus, Chronolog. II p. 74 sqq., haudquaquam refutasse videntur. Cf. Niebuhr. H. R. 1 p. 305.

99) Censorin. l. l. cum O. Iahnii annot. ad p. 47, 7.

100) Plutarch. Rom. c. 29 extr. — In vita Numae c. 2 numerantur XXXVII anni, quem numerum etiam Livius I, 21, 6, Dionys. II, 56 extr., Cic. de re publ. II, 10 aliique habent. Cf. Niebuhr. l. l. p. 273.

101) Cic. de re publ. II, 14. De aliis apud alios numeris vid. Mai. ad h. l. et Niebuhr. p. 269.

102) L. l. p. 253. De Numae die natali vid. Plut. Num. c. 3. Dio Cass. fr. XX.

suram deerant anni XXXII: tot igitur Hostilii regno dederunt. Quindecimviri autem cur in consignandis annis saecularibus non ab ipso urbis natali, sed ab ann. u. c. LXXVIII, qui Numae extremus, Tulli Hostilii primus fuit, initium fecerint, certo sciri non potest[103]). Illud vero manifestum est, trium primorum regum tempora huic saeculorum rationi accommodata esse. Primi Ramnes et Tities in unius civitatis corpus coaluerunt: horum igitur regibus primum saeculum naturale assignatum: sed perfecta populi Romani concretio Luceribus demum in eiusdem civitatis ac iuris communionem receptis: idcirco Lucerum regi id tempus datum, quo civile etiam saeculum expleretur.

Reliquum est ut etiam de praenomine Tulli quid mihi videatur expromam. Veteribus quidem Tullos a tollendo dictos esse placet[104]), ut in quemvis puerum, quem parens tulerit, nomen hoc conveniat: sed ego potius ab eo ductum crediderim, quod est Turnus, unde Turnulus, hinc autem, elisa media syllaba, Tullus fieri eodem modo potuit, quo ex puero puerulus, puellus, pullus, e saturo saturulus, satullus: Turnum vero ex Turrino decurtatum, idque nihil aliud quam Tyrrhenum esse iam supra monuimus[105]). Haec

103) Non ex annalium fide sed ex ratiocinatione annos a XV viris designatos esse vel hinc apparet, quod ludos saeculares non istis annis, sed longe diversis temporibus celebratos esse constat. Vid. Taffin. de ludis saec. II, 2. Petav. doctr. temp. II, 76. C. F. Hermann, de loco Apollinis in Horat. carm. saec. (Götting. 1843) p 3. Et suspicetur aliquis fecisse eos hanc designationem in Augusti gratiam, idque maxime secutos esse, ut apte congruerent numeri ad eum annum, quo Augustus ludos saeculares facturus erat, DCCXXXVII, quem annum Orellius propterea electum esse coniicit, quod eo ipso primum decennium prorogati a senatu Augusto imperii praeteriisset. Sed statui tamen non minus probabiliter etiam sic potest, electum ab Augusto hunc annum propterea esse, quod ex XV virum rationibus didicisset, hunc esse, in quem, saeculorum intervallis recte observatis, ludi saeculares cadere deberent. Ita illi non propter Augusti ludos ad istum modum annos descripsisse videbuntur, sed dedisse hoc fortasse Numae regis honori, ut qui primus temporum rationem formamque annorum ordinasse crederetur. Accedit, quod de natali urbis anno minus constabat.

104) Valer. Max. de nom. p. 630.

105) P. 8. [25.] — Etiam apud Serv. ad Aen. I, 533, ubi Italus ex Sicilia ad Turnum regem venisse dicitur, Turnum apparet Tyrrhenum esse. — Turrinus cognomen fuit gentis Mamiliae. Vid. qu. cit. Klausen. Aen. u. d. Pen. II p. 1147 not. 2323. Mamilii autem Tusculo oriundi erant (Liv. I, 49) quam urbem Tuscorum s. Tyrrhenorum fuisse nomen prodit, neque dubitari potest cognomen illud in memoriam originis assumptum a Mamiliis esse. Ille apud Livium Mamilius prae-

si probabuntur, Tulli Hostilii nomine illud ipsum significari apparet, 23
quod omnis eius historia fabulosa nos docuit, regem his primis temporibus aliquem fuisse, qui quum ex ea parte populi esset, quae serius in civitatem recepta et a veteribus illis et primis Romanis tanquam peregrina habita esset, ab hac ipsa peregrinitate Hostilius, a gente autem, unde originem traheret, Tullus appellatus sit aut potuerit appellari. — Sed quoniam de nominibus dicere coepi, lubet etiam paullo longius exspatiari, et alia quaedam ab hoc argumento non aliena proferre. Primum igitur Tyrrhenorum nomen consentiunt nunc fere viri doctissimi ab eo ductum esse, quod est *τύρσις* s. *τύῤῥις*, latine turris [106]), quo vocabulo munimenta in altum assurgentia, ipsaque etiam oppida eiusmodi munimentis cincta significantur [107]). Talia

nomine Octavius est, quod gentis Octaviae nos admonet. Suspicor autem etiam huius gentis cognomen huc pertinere, quod vulgo Thurinus scribebatur, ut videretur ductum a Thuriis, quamobrem, ut Sueton. vit. Oct. c. 7 refert, Augusto hoc cognomen inditum a patre coniiciebant propter rem in agro Thurino adversus fugitivos bene gestam, aut etiam, quod ex pago Thurino familia orta esset, quemadmodum Antonius, ap. Suet. c. 2, Augusto exprobravit, avum eius in pago Thurino libertinum et restionem fuisse. Apparet nihil certi constitisse. Quid igitur, si proprie Turinus s. Turrinus fuerit, haeseritque in gente Octavia propter originem Tyrrhenam? Floruit enim antiquitus gens Octavia Velitris in Volscis (Suet. c. 1), Volscos autem olim Etruscis subiectos fuisse constat, ipsumque Velitrarum nomen cum Etrusco Velathri iam supra composuimus. Accedit quod Romam haec gens migrasse dicitur sub Tarquinio Prisco, h. e. sub rege Etrusco (Sueton. c. 1). Et Octavium nomen inter Etruscos usitatum fuisse, aliquot tituli docent, in quibus Utbtave scribitur. Vid. Lanzi Saggio II p. 381 et 383. — Tulli quoque nomen in aliquot gentibus Romanis pro cognomine usurpatum fuisse notum est, velut in Iulia, Maecilia et Volcatia, quemadmodum Tusci in Aquilia et Fabricia. Etiam gentilicium nomen Tulliorum a Tullo ortum esse apparet. Et Servium quidem Tullium Etrusci sibi vindicarunt, Mastarnam a suis dictum esse asserentes (vid. tab. Lugdun. I, 17—23.): Tullios Cicerones e Volscis oriundos novimus, apud quos Etrusci quondam dominabantur.

106) Wachsmuth. Alt. Gr. 1, 1 p. 308 ed. 1. Lepsius, die Tyrrhenischen Pelasger p. 12. Goettling. in Diar. archaeol. a Gerhardo edit. III, 18, Abeken, Mittelitalien p. 126, aliique multi.

107) Dionys. I, 26. Ita Lycophr. Cass. 717 *Φαλήρου τύρσιν* Neapolin dicit, et v. 1209 *Καλύδνου τύρσιν* Thebarum urbem, et v. 1273 urbem Romam *ὀλβίαν τύρσιν*. Orph. Argon. 154 *τύρσιν ἐρυμνῆς Μιλήτοιο*. Pertinent huc etiam *αἱ καλούμεναι ἐννέα τύρσεις* in Sicilia. Diod. XI, 38. Turres quoque a Latinis non raro urbes munitas dici notum est. Vid. Obbar. ad Horat. Ep. tom. 1 p. 203.

enim Tyrrheni praeter ceteros et, ut multis videbatur, omnium primi condiderant, ipsique nomen hinc acceperant. Et videmus etiam oppidis quibusdam in istum modum munitis nomina nihil nisi hoc ipsum significantia tanquam proprias appellationes inditas fuisse, ut Tyrrhae in Lydia, qua in terra olim Tyrrhenos habitasse plerique testantur [108]. Ceterum prima syllaba vocalibus varie mutata est, ut pro y etiam o et a compareant. Torrhebi certe in eadem Lydia vix a Tyrrhenis diversi videbuntur [109]), Torrhaque a Tyrrha non longius distat, quam a turre id, quod hodie ab Italis dicitur, torre. Etiam Tarrha urbs in Lydia fuit, itemque Cretae, proclivi vocalium permutatione [110]): neque Tarsum Ciliciae et Bithyniae [111]) diversae stirpis esse credo, non quasi has omnes urbes ab eodem populo conditas velim, sed quia radicem illorum nominum communem plurimis eiusdem nationis populis fuisse arbitror, qui urbes suas munitas Tyrrhas, Torrhas, Tarrhas, Tarsos ab re appellaverint. In Italia autem, ut turris pro τύρρις, ita pro Tyrrhenis Turrini s. Tu-
24 rini [112]) et brevius Turni dicebantur. Sed fuit etiam alia einsdem nominis declinatio Tursicus s. Turscus, qua Umbros usos esse tabulae Eugubinae demonstrant [113]). Hinc transpositis litteris Truscus et addita in initio vocali Etruscus, elisa autem r littera Tuscus prodiit, quas formas Latini maxime usurparunt. Denique etiam Tyrrhi nomen commemorandum est, propter fabulam, de qua mox dicturus sum: nam hoc quoque a Tyrrheno non diversum esse omnes facile concedent. Altera autem eiusdem radicis forma, quae a vocalem habet, primum in urbium quarundam nominibus comparet,

108) Muellero, Etr. I p. 80, gentis nomen ab hac ipsa urbe derivanti recte Lepsius l. l. aliique obloquuti sunt. Verius genti et urbi nomina eiusdem significationis ab re indita fuisse dicemus. — De Tyrrha urbe cf. Schneidewin. Coniect. crit. p. 133.

109) Cf. Mueller l. l. In lex. Seguer. Bekk. p. 452, 3 *Τύρρηνος Λυδὸς* dicitur, qui Plutarcho de mus. c. 15 *Τόρρηβος* est.

110) Cf. Steph. Byz. s. v. p. 269 West.

111) Steph. Byz. l. l.

112) Illa verior, haec antiquior scriptura est, siquidem antiqui, ut ait Fest. s. v. torum, nec mutas nec semivocales litteras geminabant. Cf. Quintil. I, 7, 14 et all. ap. C. Schneider, Gramm. lat. I, 2 p. 394 sqq.

113) Tab. Ib, 17: Turskum numem. VIIa, 12: Turske nomne. Sed in eisdem tabulis etiam Tursa (IV, 19. VIIa, 41. 53.) et Tusker, Tuskom extat VIIa, 12. VIb, 58 et alibi.

Tarracina in Volscis, quorum agrum olim a Tyrrhenis possessum esse constat, et Tarracone in Hispania: nam Tyrrhenos, quum maritimis opibus pollerent, etiam in Hispaniam colonias deduxisse pro certo affirmari potest, testaturque Diodorus V, 20, eos Gadibus quoque potituros fuisse, nisi Carthaginienses obstitissent [114]). Deinde pertinent ad illam formam virilia nomina complura, Tarchon, qui Tyrrheni aut frater aut filius fuisse dicitur multasque in Italia urbes condidisse [115]), Tarchetius, quo nomine Albanum regem, pro Amulio, Graecorum fabulae ferebant, et Tarrhatius, Tarchetii famulus, cui ille gemellos exponendos dedit [116]). Hos Latini Tarquitios, Tarchonem autem Tarquinum aut Tarquinium dixissent, ut urbem ab eo aut ab eius filio conditam Graeci *Ταρχώνιον*, illi Tarquinios appellarunt [117]). Oscorum autem et, ut opinor, Sabinorum lingua, quae labialem tenuem pro gutturali pronuntiare in multis vocabulis solebat, Tarpitium ex Tarquitio, Tarpinium ex Tarquinio fecisset. Et hoc ipsum Tarpinii nomen extat apud Tzetzen [118]) in regum Romanorum enumeratione, ex Graeco aliquo scriptore ab eo, quem Tzetzes compilavit, desumpta, qui a Campanis hanc formam accepisse videri potest. Iam vero etiam Tarpeium

---

114) Hioc etiam de Sagonto haudquaquam iucredibile est, quod veteres plerique tradont, Rutulorum honc eoloniam fuisse, siqoidem Rutulos quoque Tyrrhenis accousendos esse supra vidimus. Cf. Niebuhr. H. R. 1 p. 50.

115) Strab. p. 354. 5. Sil. Ital. VIII, 473. Lycophr. Cass. v. 1239. Soliu. c. 2. Eustath. ad Diouys. v. 347. Steph. Byz. s. s. *Ταρχυνία* et *Ταρχώνιον*. Serv. ad Aeo. X, 166. 179. Heyne Excurs. III ad Aeo. VIII p. 291.

116) Plotarch. Rom. e. 2.

117) Etruseas formas Tarchu, Tarebisa, Tarehioa, Tarchoa, Tarchava, ioscriptiooes offeruut. Vid. Lanzi III uo. 293. Micali, storia degli antichi pop. d' Italia I p. 116. et tab. CXVI, 6. Vermiglioli ant. iuse. Etr. I p. 345: plurimosque titulos, qui Tarehuas habeaut, uuper Caere effossos esse retulit E. Gerhardus iu eousessu soc. arch. Berol. d. 3. Ioo. huius aoui.

118) Ad Lycophr. v. 1446 p. 1044.: *Ῥωμύλος, εἶτα Πομπήϊος λίος, τρίτος, Ὀστίλλιος Ἄπυς, τέταρτος Μάκρος Ταρπίνιος, πέμπτος Ὀρπίνιος, ἕκτος Ταρπίνιος Τούλλιος.* Pro *Ταρπίνιος* primo loeo etiam *Καρπίνιος*, altero loco *Ταρκύνιος* scriptum est. *Ὀρπίνιος* quoque ex *Ταρπίνιος* corruptum esse upparet. Fucile haec omnia ad vulgatae traditioais modum refiugi possiut, ut *Πομπήϊος λίος* fiat *Πομπίλιος*, *Ἄπυς* post *τέταρτος* traospouatur couiongaturqoe cum *Μάρκος*, et sie porro. Sed abstiuendum huiusmodi eorreetionibus esse ipse Tzetzes mouet, omuibus, praeter Romulum, plus uoo oomine fuisse diceus.

25 eiusdem stirpis esse apparet[119]), quod nomen quum monti nobilissimo imponitur, nihil aliud quam Etruscorum olim hunc montem fuisse significat, cuius rei etiam alia indicia sat multa supra cognovimus. Quid? quod etiam alterum nomen, Capitolium, ab Etrusco quodam illi monti impositum esse dicitur. Nam quum Tarquinio regnante fundamenta templo ponerentur, caput humanum integra facie apparuisse, idque fuisse Oli s. Auli cuiusdam Vulcentani[120]). Erant autem Vulcentani, qui et Volcentini et Volcientes dicuntur, Etruriae populus, et Auli quoque nomen apud Etruscos haud infrequens fuisse inscriptiones multae docent[121]). — Sed redeo ad Tarrhatium, Tarchetii regis ministrum, cui gemellos ad exponendum datos esse memoravi. Idem ministerium Romanorum fabulae Faustulo demandabant, aut inventos saltem et servatos ab eo pueros narrabant[122]). Nomen huic ab re inditum videri possit, quod faustam salutaremque opem parvulis tulisset: sed mihi perquam probabile fit, veram et genuinam formam Fostulum fuisse, quae servata est in gentis Pompeiae cognomine[123]), Fostulum autem a Fausto non modo pronuntiatione, ut Olum ab Aulo, plostrum a plaustro, lotum a lauto, sed ipsa stirpe et origine diversum, et cum Hosto, Hostulo, Hostilio coniunctum. Nam quum hostem veteres fostem dixerint, id quod iam supra memoravimus, consentaneum est, etiam ducta inde nomina cum eadem labiali aspiratione pronuntiata esse, ut qui Hostulus, idem Fostulus esset. Iam vero Hosti-

119) Intellexerunt hoc etiam alii, velut Grotefend. de geogr. et hist. vet. Ital. 3 p. 30, et Schwenck. in Museo Rhen. ann. 1842 p. 444, quamquam is iusto longius progreditur, et posteaquam litteris transpositis ex Tarquiniis Traquinios fecit, hoc nomen cum Graeco τραχύς cognatum esse statuit.

120) Serv. ad Aen. VIII, 345. Arnob. adv. gent. V, 7.

121) Apud Lanzium tom. II p. 282. 351. 362. 374. 378. 384. 401. 428. 514. 547. Gentis Auliae apud Romanos cognomen Ceretanus fuit (Liv. IX, 15, 11), haud dubie ab oppido Etruriae. Etiam Auletes, Perusiae conditor, huc pertinet. Serv. ad Aen. X, 198.

122) Tzetz. ad Lycophr. v. 1232 p. 975. Liv. I, 4, 6 aliique quos citare supervacaneum est.

123) Vid. Patin. Famil. Rom. p. 222, ubi repraesentatur denarius S. Pomp. Fostuli, signatus imagine lupae cum gemellis sub ficu ruminali, adstante Fostulo pastore. Cf. Eckhel. tom. V. p. 280, ubi cognomen Fostlus scriptum est. Nomen Pompeium etiam in Etruscis usitatum fuisse probant tituli, in quibus Pumpu et Pumpui leguntur, ap. Lanzium tom. II p. 419 et 444.

lium regem Etruscum h. e. Tyrrhenum fuisse demonstravimus: licebit igitur Hostulum quoque seu Fostulum pastorem eidem genti vindicare, quum praesertim, ne de Tarrhatio dicam, cuius gentem nomen arguit, etiam Tyrrhum habeamus, Tyrrhenum manifestissimum, eundemque pastorem regii pecoris, apud quem Lavinia latitavit [124]), itemque pastores Tusci fuisse dicantur, qui cum Latinis in Romuli asylum confugerint [125]), ipsum denique Tullum Hostilium in agresti tugurio enutritum et in pecore pascendo occupatum fuisse legamus [126]). Haec omnia indicia eo nos deducunt, ut plebem in hac 26
parte Latii rusticam et pastoriciam fuisse statuamus Etruscae originis, ac proin peregrinorum loco a Latinis habitam, inferiorisque in civitatibus conditionis, donec mox, incertum quibus modis, maiores opes summamque adeo potestatem nacta sit, id quod etiam Romae evenisse Tulli Hostilii historia, quamvis fabulose exornata, satis tamen luculenter demonstrat.

Scrib. Gryphiswaldiae d. XXVIII m. Iun. MDCCCXLVII.

---

124) Cf. Verg. Aen. VII, 485, ubi vulgo Tyrrheus scribitur, Serv. ad h. l. idemque ad VI, 760. I, 270, ubi vulgo Tyrus est. Dionysius hunc, I, 70, *Τυρρηνόν τινα συοφορβῶν βασιλικῶν ἐπιμελητὴν* dicit.

125) Flor. I, 1, 9.

126) Valer. Max. III, 4, 1.

DE

ROMANORUM ANNO SAECULARI AD VERGIL. ECL. IV.

3 De quarta Vergilii ecloga, quae Cn. Domitio Calvino II. C. Asinio Polione Coss. a. u. c. DCCXIV scripta est, consentiunt hodie interpretes, gratulari eo carmine poetam Polioni consuli filium eodem anno natum: huic autem gratulationi ut spem ac praedictionem contexeret felicioris temporis ab hoc ipso anno pueri natali initium habituri, duabus eum rationibus permotum esse, primum quod pace Brundisina nuper inter Octavianum et Antonium composita, — in qua componenda ipsius Polionis haud minimae partes fuerant, — sperari posset fore ut orbis Romanus longis bellis civilibus fessus ac laceratus tandem aliquando requiesceret ac recrearetur, deinde quod ferrentur eo tempore vaticinia partim Sibyllina partim alia, quae instare magnam quandam conversionem rerumque omnium mutationem in melius pollicerentur. De his igitur duabus rationibus quoniam satis inter omnes constat, nolo nunc repetere quae nullo negotio ex Heynii, Vossii aliorumque commentariis cognosci possunt; sed unam meam vel observationem vel coniecturam expromere placet, leviusculam illam quidem, sed ab hoc ipso quod cum maxime agimus tempore suppeditatam, ideoque ab huiusmodi temporaria scriptione non certe alienam. Sunt quidem etiam alia, quae facile alicui in mentem veniant hoc tempus cum illo quo ecloga Vergilii scripta est comparanti: pax, ut tunc Brundisii, sic nuper Parisiis composita, quae utinam firmius quam illa Brundisina perduret, filiusque, ut tunc Polioni consuli, sic nunc imperatori Napoleoni natus, cuius fau-
4 stissimo augurio non eos solum, quorum ille rem publicam gubernat, sed omnes laetari fas sit, qui eius rei publicae statum firmum et inconcussum servari cupiant; sed haec atque talia persequi neque huius

loci nec meae personae esse intelligo. Continebo me igitur intra unam illam coniecturam nullo modo politicam, sed pure grammaticam, neque ex universi temporis rerumque publicarum contemplatione ductam, sed ex re nostrae universitatis propria et quasi domestica. Instant enim huic universitati saecularia sacra post paucos menses celebranda: saecularia sacra etiam Romae instabant, aut videbantur instare, quum Vergilius hanc eclogam scriberet, eamque poetae causam fuisse aio, quo magis tali potissimum genere gratulationis apud consulem uteretur, novique ac melioris saeculi speratum exordium cum pueri Polionis natalibus connecteret.

Obstare quidem huic coniecturae illud fortasse videbitur, quod proxima Romae saecularia non statim proximo post Polionis consulatum tempore, sed post duos et viginti demum annos celebrata sunt, a. u. c. DCCXXXVII; sed facillime hoc a me removeri posse spero. Etenim satis constat, de iustis saecularium temporibus, adeoque de saeculi ipsius magnitudine, haudquaquam unam apud Romanos certamque omnium sententiam fuisse, sed aliud aliis verum visum. Claudius quidem imperator, homo quamvis fatuus minime tamen indoctus, illa anni DCCXXXVII saecularia anticipata ab Octaviano nec legitimo tempori reservata esse dixit[1]), ideoque ipse ea instauravit a. u. c. DCCC, sequutus scilicet de anno urbis conditae Varronis rationem doctissimis quibusque probatam, de saeculi autem mensura non dissentiens a vulgari usu loquendi: nam vulgo centum annorum spatium eo nomine appellatum esse satis constat[2]). Sed hoc centum annorum saeculum 5 a Censorino civile dicitur, distinguiturque hoc vocabulo a naturali, cuius quae ratio fuerit ex Etruscorum libris ritualibus exponit. Quo die, inquit, urbes atque civitates constituerentur, de his qui eo die nati essent eum qui diutissime vixisset die mortis suae primi saeculi modulum finire, eoque die qui essent reliqui in civitate, de his rursum eius mortem, qui longissimam aetatem egisset, finem esse secundi saeculi. sic deinceps quoque tempus reliquorum terminari; sed ea quod ignorarent homines, portenta mitti divinitus, quibus admonerentur unum quodque saeculum esse finitum.

1) Sueton. Claud. c. 21.

2) Cf. Varro de l. l. VI, 11 p. 76. Mueller. Festus Pauli p. 328. M. Censorin. de die nat. c. 17 p. 45 et 49 Jahn.

Apparet igitur hoc naturale saeculum, etiamsi nonnunquam fortasse longius, plerumque tamen civili brevius fuisse, quandoquidem raro hominum aetas centesimum annum attingit. Sed fuit praeterea tertius quidam saeculi modulus, non incertus ille et varius, ut naturalis, sed certus ut civilis, hoc tamen decima parte longior: nam constabat annis CX. Atque hunc saeculi modulum XVviros Octaviani tempore in saeculorum urbis Romae computatione sequutos esse Censorinus aliique scriptores memorant; ante Octavianum tamen in saecularium ludorum celebratione neque hunc modulum observatum esse videmus, neque quaenam alia ratio observata sit ex dissentientibus scriptorum relationibus perspici potest. Nam quum primi ludi saeculares anno post reges exactos, qui fuit ab u. c. CCXLV, a Valerio Publicola instituti esse dicantur, secundos Zosimus quidem, si vulgatam lectionem sequimur, a. u. c. CCCLII actos esse scribit [3]), sed Censorinus post illos primos,
6 quos Publicola instituerat, nullos ante annum u. c. CDVIII ab annalium scriptoribus memoratos invenisse videtur, apud Festum autem centesimo demum secundo et nonagesimo post illum anno instaurati esse dicuntur, Popillio Laenate consule, hoc est a. u. c. CDXXXVII [4]). Tertios Censorinus memorat P. Claudio Pulchro L. Iunio Pullo Coss., hoc est a. u. c. DV, eorumque testes Valerium Antiatem et Livium citat. De quartis diversam fuisse ait eorundem et Varronis relationem ab ea, quam Piso Censorius, Cn. Gellius et Cassius Hemina, temporum illorum aequalis, tradiderint: ab his enim ludos a. u. c. DCVIII, Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico Coss. actos esse perhiberi, ab illis contra tribus ante annis, hoc est a. DCV, L. Marcio Censorino M'. Manilio Coss. Haec tanta dissensio nec fidem scriptorum in saecularium

3) Lib. II. c. 4: *M. Ποτίτου τὸ τέταρτον ὑπατεύοντος*. Consulem dicit excusabili negligentia pro trib. mil. cons. pot. Sed fortasse ne verum quidem est Potiti nomen: nam in codd. est *Ποπλίου*; illud alterum Leunclavius e coniectura posuit. Scriptum fuit fortasse *Ποπιλλίου*, quemadmodum Panvinius voluit. Sic autem pugnat haec consulis designatio cum eo, quod paullo ante dictum est, hos ludos a. u. c. CCCLII editos esse: nam Popillius quartum consul fuit a. u. c. CDVI. Statuendum igitur erit illam anni designationem ab interpolatore esse, ut alia quoque interpolationis indicia in hoc loco manifesta sunt, de quibus mox dicetur. Nunc hoc unum addo, illum ipsum numerum CCCLII haudquaquam certum esse, siquidem in duobus codd. pro eo est DII.

4) Non tamen certa est loci lectio, cuius maior pars Ursini supplementis debetur. Lachmanni sententiam acutissime excogitatam vid. ap. Jahn. ad Censorin. p. 47.

commemoratione certam fuisse, nec de vera saeculorum mensura quidquam ex eis confici posse demonstrat, ut assentiatur fortasse aliquis Censorini indicio, qui saeculares ludos non eo dictos esse putat, quod saecula disterminarent, sed quod plerumque semel fierent hominis aetate, ut multa alia, inquit, quae rara sunt, post saeculum evenire loquentium consuetudo usurpat. Recte igitur fecerunt Octaviani tempore XVviri, quod nihil curantes incertam anualium memoriam satis habuerunt eos annos notare, qui ob veram ipsisque perspectam rationem saeculares esse debuissent, sive actos tunc ludos saeculares sive non actos comperissent. Ratio autem eiusmodi erat, ut decimo quoque et centesimo anno saeculares ludos repeti oporteret, eumque annorum numerum et XVvirorum commentariis et Octaviani edictis Censorinus 7
testatum vidit, nosque Horatii carmine saeculari testatum legimus, quo dei invocantur,

> certus u n d e n o s d e c i e s per annos
> orbis ut cantus referatque ludos.

Praescriptum autem Romanis hunc CX annorum orbem Sibyllinis vaticiniis fuisse nemo tradidit praeter Zosimum [5]), scriptorem Graecum quinti aut sexti p. C. n. saeculi, non plane illum quidem contemnendum, sed superstitiosum et plus iusto credulum, qui ipsos etiam Sibyllae versus apposuit, unde rem manifestam fieri putaret:

> *ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι*
> *ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων,*
> *μεμνῆσθαι, Ῥωμαῖε, — καὶ οὐ μάλα λήσεαι αὐτῶν* [6]), —
> *μεμνῆσθαι τάδε πάντα· θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι*
> *ῥέζειν ἐν πεδίῳ παρὰ Θύμβριδος ἄπλετον ὕδωρ,*
> *ὅππῃ στεινότατον κτλ.*

Nec potuit sane disertius ille CX annorum numerus a Sibylla praecipi, ut permirum sit, tam diserto praecepto non tamen neque a Claudio, neque ab aliis, qui post eum ludos saeculares ediderunt, obtemperatum esse. Nisi forte Taffinus [7]) verum vidisse putandus est, qui quum genuinos istos versus et ab ipsa Sibylla cantatos esse non

5) Lib. II. c. 4.

6) Sic scribendum putavi e certissima Bekkeri coniectura pro vulg. *καὶ οὐ μάλα λῆσαι ἑαυτούς.*

7) De vett. Roman. anno seculari (Tornaci Nerv. a. 1641.) part. I. c. I. p. 6 sqq.

dubitet, numerum tamen in v. 2 a XVviris corruptum esse contendit; Sibyllam enim non ἑκατὸν δέκα sed ἑκατοστὸν κύκλον dixisse [8]). Sic igitur Claudius nihil aliud fecisse videbitur, quam detecta XVvirorum fraude restitutaque vera scriptura saecularium celebrationem ad iustum
8 tempus retulisse. Quodsi quaerimus, quam ob causam XVviri numerum corruperint, id eo consilio factum esse audimus, ut, quum saecularium celebratio illorum curae commissa esset, ipsi autem in eo munere adeo socordes fuissent, ut ad multos annos eos ludos negligi paterentur ultra tempus legitimum, quo edi debuissent, hanc negligentiam suam occultarent et Octaviano Augusto persuaderent, ad saeculum centum ac decem annos requiri. Mirificum sane commentum, et cui refutando id unum sufficiat, quod ne sic quidem illi iustum saecularium tempus a se non praetermissum esse Octaviano probare potuissent. Nam cum proximi superiores ludi a. DCV aut DCVIII acti essent, instaurandorum tempus iustum ex eo ipso quod illi ementiti esse culpantur Sibyllae praecepto incidisset in a. DCCXV aut DCCXVIII, non autem in a. DCCXXXVII, quo anno illi eos instaurandos esse Octaviano persuaserunt. Nulla ratione igitur tam inertis nihilque profuturae fraudis suspicionem in eos collatam esse apparet. De ipsis autem illis versibus hoc quidem nemo facile credet, fuisse eos iam in veteribus libris Sibyllinis a Tarquinio emptis, qui quum in Capitolio servarentur a. DCLXXI una cum templo conflagrarunt; sed quum post hoc incendium nova collectio conquisitis undique versibus facta sit, in his fortasse alicui illi quoque fuisse videbuntur. Klausenius certe se non abhorrere ab hac sententia ostendit [9]): ego contra eis potius assentior, qui eos recentiorem fabricam redolere iudicant [10]). Sed utut est, ad orbem
9 illum saecularem CX annorum nihil opus fuit Sibyllae vaticinatione, sed debebatur is subtiliori cuidam rationi chronologicae, quae cuiusmodi fuerit post J. Scaligerum sagacissime Niebuhrius indagavit [11]).

---

8) Gallaeus, de Sibyllis p. 119, ἑκατοντάδα scriptum fuisse coniecit.

9) De Aenea et Penatibus I. p. 266.

10) Zosimus eos e Phlegontis Tralliani libello de macrobiis, cap. 4. cognoscere potuit, et Phlegontem ipsum eorum auctorem esse Is. Vossius suspicatus est, de Sibyll. c. 9, si non vere, paullo probabilius tamen, quam quod Orellio, ad Horat. carm. saec., in mentem venit, Octaviani iussu eos a Graeculo quopiam, fortasse Parthenio, fabricatos esse.

11) Histor. Rom. tom. I. p. 304 sqq. ed. 3.

Nimirum fuit olim apud Etruscos, horumque exemplo apud veteres Romanos, magnus quidam annus, h. e. periodus sive cyclus annorum CX, ad exaequandos per intercalationes annos lunares cum solaribus descriptus, ad eumque cyclum et lustrorum et saeculorum termini definiti. Haec ratio etiamsi nec disertis veterum auctorum testimoniis neque argumentis tam claris demonstrari potest, ut nullus controversiae locus relinquatur, nihilo minus tamen omnes summae probabilitatis numeros habere neque adhuc ab eis qui contra dixerunt refutata esse videtur, quamobrem ego quidem prorsus in ea nobis acquiescendum esse censeo. Sed rem ab Etruscis acceptam Romani pontifices, quorum curae annorum ordinatio permissa fuit, recte adhibere aut nequiverunt propter imperitiam, aut omiserunt propter negligentiam, aut noluerunt propter improbitatem. De imperitia dicere nihil opus est: negligentiam vel illud arguit, quod de clavi annalis pangendi more accepimus [12]), qui mos quum eo consilio institutus esset, ut semper iusta annorum initia servarentur nec de numero errari posset, mox tamen negligi coepit, neque amplius usurpabatur nisi religionis causa, si quando aut prodigia aut mala publica placandum deorum numen esse monuissent, idque fieri hoc ritu posse videretur. De improbitate vero satis est unum Censorinum audire, qui cap. 20. „**pontifices**“ inquit „**plerique ob odium vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret diutiusve fungeretur, aut publici redemptor ex anni** 10 **magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt.**“ Sic igitur non mirum est in saecularibus quoque celebrandis nullam cycli illius CX annorum rationem habitam remque totam fere oblivione obrutam esse, donec Vergilii et Octaviani aetate a doctis quibusdam veterum monumentorum scrutatoribus rursus erueretur. Id autem non dubito quin circa illud ipsum tempus factum sit, quo Vergilius hanc quartam Eclogam scripsit, adventante anno a proximis saecularibus decimo et centesimo, qui proinde item saecularis esse

---

12) Dixerunt de hoc more multi, quos citare nihil attinet; unum tamen tacere h. l. nolo, qui programmate **de ritu figendi clavi annalis** universitati nostrae ante hos C annos saecularia tertia celebranti academiae Julio-Carolinae Helmstadiensis nomine gratulatus est, J. C. S. Toppium. Extat eius programma in Actis saecularibus. Gesch. der Jubelfeier der Ak. Greifswald, 1756, p. 270 sqq.

videretur. Atque huc, ni fallor, pertinent etiam quae apud Zosimum, neque tamen, ut arbitror, ab ipso Zosimo, de hoc anuo scripta sunt, in quibus, quamvis manifesto falsis, vestigium tamen veritatis inesse videtur. Ibi enim, posteaquam de primis et secundis saecularibus dictum est, haec leguntur: *ταύτης ἐπὶ χρόνον τῆς θυσίας ἀμεληθείσης, αὖθίς τινων συμπεσόντων ἀποθυμίων ἀνενεώσατο τὴν ἑορτὴν Ὀκταβιανὸς ὁ Σεβαστός, προτελεσθεῖσαν μὲν ὑπάτων ὄντων Λουκίου Κηνσωρίνου καὶ Μάρκου Μαλλίου Πουηλίου* (a. u. c. DCV), *τότε δὲ Λουκίου Κηνσωρίνου καί Γαΐου Σαβίνου τὸν θεσμὸν Ἀτηΐου Καπίτωνος ἐξηγησαμένου, τοὺς χρόνους καθ᾽ οὓς ἔδει τὴν θυσίαν γενέσθαι καὶ τὴν θεωρίαν ἀχθῆναι τῶν πεντεκαίδεκα ἀνδρῶν, οἳ τὰ Σιβύλλης θέσφατα φυλάττειν ἐτάχθησαν, ἀνερευνησάντων*[13]). Quod instaurata ab Octaviano saecularia dicuntur L. Censorino C. Sabino Coss. (a. DCCXV), error manifestus est; sed causam erroris eam fuisse suspicor, quod qui haec scripsit in fontibus suis illo anno de saecularibus actum iustumque eorum tempus exploratum esse legisset, in eoque negotio praecipuam quan-
11 dam operam navasse Ateium Capitonem, virum non modo civilis sed etiam pontificii iuris peritissimum[14]), unde probabile est, etiam cycli saecularis rationem ei haud incompertam fuisse, ab eoque XVviros edoctos esse. Nam e Sibyllinis vaticiniis aliquid certi de ea disci potuisse prorsus incredibile est, quippe quae, ut orta apud Graecos Graecoque sermone perscripta erant, sic etiam proprie ad Graecos tantum resque Graecorum pertinerent: posteaquam autem Romae ascita et publice consuli coepta sunt, semper haud dubie acumine quodam antistitum et probabili interpretamento opus erat, quo ad res Romanas effata Sibyllae accommodarentur[15]). Itaque de sacris quidem deorumque placaminibus post magnum annum repetendis non pauca in

---

13) Descripsi hunc locum ut apud Reitemeierum legitur, omissis etiam uncinis, quibus a Bekkero verba *προτελεσθεῖσαν μέν* itemque *τότε δὲ — Σαβίνου* inclusa sunt, non quo eum sic a Zosimo scriptum esse crederem, sed quod etiam resectis illis verbis nihilo sanior evaderet. Manifestum est enim eum non uno modo interpolatum esse insertis quae aliqnis lector non indoctus in margine apposuerat. Sed omnem de hac interpolatione disputationem, quoniam haec notula non capit, alio tempore persequar.

14) Fuerunt eius etiam libri de iure pontificio, quos Gellius IV, 6 et Macrobius Sat. III, 10 memorant.

15) Cf. quae scite Klausenius disseruit, de Aen. et Pen. I. p. 257 et 286.

eis praecepta fuisse credo: nam magnos annos etiam Graeci habebant, alios alii; ad saecula autem sacraque saecularia, quae propria Romanorum erant, huiusmodi praecepta eatenus demum pertinebant, quatenus quadrare in ea interpretibus viderentur. — Perspecta autem ab Ateio vera cycli ratione simul etiam hoc intellectum est, superiora saecularia anni DCV non iusto tempore acta esse, neque igitur proximorum tempus in annum DCCXV, sed in annum ab hoc secundum et vigesimum, h. e. DCCXXXVII incidere; certe hoc anno ea ab Octaviano celebrata esse constat[16]. Prius tamen quam vera ratio ab Ateio indicata esset consentaneum est plurimorum eam opinionem 12
fuisse, ut, quoniam superiora saecularia anno DCV acta essent, proximorum iustum tempus anno DCCXV fore censerent. In his igitur quin Vergilius etiam fuerit, atque hanc praecipue causam habuerit, cur carmen suum sic ut factum videmus componeret, equidem vix iam dubitari posse arbitror.

Ceterum vices saeculorum novique saeculi bona non ex Etrusca Romanave doctrina sed e Graecorum carminibus vaticiniisque Sibyllinis ab eo descripta sunt. In his enim cantatum fuit de generis humani aetatibus earumque successione, deque hominum conditione gradatim in deterius mutata, quae ubi deterrima facta esset conversionem rursus in melius consequuturam orbemque aetatum eundem qui antea fuisset reversurum esse: cuius spei antiquissimum indicium apud Hesiodum est, qui posteaquam quattuor aetates percensuit, auream, argenteam, aeneam, heroicam, quintam, qua ipse vivat, ferream esse queritur, sed meliora post hanc tempora fore uno saltem verbo significat[17]. De simili conversione in melius etiam ab Orphicis dictum esse, si minus certum, perquam tamen probabile est, siquidem de

16) Extant ipsa Octaviani verba in monumento Ancyrano, ab A. W. Zumptio suppleta in hunc modum: [in colle]gio XVvirorum magi[ster adlectus eius] collegi [e]um M. Agrippa p[ro] qu[inde]ci[mviri]s C. Furnio C. Silano Cos. [qui]n[tos] ludos [saeculares ratione ad i]d tempus [in]i[ta] e[x oraculo librorum Sibyllinorum summa cum cura feci. — Celebrabantur autem saecularia aestate eius anni, qui saeculi ultimus erat. Novum saeculum numerabatur ab initio anni proximi. Quindecimviri in commentariis suis primos saeculorum annos consignaverant, non quo in his ludos saeculares factos esse crederent, quae Censorini opinio fuit, sed quod ab his nova saecula ordirentur. De initio primi CX annorum saeculi ab anno u. c. LXXVIII facto, qui annus Tulli Hostilii primus fuit, dixi in diss. de Tullo H. p. 21 [43] sqq.

17) O. et D. v. 175.

orbe aetatum non multum diversa eos ab Hesiodo cecinisse comperimus[18]). Sibyllam vero Servius testatur[19]) non modo saecula per metalla divisisse, sed praedixisse etiam finitis omnibus saeculis fore, ut rursus eadem renovarentur, ex eodemque discimus eam etiam deos quosdam singulorum saeculorum praesides fecisse, et ultimi quidem temporis Solem, quem eundem esse Apollinem. Haec igitur omnia Vergilius in suum carmen ascivit: nam et auream aetatem nominat (v. 9) ut proxime instantem, et ferream (v. 8) ut nondum plane trans-
13 actam, sed regnare tamen hac ultima aetate iam Apollinem ait, traducturum scilicet eam ad statum meliorem regnumque Saturni[20]). Quae porro subiungit de futura novi saeculi felicitate, haec nunc persequi et unde hausta sint demonstare nihil attinet.

Quemadmodum autem Vergilius hanc saeculorum descriptionem ad Graecorum opiniones composuit, sic aliquot post annis Octavianus etiam religiones Graecorum saecularibus sacris admiscuit. Nam quum ante eum haec sacra inferorum tantum deorum Ditis et Proserpinae, sive Latino vocabulo Liberae, fuissent, quorum numinum placandorum caerimonias Romani a Sabinis acceperant, Octavianus non modo parem cum his, sed superiorem etiam locum Apollini dedit, Graecorum deo priscis Romanis ignoto, cuius religio quarto demum post urbem conditam saeculo recepta esse videtur[21]). Illud quoque satis constat, saecularibus sacris ante Octavianum inferos deos placari solitos; sed Sabinam sacrorum originem nemo adhuc animadvertisse videtur, licet indicia rei satis manifesta partim in loco sacrorum peragendorum partim in fabulosis de eorum institutione narrationibus deprehendi possint. Nam locus erat in campo Martio qui T e r e n t u s vocabatur, quod nomen Sabinum esse quum alii testantur, tum Varro[22]), ipse natione Sabinus, et cuius gentilicium nomen T e r e n t i u s indidem

18) Vid. Lobeck. Aglaoph. II. p. 787—795.

19) Ad Vergil. Ecl. IV. v. 4 et 10.

20) Nisi quis forte S a t u r n i a r e g n a, v. 6, improprie dicta accipiat, ut intelligantur r e g n a q u a l i a q u o n d a m s u b S a t u r n o f u e r u n t, licet nunc non sub hoc, sed sub Apolline futura sint. Est haec Wagneri interpretatio, in Diurn. antiqu. (Zeitschr. f. d. Alterth.Wiss.) ann. 1841 p. 739 contra adversarium nescio quem acerrime defensa, neque tamen, meo quidem iudicio, satis probata. Sed ad nostram causam nihil interest, utro modo Vergilii versus accipiantur.

21) Cf. Arnob. adv. gent. II, 73 ibique intt.

22) Apud Macrob. Sat. II, 14 p. 403.

ductum esse apparet. De institutione autem haec fere narrantur[23]:
fuisse in Terento aram perantiquam Diti et Proserpinae quondam 14
bello Albano consecratam: eam terra obrutam diuque omnibus ignotam fuisse, donec a Sabino quodam homine ex Ereto, cui Valesius nomen fuerit, ipsorum deorum monitu detecta sacraque ad eam eisdem deis facta sint: eum postea Manium Valerium Terentinum appellatum esse, cognomine a loco, praenomine autem propterea inposito, quod sacra ab eo diis inferis sive manibus facta essent: neque absimile vero est eum etiam gentis Valeriae inter Romanos auctorem habitum esse[24], quamquam de hoc aliter alii tradiderunt; sed Sabinam certe gentem Valeriam esse omnes consentiunt[25], et qui primus ex hac gente Romae consul fuit, P. Valerius Publicola, idem etiam primus sacra saecularia diis inferis ad eandem in Terento aram instituisse perhibetur. — Ceterum antiquae hae caerimoniae ab Octaviano haudquaquam abolitae sunt, immo perdurarunt etiam ad Zosimi aetatem, adiunctis tamen subinde aliorum deorum sacris, non modo Apollinis et Dianae, sed Iovis etiam, Iunonis, Latonae, Parcarum, Ilithyiarum, Cereris, quibus omnibus in saecularibus sacrificatum esse Zosimus scribit, sed quando cuique eorum et quo auctore is honor haberi coeptus sit, non memorat. Ab Octaviano autem praecipuum quendam in saecularibus locum Apollini datum esse ex Horatii carmine saeculari illius voluntate composito[26] manifestum fit. Sic igitur ad tetricam Sabinorum religionem, quae inferorum deorum numen cum horrore ac metu placari iubebat, accessisse videmus eique praelatum laetiorem Graeci dei cultum, eiusque dei, quo nullum magis ab illis diversum fuisse merito dixeris. Nam ut illi in tenebrosis locis
orcique cavernis habitare et ad nocendum magis et puniendum quam 15
ad benefaciendum prompti esse videbantur, sic Apollinis numen benignum, tenebris infernisque terroribus infestum, in summa semper luce et claritate versabatur, lucemque et claritatem etiam mortalibus impertiebat ad vitam eorum vel ordinandam vel hilarandam vel corri-

23) Vid. Valer. Max. II, 4, 5. Zosim. II, 1—3.

24) *Οὐαλέσιος ἀφ' οὗ τὸ Οὐαλεριανῶν κατάγεται γένος* legitur apud Zosimum; sed veri simile est *Οὐαλερίων* scriptum fuisse, quemadmodum iam Sylburgius voluit

25) Cf. Dionys. A. R. II, 46. Valer. Max. (?) de nomin. p. 629 ed. Kapp. et qu. laud. Ruperti ad Sil. Ital. II, 8.

26) Sueton. vit. Horat. tom. III. p. 50 ed. Wolf.

gendam. Atque hanc ipsam Apollinei numinis naturam et praestantiam in causa fuisse, cur Octavianus huius dei cultum civibus suis prae ceteris commendatum vellet, scite iam a C. F. Hermanno observatum est in praestantissima dissertatione de loco Apollinis in Horatii carmine saeculari, nec potest melius quam ipsis viri desideratissimi verbis exponi. Nulla profecto, inquit, aptior tutela inveniri poterat novo imperio, quod prorsus immutatis superiorum temporum studiis tuendis potius quam proferendis finibus gloriam petebat, Ianumque clausisse maximorum triumphorum instar habebat, quam lene illud Graecorum numen, cuius ea potissimum virtus erat, ut omnia recto temperamento componeret, moresque cantu pacisque artibus emolliret et ad bonam frugem redigeret.

Scrib. Gryphiswaldiae Id. Mai. MDCCCLVI.

DE COMITIIS CURIATIS I.

Vix ullus in historia Romana locus pluribus nuper et maioribus 3 difficultatibus impediri coepit, quam hic de divisione populi in tribus tres curiasque triginta et de curiarum comitiis. Nam ut taceamus de eis, qui curias omnino tribuum partes fuisse negarunt[1]), illud etiam ambigitur inter viros doctissimos, tribus illae veteres et curiae utrum patricios tantum cum clientibus an plebem quoque una cum illis complexae sint. Motam autem hanc quaestionem esse constat ab eo, cuius ingenio quasi denuo inventam ac reclusam debemus magnam historiae Romanae partem, Niebuhrio, viro immortali, cuius immaturo obitu clarissimum literarum nostrarum lumen extinctum tantumque damnum acceptum dolemus, quo vix maius multorum olim ac pretiosissimorum antiquitatis monumentorum attulit interitus. Erant enim in illo, quae horum quodammodo compensarent iacturam: acies ingenii, quae etiam obscurissima tanquam in clara luce posita cerneret, sagacitas, quam ne tenuissima quidem veritatis vestigia facile fugerent, denique illa mentis facultas, quae etiam ex dispersis cuiusque rei particulis lacerisque fragmentis formam facile ac compositionem totius perspiceret et imaginem quasi viventem ac spirantem informaret, quam quum teneret animoque obversantem intueretur, quid aptum et conveniens, quid incongruum et a veritate abhorrens esset in veterum scriptorum vel narrationibus vel iudiciis certissime discerneret et planissime demonstraret. His virtutibus factum est, ut nunc demum ad veram et solidam historiae Romanae cognitionem via muniri coepta sit, quum in securae illius credulitatis locum, quae in veteribus opinionibus dudum quasi

1) Wachsmuth, Hist. Rom. p. 192.

per manus traditis et vulgo receptis lente acquiescebat, intelligendi studium ac iudicandi sollertia successerit. Atque hoc Niebuhrii meritum negare nemo ne ex eis quidem ausit, qui ceteroquin multa in praeclaro eius opere vel iure vel iniuria reprehendunt: nam esse nonnulla quae iure reprehendi possint, nos ipsi, quamvis virum summum admiremur, haudquaquam infitias imus. Neque enim in rebus solum
4 eis, quas primus ille excogitavit, esse quasdam vix probabiles concedimus, sed etiam rationem, qua usus est in veterum scriptorum testimoniis vel spernendis vel adhibendis, eiusmodi esse arbitramur, ut nonnunquam iusto audacius egisse et cupiditate magis quam certo ac constanti iudicio ductus videri possit. Accidit autem hoc, nisi magnopere fallimur, etiam in eis, quae de tribubus et curiis passim ab eo proposita sunt: quas quum initio (Histor. Rom. edit. prim. part. 1. p. 223. 234.) universi populi partes fuisse concessisset, in quibus praeter patricios eorumque clientes etiam plebeii fuerint ac proin aliquod certe suffragii ius in curiatis comitiis habuerint, attamen post tributorum comitiorum auctam potestatem curiata patriciorum tantum concilia facta esse statuisset; mox suam ipse sententiam eatenus retractavit (ed. prim. part. 2. p. 34 sq.) ut comitiis certe curiatis omni tempore plebeios exclusos fuisse contenderet (id quod etiam in secunda editione tenuit et novis quibusdam argumentis confirmare conatus est), sacrorum autem in curiis plebeias quoque familias participes faceret, verum, ut videtur, eas tantummodo, quae essent cum patriciis genere coniunctae et a patriciis gentibus exortae, quales e. c. Scribonios Curiones fuisse existimat, ed. sec. part. 1. p. 346. — Hanc sententiam veterum historiae Romanae scriptorum, qui quidem aetatem tulerunt, omnium disertis testimoniis adversari supervacaneum est demonstrare, neque hoc ipse Niebuhrius eiusque adstipulatores negant, verum scriptores istos in errore versari contendunt, magno quidem illo sed excusabili tamen propterea, quod ipsorum aetate, omni veteris rei publicae forma plane immutata, curiarum quoque descriptio et ordinum iura ab eis quae olim fuerant prorsus diversa extitissent. Neque nos negamus fieri potuisse, ut eiusmodi errore unus aut alter implicaretur; omnes autem eodem modo errasse, neque unum relictum esse, cuius diserto et claro testimonio vulgaris error redargui possit, id vero prorsus incredibile nobis videri fatemur, quum praesertim in vetustioribus monumentis, quorum tenuissimae quaedam reliquiae ad nostram aetatem pervenerunt, sat multa et manifesta veri indicia fuisse oporteat, et apud

illos ipsos scriptores, quos superstites habemus, nonnulla vestigia Niebuhrius sibi deprehendere visus sit veritatis, ab ipsis, qui haec servarunt, non perspectae. Tanta igitur caecitate mentes eorum obscuratas fuisse nunquam nobis persuaderi patiemur, nisi certis et invictis argumentis coacti, qualia nondum neque ab ipso Niebuhrio neque ab aliis, qui eius partes amplexi sunt, prolata esse arbitramur. Sunt autem quae apud illum in prima hist. Rom. editione passim dispersa leguntur, ab uno eius sectatore, Ch. Ferd. Schulzio in libro de comitiis Romanorum, quem vernaculo sermone conscriptum Gothae edidit anno 1815, omnia diligenter collecta unoque loco (p. 29 sq.) coniuncta, atque etiam novis quibusdam accessionibus aucta. Quamobrem primum hunc in illorum argumentorum examine sequemur; dein ea videbimus, quae in altera hist. Rom. editione Niebuhrius tanquam firmissima sententiae suae columina apposuit. Quamquam quum res maior sit, quam quae hoc tempore ac loco absolvi a nobis possit, ita disputationem nostram dispertiendam esse statuimus, ut nunc quidem non nisi ea persequamur, quae ad regum Romanorum aetatem pertinent: quae autem de liberae rei publicae institutis dicenda sunt, alii loco reservemus. Cete- 5
rum nonnulla eorum, quae a nobis proferentur, a Wachsmuthio occupata esse non ignoramus; tamen is neque Schulzii rationem habuit, neque ea cognoscere potuit, quae a Niebuhrio in sec. ed. prolata sunt.

Schulzius igitur, ut plebem curiis non comprehensam fuisse demonstret, primum Dionysium testem citat, quem IV, 13 significare dicit, nullam fuisse plebis descriptionem legibus ordinatam, sed turbam confusam et indiscretam, ante tribus a Servio Tullio rege institutas: bisque ipsis Servii tribubus plane nihil opus fuisse civitati, si plebs etiam curiis contineretur. Atqui Dionysius non modo nihil einsmodi significat, sed multis locis plane contrarium docet. Nam IV, 14 quum dicit: *οὐκ ἔτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς τὰς γενικὰς στρατιωτικά, ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τοπικὰς ἐποιεῖτο*, significat, opinor, olim et milites conscriptos et tributa collata (haec enim sunt *τὰ στρατιωτικὰ*) ex veteribus istis tribubus *γενικαῖς*: quod nisi forte plebem et militiae et tributorum immunem statuas, tribubus illis, quarum curiae partes fuerunt, plebem adscriptam fuisse consequitur. Porro II, 7 a Romulo in tribus et curias *τὴν πληθὺν ἅπασαν* descriptam esse tradit, in qua etiam plebem fuisse diserte eloquitur cap. 8: quamquam in hoc ipso a Niebuhrio Dionysius ceterique scriptores omnes erroris arguuntur, quod iam a primordiis rei publicae plebem fuisse statuant,

quae postea demum receptis in civitatum peregrinis extiterit: qua de re nunc accuratius disputare nihil attinet. Nam ut verum de plebis origine Niebuhrius viderit (et videtur sane nihil hac viri summi sententia probabilius), ipsos illos cives adscripticios in curias receptos esse passim testatum legimus apud Dionysium, velut II, 50 de Camerinis (*οὓς ταῖς φράτραις ἐπεμέρισαν*), ib. c. 55 de Veientibus (*πολίτας ποιησάμενος ταῖς φράτραις ἐπιδιεῖλε*), III, 29 de Albanis (*τὸ πλῆθος — εἰς φυλὰς καὶ φράτρας καταμερισθέν*). Eiusmodi testimoniis quantum auctoritatis ab adversariis tribuatur non ignoro, neque propterea eis usus sum, quo convinci hac ratione illos posse credam, sed ut inconsiderate eos agere appareat, qui Dionysium, quasi secum ipsum pugnantem, contrariae quoque sententiae auctorem laudant. Ceterum ne illi quidem ipsi facile negaverint, iam ante sextum ab u. c. saeculum plebeios curiis adscriptos fuisse, quandoquidem a. 543 hominem plebeium, C. Mamilium Vitulum, curionem maximum creatum legimus apud Livium, XXVII, 8. An forte ut Scribonios (Liv. XLI, 26. Niebuhr. I p. 346) ita Mamilios quoque e patricios ortos contendent? — Habemus etiam legem Ovinian a Festo commemoratam s. v. *praeteriti senatores: ut reges sibi legebant sublegebantque quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos consules quoque et tribuni militum consulari potestate coniunctissimos sibi quosque patriciorum ac dein plebeiorum legebant, donec Ovinia tribunicia intervenit, qua sanctum est ut censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in senatum legerent.* Apparet, quum haec lex lata est, in curiis etiam plebeios fuisse; latam autem neque ante annum 311 esse, id quod censorum et tribunorum mil. commemoratio evincit, neque tamen multo
6 post; nam curiarum in senatoribus legendis rationem etiam posterioribus r. p. temporibus habitam esse nemo sibi persuadebit [2]). Quodsi

2) Conf. intt. od Liv. XXXIX, 42, 6. — Mirifica est Niebuhrii de lege Ovinia disputatio H. R. I, p. 550 [586 ed. 3]. Primum illud „*ex omni ordine*" nihil aliud significare posse contendit nisi „*ex universo ordine patriciorum*," legisque hanc sententiam fuisse, ut, quum olim senatores ex gentibus ita legi consuessent, ut singulorum gentium singuli essent senatores, post hanc legem *curiatim* tantum, nullo amplius gentium ratione habita, legerentur. Hunc enim primum gradum fieri oportuisse ad libertatem legendi eam, quae postea fuit, quum neque curiarum ratio haberetur et plebeii pariter ac patricii legerentur. Iam quum Festi verba huic interpretationi prorsus adversentur, latamque legem significent post censuram et tribunatum militarem institutum, quo tempore iam dudum plebeiis quoque aditus in senatum patere coeperat: censorum mentionem Festum de suo admiscuisse statuit.

quarto vel quinto urbis saeculo plebeios in curiis fuisse constat, quid obstat quo minus multo etiam prius et inde ab eo tempore quum plebs primum existere coepit, curiis eam adscriptam esse statuamus? quum praesertim multo hoc veri similius videri debeat, quam nullam omnino ante tribus a Servio rege institutas plebis descriptionem legitimam fuisse. Nam quod dicunt nihil opus fuisse nova tribuum descriptione Serviana, si curiae etiam plebeiorum fuerint, non intelligunt, opinor, Servii consilium. Scilicet in vetere illa tribuum curiarumque descriptione praevalebant patricii, plebis exigua erat potestas: quamobrem si huius quoque iura Servius augeri voluit, non potuit hoc fieri nisi aut plane abolita vetere ista descriptione, aut, hoc quum efficere non posset nec fortasse vellet, alia praeter illam instituta, in qua non essent plebeii patriciorum potentiae obnoxii. Accedit quod, aucto multis partibus agro Romano, huius novam aliquam divisionem fieri necesse erat, quum, si antiquitus non homines solum sed agri quoque curiatim descripti fuerunt (Dionys. II, 7), hanc descriptionem longius prolatis finibus sufficere non iam potuisse appareat. — Quod secundo loco Schulzius posuit, plebeios propterea non potuisse in curias recipi, quoniam quae in his essent gentes antiquissimae, communibus sacris inter se coniunctae fuerint, quorum participes plebeii fieri nequiverint: primum omnium explicare debebat, quaenam diceret sacra ista communia, curiarumne an gentilicia: dein, ut a gentiliciis plebeios semper exclusos fuisse concedamus — id quod debet sane concedi —, nequaquam tamen consentaneum est, curiales nullos fieri potuisse, nisi qui simul etiam gentiles fierent, qua de re paullo post quid sentiamus di-

---

Porro tribuniciam legem non dici, quasi a tribuno plebis latam, sed aut a tribuno celerum in comitiis curiatis (quo sensu lex tribunicia dicitur a Pomponio l. 2. §. 3. D. I, 2.) aut a tribuno militum. Quod quum in his nullum noverimus Ovinium, nihil impedire, quo minus nomen corruptum esse iudicemus. Hoc certe omni modo tenendum esse, latam esse legem ante quam plebeii senatores facti sint: quod quum conscripti plebeii iam Bruto et Valerio coss. dicantur, aut hoc falsum esse oportere, aut latam legem non a trib. mil. sed a tribuno celerum. — Contra eiusmodi argumenta disputare sane difficile est: itaque hoc unum monere sufficiat, quod Nieb. dicit *ex omni ordine* non posse significare ex *quovis ordine*, quum duo tantum fuerint ordines, patres et plebs, non meminisse eum aut dissimulasse, multo latius huius vocabuli vim apud veteres patere: id quod vel e Pitisco disci potest. — [Meierus in praef. schol. Hal. 1844—45 apud Festum non curiatim sed iurati legendum esse censet perquam probabiliter, quum praesertim in cod. curiati, non curiatim scriptum sit. Sic igitur ex lege Ovinia nullum argumentum peti posse apparet.]

cendum erit; ad curiarum autem sacra plebeii quum postea haud dubie admissi sint[3]), cur non iam ab initio admitti potuerint, causa nulla satis idonea excogitari potest. Nam quod municipes horum semper expertes fuisse scimus (vid. Gruch. ad poster. Sigon. disput. c. 6.)
7 aliam habet rationem, eamque satis manifestam. — Infirmius etiam est tertium argumentum: ex iis quae Dionysius de curiarum partibus in re publica administranda et de patriciorum iure dicat satis apparere, in curiis nullos nisi patricios fuisse: nam sicut II, 9 patricii soli ex Romuli instituto magistratus capere, sacra facere et una cum regibus rem publicam administrare potuisse dicantur, ita aliis locis (II, 13. 22. 47. IV, 20) idem fere de curiis dici: ex quo manifestum fieri curias patriciorum tantum fuisse. At vero Dionysius nihil nisi hoc dicit: primum (II, 13) sub Romulo equites a curiis electos esse, dein (II, 22) sacerdotes ab iisdem creatos et (II, 47) senatores et patriciis lectos; postremo (IV, 20) populum in comitiis curiatis suffragium tulisse de rebus a rege et senatu ad ipsum latis. Quamvis autem fide digna sint, quae de isto equitum, senatorum, sacerdotum creandorum modo aliisque rebus sub Romulo gestis narrantur, nihil tamen in his omnibus inesse apparet quod Schulzii sententiam confirmet. — Porro apud Ciceronem pr. Caecina c. 35 patricios dici cives antiquissimos, gloriarique apud Livium X, 8 se solos gentem habere: ex quo consequi curiis nullos nisi hos adscriptos fuisse. Huius argumenti quae vis esse possit, non satis me intelligere fateor. Antiquissimi cives patricii etiamsi hoc sensu a Cicerone dicerentur, ut antiquitus nemo civis fuerit, nisi patricius, tamen nihil hinc consequeretur, nisi illa aetate, quum soli patricii cives essent, hos etiam solos curiales fuisse; postea autem, aucta civitate plebeiis, hos quoque curiis additos esse nihil est quod credere vetet. Ceterum vera Ciceronis de curiis sententia cognosci potest e libro de re publica II, cap. 8: *(Romulus) Principes, qui appellati sunt propter caritatem patres, populumque — in tribus tres curiasque triginta descripserat.* Quid? quod ne illo quidem altero loco patricios antiquissimos cives eo sensu dicit, ut ceteros excludat. Verba ipsius haec snut: *neque enim ratio afferri potest, cur, si cuiquam novo civi potuerit adimi civitas, non omnibus patriciis, omnibus antiquissimis civibus possit,* quae verba Schulzium cupidissime et contra veritatem interpretatum esse apparet. Maiore quadam veri specie Cincii

3) Iis quae supra dicta sunt adde Ovidii locum de Fornacalibus Fast. II, 527 sqq.

auctoritate uti poterat, qui apud Festum s. v. *patricios* ait *eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur.* ex quo sane patet, Cincii sententia fuisse quoddam tempus, quum praeter patricios nemo ingenuus esset. Verum cives tunc nullos nisi patricios fuisse ne hunc quidem statuisse crediderim, neque aliter eum de primordiis civitatis ordinumque prima institutione sensisse puto, quam ceteros, quos Livius, Dionysius, Plutarchus auctores sequuti sunt, ex illa convenarum colluvie, quam ad Romulum confluxisse fama ferebat, omnes *qui patrem ciere possent,* id est *nihil vltra quam ingenuos* (Liv. X, 8. 10), patricios, reliquos clientes aut plebeios factos esse. Quod autem gentem habere plebeii negantur, nequaquam propter hoc ipsum etiam in curiis fuisse negantur, nisi vincatur, neminem curiis adscribi potuisse, nisi qui gentem haberet, id quod adversarii contenderunt quidem, probare autem nullo modo potuerunt. Ne Ciceronis quidem aetate plebeios gentem habuisse, h. e. gentilitatis iure usos esse, apparet e controversia inter Claudios patricios et Marcellos (Cic. de orat. I, 39, cf. Niebuhr. I p. 334): curiis tamen adscriptos fuisse vidimus. Quamobrem quum hac certe aetate gentilitas cum curiis nequaquam ita ut illi putant coniuncta fuerit, cur olim 8
rem aliter se habuisse credamus non intelligo. Lubens equidem concedo, quod Niebuhrius primus probare conatus est, initio civitatis hanc descriptionem fuisse, ut singulae curiae in gentes denas distribuerentur, hasque esse illas δεκάδας, quarum Dionysius mentionem facit II, 7, quemadmodum Athenis quoque una quaeque φρατρία gentes habuisse dicitur tricenas; at sicut Athenis factum esse videtur, ut novi cives, quum phratriis adscriberentur, γεννῆται tamen non fierent (vid. comm. in Isaeum p. 336), ita etiam apud Romanos cives adscripticii, e quibus plebeius ordo extitit, quum in curias reciperentur, gentibus tamen illis veteribus excludebantur.

Pervenimus ad postremum Schulzii argumentum: curiarum h. e. comitiorum curiatorum potestatem cum patriciorum auctoritate arctissime coniunctam fuisse, ut, donec hi in re publica praevalebant plebeiis, illorum quoque auctoritas maxima esset; patriciorum autem iure imminuto et cum plebe aequato comitia quoque illa adeo paullatim contemnerentur, ut non nisi dicis causa haberi solerent, velut testamentorum, detestationis sacrorum, adrogationum causa ex iure pontificio, et quum lex curiata de imperio magistratuum ferenda erat. Potest hoc et debet profecto concedi; neque tamen quidquam inde efficitur nisi hoc, curiarum illa comitia fuisse eiusmodi, in quibus patricii do-

minarentur, sicut in centuriatis locupletes, in tributis plebeii tenuiores; plane autem exclusos curiis plebeios fuisse et suffragium in illis comitiis nullum habuisse, nequaquam illo argumento probari concedimus. Etenim potuit suffragii ferendi ea ratio instituta esse, quae omnem facultatem efficiendi quidquid vellent solis patriciis daret; potuit etiam hoc fieri, ut post centuriata et tributa quoque comitia instituta curiatim non convocarentur nisi patricii. Sed de hoc, quum ad liberae rei publicae tempore pertineat, alio loco videbimus: regum autem aetate non exclusos quidem a curiarum comitiis plebeios fuisse statuimus, sed in suffragiis ferendis nihil valuisse. Nam quod Dionysius (IV, 20, cl. II, 14) et Livius (I, 43) a curiis viritim suffragia lata esse autumant, id quo minus credibile videatur quum omnis veteris rei publicae forma obstat, a tali iuris aequabilitate longissime abhorrens, tum Laelii Felicis testimonium apud Gellium XV, 27, 5: *quum ex generibus hominum suffragia ferantur, curiata comitia esse.* Quidquid enim illud esse statuas *ex generibus hominum* vel, ut in aliis exempl. extat, *omnium*, (qua de re suo loco nobis disputandum erit) hoc tamen apparet, aliud esse ex generibus hominum suffragia lata, aliud viritim et promiscue. Quamobrem quod Dionysius dicit *οἱ τὰ ἐλάχιστα κεκτημένοι τοῖς τὰς μεγίστας ἔχουσιν οὐσίας ἰσόψηφοι*, non sane tantum apud nos valebit, ut patricios cum plebeiis, sed ut plebeios inter se, locupletes cum tenuioribus, in curiatis comitiis *ἰσοψήφους* fuisse statuamus.

Iam nos ipsi his Schulzii argumentis, quae satis nobis refutasse videmur, aliud addamus haud sane levius. Narrat enim Livius I, 36 Tarquinium Priscum, quum ad equitum centurias Ramnium, Titium
9 Lucerumque totidem addere novas constituisset, hoc quidem consilium obloquente Navio augure abiecisse, sed auxisse tamen equitum in singulis centuriis numerum, eosque, qui ab ipso additi essent, Ramnes, Tities, Luceres posteriores appellasse. Haec autem narratio nonne manifestum facit, ista Ramnium, Titium, Lucerum nomina equitibus tantum propria, non universi populi fuisse? Quod quum tribuum quoque eadem nomina fuisse constet, nonne in his quoque, ac propterea etiam in curiis, tribuum partibus, non universum populum, sed equites tantummodo fuisse consequitur? Iam vero, quum equites ante Tarquinium vix alii fuerint nisi patricii, nonne veram esse oportet eorum sententiam, qui tribus et curias patriciorum tantummodo, non plebis, fuisse contendunt? Eaque sententia quo magis confirmetur accedit etiam hoc, quod eaedem illae quae equitum centuriae a Livio, tribus a

Floro I, 5, *φυλαὶ* a Dionysio III, 71 et Zonara VII, 8, p. 326 Par. dicuntur. — Profecto, si de veteribus tribubus ac curiis nihil. nisi quae ex his narrationibus colligi possunt, testatum haberemus, res confecta videri deberet, neque esset quod obloqueremur; nunc autem, quum tot auctores sint diversae sententiae, in quibus ipse etiam Dionysius, conciliare istam narrationem cum horum testimoniis conabimur. Primum igitur nihil impedit, quo minus populi tribus cum equitum centuriis cognomines fuisse statuamus. Scilicet quum initio universa civitas patriciis tantum, in quibus fuerunt etiam equites, patriciorumque clientibus constaret — hanc enim Niebuhrii sententiam verissimam iudicamus — ideoque Ramnes, Tities, Luceres nulli essent praeter hos, postea quum plebeii quoque existerent et in tribus ac curias reciperentur, fieri non potuit, quin hi et ipsi nominum illorum participes fierent, ita tamen, ut ad patricios ea, tanquam cives antiquissimos et totius civitatis principes, quasi potiore quodam iure et magis quam ad ceteram multitudinem, iisdem cum illis tribubus comprehensam, pertinere viderentur. Quod autem Tarquinius a nonnullis tribuum numerum augere voluisse dicitur, dubitari non potest, quin e singularum tribuum plebe novas equitum centurias conscribere voluerit, qui patriciatus iure uterentur, ex iisque, additis haud dubie clientibus [4]) et reliquae fortasse multitudinis parte, novas tribus efficere, ut sex fierent universae, totidem quot centuriae, curiae autem sexaginta. Id salva religione augures fieri posse negarunt: quamobrem equites quidem novos conscripsit, sed hos in suis quosque tribubus cum veteribus centuriis ita coniunxit, ut hominum quidem numerus augeretur, ipsarum autem centuriarum numerus idem maneret. Hi autem quos conscripserat equites, posteriores vel secundi Ramnes, Tities, Luceres non propterea appellati sunt, quasi non antea quoque in Ramnium, Titium, Lucerum tribubus fuissent; sed quum duplex iam in unaquaque tribu genus equitum factum esset, alterum eorum, qui inde ab initio fuerant, alterum eorum quos Tarquinius legerat, utrique inter se ista gradus 10 et honoris significatione distinguebantur.

His absolutis reliquum est ut illa examinemus, quibus Niebuhrius in altera H. R. editione probare conatus est, in comitiis certe curiatis etiam regum aetate solos patricios suffragium habuisse. Utitur autem

4) Etiam primores plebis, non solum patricios, clientes suos habuisse apparet vel ex Livio IV, 13, 2, cl. 15, 6.

hoc imprimis argumento: quum Cicero de re publ. II, 13. 17. 18. 20. 21 reges a populo comitiis curiatis creatos, dein ipsos de imperio suo legem curiatam tulisse tradat, Livius autem I, 17. 22. 32 et Dionysius II, 60 creatis a populo regibus patres auctores factos esse scribant, manifestum esse hanc patrum auctoritatem non aliam esse atque legem istam curiatam, ideoque curiarum comitia non nisi patriciorum fuisse concilia. At vero patrum auctoritatem Livii quidem sententia diversam esse a lege curiata plane manifestum est propterea quod populo qui reges creaverit h. e. curiis (nam nulla hoc tempore nisi curiata comitia fuisse Livius non ignorabat) patres, qui auctores facti sint, disertissime opponit, ita ut senatus auctoritatem ab eo designari appareat. Cap. 17, §. 5: *Ita rem inter se centum patres consociant — fremere deinde plebs — quum sensissent ea moveri patres — decreverunt ut quum populus regem iussisset, id sic ratum esset si patres auctores fierent.* Cap. 32, §. 1: *res ad patres redierat hique interregem nominaverant, quo comitia habente Ancum Marcium regem populus creavit: patres fuere auctores.* Et quo minus dubitari possit ipse Livius cavit cap. 17, §. 9: *hodieque in legibus magistratibusque rogandis usurpatur idem ius vi adempta . priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres auctores fiunt.* Ilos enim patres, quorum auctoritas etiam Livii aetate dicis saltem causa requirebatur, non alios profecto quam senatores esse apparet. — At, inquit, fefellit Livium ratio et veteres fontes non recte intellexit. Hi, quum patres dixerunt auctores factos, non alios dixerunt nisi patricios curiatim congregatos, idque Livius de senatoribus accepit eo facilius, quoniam mirum sane videri debebat, eosdem qui modo creassent regem, mox sui ipsos suffragii auctores fieri. Nobis tamen nunquam persuadebitur Livium hoc modo errare potuisse, nisi demonstratum antea fuerit, qui fieri potuerit, ut in istis suis fontibus patrum tunc demum mentionem factam inveniret, ubi de auctoritate, nunquam, ubi de creatione regum loquebantur: nam si semel creatos patrum suffragiis reges invenisset, non potuit non intelligere id quod Niebuhrius sibi intelligere visus est, non alios esse hos patres nisi populum illum patricium curiatim suffragia ferentem. Neque vero illud adeo mirum Livio videri potuit, curiatis comitiis bis de eodem rege suffragia lata esse, primum quum crearetur, dein quum imperium ei committeretur. Quamvis enim veteris rei publicae imperitus fuerit, Ciceronem certe legerat, qui de lege agraria II, c. 11 *maiores* inquit *de omnibus magistratibus bis vos sen-*

tentiam ferre voluerunt. Nam quum centuriata lex censoribus ferebatur, quum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui poeniteret. Itaque quum causa, cur Livius erraverit, probabilis nulla 11
excogitari possit, profecto, nisi cupide agere velimus, nihil restare videtur, nisi ut patrum illam auctoritatem distinguamus a lege curiata, remque ita se habuisse statuamus, ut creatis a populo regibus primum patres h. e. senatores consulerentur, auctoresne fierent, dein, ubi horum auctoritas accessisset, idem ille qui designatus et senatus auctoritate comprobatus erat, rogaret ipse populum, vellet iuberetque nunc iam imperium a se capi. Similiter Huschkium quoque statuere video in comm. ad inc. auct. de magistr. et sacerd. P. R. p. 81, nisi quod is etiam huius curiatae legis de imperio patres s. senatores auctores fieri oportuisse iudicat, illud autem ambigit, an designatio quoque patrum auctoritate comprobanda fuerit. Utut est, hoc certe manifestum videtur, nihil esse ne in illis quidem Ciceronis locis momenti, quamobrem curiata comitia sub regibus non populi universi, sed patriciorum tantummodo concilia fuisse credamus. — Hic autem nunc nobis subsistendum est: post exactos reges centuriataque et tributa comitia instituta num quid de curiatis novatum sit, alio tempore videbimus. Interim vos, commilitones, valere iubemus.

Scrib. Gryphiswaldiae prid. Non. Septemb. MDCCCXXXI.

DE COMITIIS CURIATIS II.

3 Quum de curiis Romanorum comitiisque curiatis ante hos sex menses disputare instituerenus, meministis, commilitones, ita hanc disputationem a nobis dispertiri, ut illo quidem tempore intra regum aetatem subsisteremus, de liberae autem rei publicae institutis quae dicenda essent alio loco nos propósituros esse polliceremur. Nunc igitur ut fidem praestemus, reliquias nostras, quantum quidem fieri poterit, persequemur veteresque scriptores etiam in liberae rei publicae historia ab inscitiae et erroris criminibus contra Niebuhrium defendere conabimur. Demonstravimus autem, aut videmur certe nobis demonstrasse, nihil obstare quominus regum aetate et curiarum et comitiorum curiatorum, licet non aequo cum patribus iure, at participes tamen aliquo modo plebeios fuisse credamus. Iam vero post reges exactos, quum praeter maximum illum comitiatum, in quo omnes Quirites classibus et centuriis ex Servii regis instituto descripti suffragia ferebant, mox etiam plebis concilia haberi, ibique et iudicia quaedam exerceri et, post legem Publiliam, plebeii magistratus creari ac leges ferri coepissent, fieri sane non potuit, quin veterum istorum, quae sola olim fuerant, curiatorum comitiorum conditio multis modis immutaretur. Primum enim trinis pro unis comitiis factis aut discerni ac partiri rerum genera oportebat, quorum alia ad curias, alia ad centurias, alia denique ad tribus ferrentur, aut si de una re in diversis comitiis agendum esset, quod unis placuisset ratum esse non poterat, nisi ceterorum quoque consensus accederet. Dein propter perpetuas illas ordinum discordias, quum plebs contra patres, patres contra plebem summis odiis contenderent, consentaneum erat abstinere plerumque plebem istis curiarum comitiis, in quibus se nihil

contra patriciorum factionem valere intelligeret. At vero legitimum hoc fuisse et in iure positum, ut ad curiata comitia nulli nisi patricii admitterentur, quae est Niebuhrii sententia, id ut credamus neque veterum scriptorum auctoritas sinit, neque viri summi argumenta cogunt. Sunt autem horum pleraque eiusmodi, quibus assentiri nemo facile possit, nisi qui veteres illos et plane ignaros antiquae suae rei publicae, et in fontium usu non modo negligentes ac socordes, sed supra quam credi potest caecos et stupidos fuisse concedat. Nam quod Niebuhrius aliqua tamen etiam apud Livium ceterosque historicos vestigia superesse contendit, quae quid in vetustioribus annalibus traditum fuerit ostendant, ab ipsis illis adeo non intellecta, ut quum ea libris suis insererent ipsi quid sibi vellent nesciisse dicendi sint, haec accusatio talis est, qua graviorem nullam in historicum quidem intendi posse appareat, ut vel pietatis officio fungi videamur, si hoc eos crimine liberare conemur. Accusantur autem primum ignorasse *populi* vocabulum quo sensu a veteribus annalium scriptoribus usurparetur, ideoque multos horum locos de universis Quiritibus accepisse, qui de patriciis tantummodo accipiendi fuerint. Nimirum *populi* nomine olim *solos patricios* designatos esse, quamobrem etiam in Marcianis carminibus et in certis quibusdam formulis ne Ciceronis quidem aetate abolitis populum a plebe distingui, et concilia populi nonnunquam commemorari, quae quominus universorum civium comitia fuisse credantur vel hoc ipsum concilii nomen obstare, quippe quod ibi demum recte usurpetur, ubi partis alicuius, non totius civitatis conventus designentur; porro ipsum Livium alicubi plebei scitum populi consensu comprobatum narrare, cuius rei unam probabilem explicationem esse hanc, ut quae plebs tributim iussisset, patres curiatim accepisse et ratum habuisse dicantur; denique alios locos esse nonnullos, in quibus vel populi vel, apud Graecos scriptores, δήμου vocabulum multo probabilius de patribus quam de universis civibus accipi appareat. — Horum igitur argumentorum unum quodque quale sit quantamque vim habeat videamus. Ac primum quidem concedendum est sane fuisse quoddam tempus, quum cives Romani nulli essent nisi patres eorumque clientes, quamobrem hos tunc solos populi nomine designari necesse fuit. Mox autem multis undique in civitatem receptis, qui neque patres fierent, neque patrum clientes, hi plebis nomine veteribus civibus s. populo proprie dicto opponebantur. Paullatim tamen quum in unius civitatis corpus magis magisque coalesce-

rent, communi populi nomine utrosque comprehendi consentaneum fuit, idque si non prius, certe inde ab legibus XII tabularum latis factum videri etiam Niebuhrio debebat, quandoquidem his legibus ordines multo quam antea magis inter se divinarum humanarumque rerum communione sociatos, adeoque tribuum quoque et tributorum comitiorum, quae antea solius plebis fuerint, pariter utrosque participes factos esse statuit. Quamobrem quicunque post XII tabulas populum dixerunt, universos Quirites dixisse putandi sunt: ipsaque harum tabularum lex, quae apud Livium affertur, ***ut quodcunque postremum populus iussisset id ius ratumque esset***, non solum, opinor, ad patrum auctoritates, quales curiatae leges Niebuhrio videntur, sed ad omnium comitiorum suffragia pertinere dicetur. Iam vero Marciana ista carmina quo tempore composita sint, neque ex Livio XXV, 12 neque aliunde compertum habemus [1]): vetustissima fuisse constat, neque quidquam obstat, quominus ante XII tabulas orta esse
5 credantur. Quod igitur in his ***praetor*** commemoratur, ***qui ius populo plebeique dabit summum***, dictum hoc est ex illius temporis consuetudine. Neque enim ***praetoris*** nomine quemquam in hanc se opinionem induci passurum arbitramur, ut post annum CCCLXXXVIII illa carmina condita existimet. — Quod autem ad formulam illam attinet, qua Cicero utitur pro Muren. c. 1: ***Quae deprecatus a dis immortalibus sum — ut ea res mihi magistratuique meo, populo plebique Romanae bene atque feliciter eveniret***, cui altera similis addi potest Verrin. lib. V c. 14: ***Floram matrem populo plebique Romanae — placandam:*** has sane ortas esse illo tempore fatebimur, quum plebs nondum populo contineretur h. e. ante leges XII tabularum, servatas autem, ut erant omnino Romani veterum formarum tenacissimi, etiam iis temporibus, quum verae earum et primitivae significationis dudum omnes obliti erant: quemadmodum etiam in altera illa formula, quae ***populo Romano Quirites*** tanquam diversos adiungit, Niebuhrius ipse factum esse observat tom. I p. 439. ed. sec. At vero annalium scriptores eos, quibus Livius ceterique historici auctoribus usi sunt, populi nomen eo quo Niebuhrius voluit sensu usurpasse, id nullo plane argumento probari posse, omnesque illos locos, in quibus huius usus vestigia inesse dicuntur, diversam explicationem aut flagitare aut facile admit-

1) De his vid. qui a Valesio ad Ammian. Marcellin. XVII, 5 et a Davisio ad Cic. de divin. I, 40 citantur.

tere contendimus. Nam quod apud Livium II, 56, 12 tribuni non *populi* sed *plebis* magistratus esse dicuntur, hoc omnes ante Niebuhrium hanc vim habere statuerunt, ut tribunorum potestas non in universam civitatem, patres pariter ac plebem, sed in plebeios tantummodo exerceri posse diceretur: quae explicatio et verbis et rei accommodatissima est, possintque eodem modo consules *populi* non *plebis* magistratus dici, ut quorum imperio non una pars civitatis, sed omnes in universum cives subiecti sint. Item quod apud Livium III, 55, 3 Valerius et Horatius Coss. tulisse dicuntur, ut quod tributim plebes iussisset populum teneret, profecto nihil aliud significat, quam quod legibus Publilia et Hortensia scriptum fuit, ut plebiscitis omnes Quirites tenerentur. Vid. Liv. VIII, 12, 14 ibiq. intt. et ad Epitom. lib. XI. — At *concilia populi* commemorantur aliquoties: quod quum concilia, Laelio Felice auctore, non universorum civium sint, sed partis alicuius, nonne manifestum est, qui populi concilia dicat, non omnes Quirites, sed partem tantummodo significare? hanc autem partem patricios esse nonne vel unus Livii locus demonstrat, I, 36: *ut concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non addixissent, dirimerentur?* Quippe ad plebis concilia nihil pertinebant auspicia: designantur ergo, ut *exercitu vocato* centuriata, ita *populi conciliis* curiata comitia. — Ita est profecto: at curiatim solos patricios coiisse, exclusis plebeiis, id neque aliis rationibus neque illo *concilii* nomine probatur. Scilicet Laelii Felicis verba haec sunt apud Gellium N. A. XV, 27, 4: *Is qui non universum populum sed partem aliquam adesse iubet, non comitia sed concilium edicere debet:* cuius praecepti vis haec est, non ut *concilium* nunquam de universi populi conventu, sed ut de partis alicuius conventu nunquam *comitia* dici debere praecipiat. Quamquam ne hoc quidem ab historicis religiose observari solet, sed *concilii* nomen a Livio et aequalibus scriptoribus de quocunque conventu multitudinis dici, etiam de concione, vel iis exemplis apparet, quae Gronovius congessit ad XLIV, 2, 5: quamobrem nihil sane causae est, cur 6
isto quem supra adscripsimus loco de parte tantummodo h. e. de patriciis hoc vocabulum accipiendum esse concedamus, id quod ne si Laelii quidem Felicis, non Livii is locus esset, ipsius Laelii praeceptum nos cogeret. Etiam lib. II cap. 7, ubi haec leguntur: *Valerius — vocato ad concilium populo submissis fascibus in suggestum escendit: gratum id multitudini spectaculum etc.* Livii animo non patriciorum sed universae civitatis conventum obversatum esse satis apparet; neque

id Niebuhrius negat tom. I p. 553 ed. sec., sed Livium vim verborum, quae ex vetere aliquo annalium scriptore descripserit, non recte intellexisse contendit. Atqui hoc si concedatur, etiam alium errorem huic adiunctum fuisse oportet: nempe veterem istum de comitiis (curiatis) loquutum esse, Livium autem haec de concione accepisse. Nam concionem ab eo nobis proponi, non comitia, ipsa quae sequitur narratio satis docet. Quamquam Niebuhrius p. 554 ita loquitur, quasi in eodem illo conventu etiam leges perlatae sint, quarum Livius cap. 8 mentionem facit: quod si ita esset, comitia sane, non concionem haberemus. At apud Livium ipsum res non ita se habet, sed inter istam Valerii concionem et leges ab eo latas aliquid temporis interiectum fuisse extrema capitis septimi verba demonstrant. — Porro lib. III cap. 71 certamen a Livio narratur Aricinorum et Ardeatium de agro ambiguo. *Iudicem*, inquit, *populum Romanum cepere. Quum ad causam orandam venissent concilio populi a magistratibus dato magna contentione actum, iamque editis testibus quum tribus vocari oporteret consurgit P. Scaptius de plebe etc.* Et cap. 72: *vocatae tribus iudicarunt agrum publicum populi Romani esse.* Apparet hoc quoque concilium populi ex Livii mente universorum civium fuisse: errasse autem eum populi nomine inductum Niebuhrius contendit propterea quod quum agri publici possessio illo tempore penes solos patricios esset, ne potuerit quidem plebs de eiusmodi quaestione cognoscere: neque verisimile esse talem honorem plebi illo tempore a senatu habitum, ut arbitrium inter finitimos populus ei committeret. De agro publico disputare nunc neque vacat, neque ad rem pertinet, quandoquidem oblitus est Niebuhrius quaestionem plebi ad disceptandum propositam non hanc initio fuisse, publicusne ille ager esset an non, sed Ardeatiumne esset an Aricinorum, et postea demum audita Scaptii oratione plebem eum neutrorum esse iudicasse. Eiusmodi arbitrium tributis comitiis a senatu permitti potuisse non intelligo profecto cur tam cupide negemus, ut non errasse solum in populi conciliique nominibus Livium criminemur, sed mendacii quoque accusemus. Nam si apud veterem annalium scriptorem, cuius verba perperam scilicet intellecta Livius transscripsit, de curiatis (patrum) comitiis narratum erat, Scaptium illum plebeium et appellatos tribunos tribusque in suffragium vocatas Livium temere confinxisse oportet. Neque Livius solum mentitus erit, sed Dionysius quoque Halicarnassensis, qui eandem hanc rem tradens XI cap. 52 καθ' ἑκάστην φυλὴν suffragia lata esse scri-

bit. Et sane tribubus illud arbitrium commissum eo minus improbabile videri poterit quod, quo tempore haec res acta est, a. u. c. CCCVIII, in tribubus etiam patricios fuisse ipse Niebuhrius concedit tom II p. 355 sqq. — Denique lib. VI cap. 20 de M. Manlii Capitolini iudicio Livius haec habet: *Adprobantibus cunctis diem Manlio dicunt* 7
(tribb. pl. M. Maenius et Q. Publilius). — *In campo Martio quum centuriatim populus citaretur et reus ad Capitolium manus tendens ab hominibus ad Deos preces avertisset, apparuit tribunis, nisi oculos quoque hominum liberassent ab tanti memoria decoris nunquam fore in praeoccupatis beneficio animis vero crimini locum. Ita prodicta die in Petelinum lucum extra portam Nomentanam, unde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum est. Ibi crimen valuit etc.* Hanc quoque narrationem a Livio corruptam esse Niebuhrius contendit tom. I p. 439 et tom. II p. 682 sqq. Absolutum enim esse a centuriis Manlium, dein iterum a quaestoribus in ius vocatum condemnatumque curiarum suffragiis. Id vel inde apparere quod centuriata comitia nusquam nisi in campo Martio haberi solita sint: curias autem etiam legem Hortensiam in esculeto accepisse. Scilicet non meminit vir doctissimus centuriatorum comitiorum vel in castris habitorum, de quibus ipse dixerat tom. I p. 502. Et curiatorum quoque legitimus locus in Comitio fuit prope Vulcanal (Varro de L. L. V, 32 p. 154 Speng. Dionys. VII, 17. II, 50. VI, 67. XI, 39.) illaque in esculeto comitia extra ordinem convocata „quum plebes secessisset in Ianiculum“. Plin. N. H. XVI, 10. Illud autem plane contra omnem historiae fidem sumptum est, qui centuriarum suffragiis absolutus esset, eundem rursus eiusdem criminis causa apud curias reum fieri potuisse: ut taceam legem XII tabularum quae de capite civis rogari nisi maximo comitatu vetabat. Cic. de Legg. III, 19, cf. Dirksen. de emend. et restit. XII tabb. p. 645. Quamquam hoc argumentum Niebuhrius coniectura quadam elevare conatus est, cui quid tribuendum sit nolo nunc accuratius examinare. Ceterum tribunos an quaestores Manlii accusatores fuisse credamus, nihil facit ad rem: universum autem rei gestae ordinem causamque translati e campo in lucum Petelinum concilii plane ut Livius tradiderunt etiam Plutarchus vit. Camill. cap. 36, Dionys. Excerpt. 28 p. 32 et Zonaras, Dionis epitomator, cuius alioquin magna apud Niebuhrium auctoritas esse solet, lib. VIII cap. 24 p. 359 Ven.; ut hac in re magnus veterum annalium consensus fuisse videatur. — Hi sunt Liviani loci de *populi*

conciliis omnes, quorum quum nullus sit, qui eripi Niebuhrio nequeat, reliquum est ut de illo videamus, quem omnium manifestissime illud populi et plebis discrimen comprobare dicit, lib. IV cap. 51: *His consulibus principio anni senatusconsultum factum est, ut de quaestione Postumianae caedis tribuni primo quoquo tempore ad plebem ferrent, plebesque praeficeret ei quaestioni quem vellet. A plebe consensu populi consulibus negotium mandatur.* Hoc, si populum patricios curiatim convocatos significare largiamur, hanc habebit sententiam, ut quae plebs tributim sciverit, patres curiatim accepisse dicantur. Sin vero istam populi significationem non agnoscimus, nihil aliud Livium dixisse apparet, nisi quod plebs scivisset universis civibus probatum fuisse. Et sane aut hoc aut nihil cogitasse Livium oportet ipsumque quid diceret nesciisse, quandoquidem istam alteram populi significationem ei plane ignotam fuisse quaevis pagina docet ipseque Niebuhrius arguit tom. I p. 440. Falsam autem esse Livii narrationem, et non potuisse, quemadmodum scribit, plebi a senatu permitti ut mandaret quaestionem quibus vellet, contendit quidem Niebuhrius tom. II
8 p. 491, sed nullis rationibus demonstravit[2]). — Restant Graecorum scriptorum loci, a quibus *δῆμον* et *πλῆθος* eodem modo quo populum et plebem inter se opponi statuit, ut altero patricii, altero plebs significetur. Ex his primus est Zonaras, Dionis scilicet etiam in horum vocabulorum usu religiose vestigia legens. Is igitur lib. VII c. 15 p. 257 B. Venet. quum de tribunicia potestate exponens *εἴ τι που*, inquit, *ἔδοξεν αὐτοῖς μὴ γενέσθαι, ἐκώλυον, κἂν ἰδιώτης ἦν ὁ ποιῶν κἂν ἄρχων, κἂν ὁ δῆμος κἂν ἡ βουλή*, Niebuhrius tom. II p. 191 not. 367 manifestissime *δῆμον* populum suum patricium esse contendit: quasi non quibusvis comitiis, etiam centuriatis, tribuni intercedere potuerint. Idem ib. p. 258 A: *πάντα γὰρ τά τε παρὰ τῷ δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ γραφόμενα λαμβάνοντες (οἱ ἀγορανόμοι) ὥστε μηδὲν σφᾶς τῶν πραττομένων λανθάνειν ἐφύλασσον.* Nihil aliud, opinor, dicit nisi aediles et plebiscita et leges, sive curiatas

---

2) Praetermisimus unum locum, Varr. de re rust. I, 2: *Licinius tribunus pl. quum esset post reges exactos annis CCCLXV primus populum ad leges accipiundas in septem iugera forensia e comitio eduxit*, quem Niebuhrius ipse tom. II p. 399 ed. pr. tam corruptum esse fatetur, ut emendandus ante quam interpretandus sit.

sive centuriatas, et senatusconsulta custodivisse. Denique cap. 17 p. 260 D: *ἐννέα δήμαρχοι πυρὶ ὑπὸ τοῦ δήμου παρεδόθησαν.* Nimirum eiusmodi facinus non potuit nisi a patriciis committi. Vellem tamen paullo explicatiorem huius rei narrationem ad nos pervenisse, ut diiudicari aliqua certa ratione posset, per factionem ac tumultum illi combusti sint an ex populi sententia, eaque utrum a curiis an a centuriis pronuntiata, an vero omnis res conficta sit, quod quidem ipsi Niebuhrio veri simile videtur tom. II p. 468. Ut nunc est, nihil ex isto loco concludi posse apparet. Illud autem pro certo affirmamus, *δῆμον* Zonaram nunquam nisi de unisersis civibus dixisse, ut non excluderet plebem sed comprehenderet, patricios autem illi *εὐπατρίδας* esse. Velut lib. VII cap. 9 p. 246 E de Servio Tullio: *εἶτα πρὸς θεραπείαν τοῦ δήμου ἐτράπετο, ὡς ῥᾷστα μᾶλλον τὸν ὅμιλον ἢ τοὺς εὐπατρίδας ὑποποιησόμενος.* Poterat hoc nullo sententiae discrimine ita dici: *ὡς ῥᾷστα μᾶλλον τοῦτον* (h. e. *τὸν δῆμον*) *ἢ τοὺς εὐπ. ὑποπ.* Paullo post p. 247 A: *ὡς δὲ χαλεπῶς εἶχον οἱ εὐπατρίδαι αὐτῷ — συναγαγὼν τὸν δῆμον ἐδημηγόρησε,* et paucis interiectis: *τὸν μὲν οὖν ὅμιλον οὕτως ὁ Τύλλιος ᾠκειώσατο.* Eodem libro cap. 13 p. 255 A de dictatore: *δικάζειν δὲ καὶ ἀποκτείνειν καὶ οἴκοι καὶ ἐν στρατείαις ἠδύνατο, καὶ οὐ τοὺς τοῦ δήμου μόνους, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἱππέων καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς βουλῆς* .Etiam cap. 14 p. 255 B: *τότε μὲν οὖν δικτάτωρος γενομένου οὐδὲν ὁ δῆμος ἐνεωτέρισεν.* De eadem re Livius II cap. 18: *Creato dictatore — magnus plebem metus incessit,* quod quam recte dictum sit ipse Niebuhrius docet tom. I p. 688 sqq. Paullo infra de secessione plebis in montem sacrum: *ὁ δῆμος εἰς στάσιν ᾑρέθιστο,* et mox Valerius consul senatum apud plebem accusat *θέλων τῷ δήμῳ χαρίσασθαι* et *δημηγορήσας πρὸς τὸν δῆμον κατὰ τῆς βουλῆς.* Tantum de Zonara. Restat Diodori locus lib. XIV cap. 113 extr.: *ὁ μὲν οὖν δῆμος τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις πάντα πειθόμενος τῇ γερουσίᾳ τότε πρῶτον ἤρξατο διαλύειν τὸ κριθὲν ὑπὸ τῆς συγκλήτου.* Hoc Niebuhrius de curiatis patrum comitiis accipiendum putat, quae semper olim senatus auctoritatem suis suffragiis comprobasse dicantur ante illam quae a Dio- 9
doro exponitur actionem de Fabiis Gallorum vindictae tradendis. Atqui Diodorus hac de re non apud patricios sed apud universam multitudinem actum esse ostendit, quum patrem Fabium apud plebem, *παρὰ τοῖς πλήθεσιν,* gratiosum fuisse tradat eoque effecisse ne

senatusconsultum ratum fieret. Nam apud patricios haec quidem gratia valere nihil potuit. Loquitur autem haud dubie de centuriatis comitiis: nam tribus ante hoc tempus semper senatui dicto audientes fuisse ne Diodorus quidem, vel quemcunque hic auctorem sequitur, credere potuit. De centuriis id, si non verum, minus tamen manifesto falsum. Porro XII cap. 25: ἐξουσίας οὔσης τῷ δήμῳ καὶ ἀμφοτέρους τοὺς ὑπάτους ἐκ τοῦ πλήθους αἱρεῖσθαι. Distinguitur quidem δῆμος a πλήθει, sed non opponitur. Populus, inquit, etiam utrumque consulem plebeium creare potuit, scil. centuriatis comitiis. Nam a curiis utrumque consulem plebeium creatum esse, non magis quam nos Niebuhrius ipse credit. — Afferuntur praeterea tom. II p. 203 not. 393 duo Dionysii loci, de quibus dicere nihil attinet.

Iam igitur hac de *populo* quaestione absoluta dicendum est de *patribus*. Nam hoc quoque nomine Niebuhrius saepenumero non senatum sed patricios curiatim convocatos h. e. nihil aliud quam populum istum suum significari autumat, eamque huius nominis apud veteres annalium scriptores significationem etiam Livium, quum initio ignorasset, mox tamen intelligere coepisse et inde a libro secundo hunc usum constanter tenuisse, ut patres non diceret nisi de patriciorum conciliis h. e. de comitiis curiatis. Hoc quam recte observatum sit pauca quaedam exempla declarabunt. Lib. II cap. 28 §. 9: *Senatum iterum consulere placuit, tum vero ad sellas consulum propere convolavere minimus quisque natu patrum* h. e. haud dubie senatorum. Nam in senatu res geritur, eumque mox consules alloquuntur cap. 29, 1: *Ne praedictum negetis patres conscripti, adest ingens seditio.* — Lib. III cap. 41, 1: *In hanc sententiam ut discederetur iuniores patrum evincebant.* Haec quoque in senatu aguntur. — Lib. IV cap. 48, 5: *Appius Claudius, nepos eius qui decemvir legibus scribendis fuerat, minimus natu ex patrum concilio fertur dixisse etc.* Hoc patrum concilium senatum esse docent quae sequuntur §. 11: *Misso senatu prensantur a principibus tribuni.* Itaque Livium quidem isti sententiae nihil auxilii ferre apparet: sed sunt tamen alia fortasse vestigia patricii cuiusdam concilii a senatu non minus quam ab universorum civium comitiis discreti et patrum nomine designati. Nobis ne hoc quidem concedi posse videtur. Ac primum quidem patrum auctoritatem apud Livium I, 17. 22. 32 et Dionysium II, 60 non diversam esse a senatus auctoritate demonstrasse nobis videmur in priore huius disputationis particula p. 10 [70]. Quae autem praeterea afferuntur istius

sententiae argumenta, nequaquam id quod Niebuhrius voluit efficiunt. Apud Ciceronem pro Planc. c. 3 *patres* illos, qui *reprehensores comitiorum* dicuntur, a senatu diversos esse apparere putat propterea, quod quum Cicero de re publ. II, 32 hoc reprehendendi iure nobilium potentiam maximo opere stabilitam dicat, satis aperte nobiles a senatu distinguat. Hoc quale sit manifestum fiet ipsis Ciceronis verbis adscriptis et quemadmodum nobis interpretanda videntur explicatis. *Tenuit igitur*, inquit, *hoc in statu senatus rem publicam temporibus illis* (h. e. post reges exactos), *ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate et instituto ac more gererentur, atque uti consules potestatem haberent tempore dumtaxat annuam genere ipso ac iure regiam. Quodque erat ad obtinendam potentiam nobilium vel maximum, vehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata, nisi ea patrum approbavisset auctoritas.* Nimirum duae rationes a Cicerone afferuntur, quibus effectum sit, ut in nobilium vel optimatium potestate res publica esset, primum quod pleraque non per populum sed per senatum gererentur, dein, quod si quid a populo in comitiis actum esset, hoc non esset ratum, nisi patrum quoque auctoritas accessisset; fuisse igitur his duobus modis nobilium potentiam stabilitam, quod et pleraque ipsi in senatu agerent, et quae a populo acta essent, reprehendere tamen possent. Itaque nulla est causa, quamobrem horum nobilium etiam aliud quoddam praeter senatum quaeramus concilium. — Porro apud Livium lib. VI cap. 42 quod scriptum exstat: *comitia consulum adversa nobilitate habita, quibus L. Sextius primus de plebe consul factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit, quia patricii se auctores futuros negabant,* hinc plane manifestum fieri Niebuhrius dicit, patricios istos, qui se auctores fore negarint, a senatu diversos esse: senatum enim plebi iam antea concessisse. Atqui concessit sane senatus, verum tamen nihil nisi hoc, ut rogationes tribuniciae acciperentur. Non autem hoc rogaverant tribuni, ut Sextius consul crearetur, sed ut alterum utique consulem de plebe creari oporteret: quippe consulem ipsum rogare ne poterant quidem tribuni. Itaque quum plebeium consulem creari patres sivissent, Sextium tamen, infestissimum factionis suae adversarium, auctoritate sua comprobare noluerunt. Quod autem patricios dicit, non senatores in universum, id qua ratione factum sit, non sane obscurum esse potest. Videlicet non omnes senatores illud noluerunt, sed ii tantummodo, qui patricii ordinis erant, qui quum numero longe haud dubie superarent

plebeios, his invitis senatus auctoritatem nullam esse potuisse apparet. — Neque plus auxilii suppeditat alter Livii locus de censorum institutione lib. IV cap. 8: *Mentio illata ab senatu est.* — ***Et patres quamquam rem parvam, tamen, quo plures patricii magistratus in re publica essent, laeti accepere, — et tribuni — haud sane tetendere.*** Hunc locum tanquam firmissimum suae sententiae adiumentum Niebuhrius laudat tom. II p. 255, aliosque eum aut cauto quodam silentio praetermisisse aut temere mutare conatos esse criminatur. Scilicet Pighius legendum censet: *mentio illata ab consulibus in senatu est,* eamque coniecturam Drakenborchius ita probat, ut tamen illud *a consulibus* omitti sit, neque vulgatam lectionem, quae codicum omnium auctoritate confirmatur, prorsus spernendam sibi videri significet. Et quis eam spernat, modo ne in alienam sententiam detorqueatur? Distingui hoc loco patres a senatu manifestum est: nec sane quisquam hoc mirabitur, nisi qui patres nullos praeterquam in senatu fuisse existimet, id quod hodie neminem esse qui credat pro certo affirmari potest; at de coetu quodam et concilio horum patrum, qui extra senatum essent, iusto ac legitimo nullum equidem in Livii verbis vesti-
11 gium me invenire confiteor. Niebuhrius quidem tom II p. 437 senatus de censoribus creandis decretum a curiis acceptum (hoc enim esse illud: *patres rem laeti accepere*) deinde in tributis comitiis, non resistentibus tribunis, perlatum esse narrat. Nempe hunc rei gestae ordinem non ex Livii verbis cognovit, sed aliunde sibi probabilem factum in Livium ipse intulit. Nobis autem Livius nihil nisi hoc dicere videtur: promulgatam ex senatus consulto de censoribus creandis rogationem et patricio ordini gratam fuisse et a tribunis non impeditam. — Porro in Macri tribuni oratione apud Sallustium histor. fragm. lib. III fr. 22 haec leguntur: *ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei, modo patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vestri paravere.* Hunc igitur patricios videmus auctores dicere, qui ab aliis patres dici solent, ut etiamsi quis *patres* de senatu accipi posse concedat, *patriciorum* tamen nomen, quum in senatu inde ab initio liberae reipublicae etiam plebeii fuerint, videri possit necessario de alio quodam concilio, h. e. de comitiis curiatis accipiendum esse. Sane si unquam *auctoritatem* curiatis comitiis a veteribus tributam esse constaret, non intercederem quominus et hoc loco et illo Liviano VI, 42 de quo supra dictum est, haec comitia, quippe patriciorum quodammodo propria et a quibus plebeii, quum nihil se ad-

versus illorum potentiam valere intelligerent, plerumque abstinuisse
videntur, designari crederemus. Nunc autem in promptu est apud
Sallustium quoque patricios illos non alios esse quam senatores; uti
autem illo potissimum nomine tribunum propterea, quod et multo
maior olim in senatu patriciorum quam plebeiorum numerus et po-
tentia fuerit, et, quum de ordinum certaminibus loquatur, adversariam
plebi factionem isto nomine commodissime designari videret. Quam-
quam fuerunt etiam, qui quum ex hoc loco, tum ex aliis duobus, al-
tero apud personatum Ciceronem de domo cap. 14, altero Liviano illo
VI, 42 colligendum censerent, non omnium senatorum illud ius fuisse,
ut sua auctoritate comitiorum acta aut reprehenderent aut comproba-
rent, sed illorum tantum, qui essent ex ordine patricio. Hanc enim
opinionem, dudum a Drakenborchio propositam ad Liv. l. l., postea
ab aliis neglectam, nuper admodum Fritzschius recoxit in censura
Plancianae a Wundero editae. Vid. Zimmermann. Diar. scholast. ann.
1831 p. 1115. Nobis quid de Sallustii et Livii locis videatur modo
expositum est: rhetorem autem istum quae de auctoribus centuriato-
rum et curiatorum comitiorum loquitur, quos nullos amplius fore di-
cit, si liceat cuilibet de patribus ad plebem transire, ex Livio hausisse
existimamus, apud quem lib. VI cap. 41 Appii extat oratio de plebeiis
ad consulatum non admittendis. *Penes quos*, inquit, *sunt auspicia
more maiorum? Nempe penes patres: nam plebeius quidem magistra-
tus nullus auspicato creatur. — Quid igitur aliud quam tollit ex civi-
tate auspicia, qui plebeios consules creando a patribus, qui soli ea ha-
bere possunt, aufert? — Nunc nos tanquam iam nihil pace deorum
opus sit, omnes caerimonias polluimus: non leges auspicato ferantur,
non magistratus creentur: nec centuriatis nec curiatis comitiis patres
auctores fiant.* Coniungi hoc loco videmus patrum auctoritatem cum
auspiciorum iure: propterea haud dubie, quod olim auctores comitio-
rum patres non fiebant nisi avibus addicentibus. Auspicia autem haec
observanda erant ab iis, qui senatui praeerant h. e. a consulibus: quam- 12
obrem si consules plebeii creentur, hi quum habere auspicia salva re-
ligione non possint, futurum esse Appius praedicit, ut auctoritas quo-
que patrum intereat, quippe quae sine auspiciis nulla sit. Ceterum
quod *curiatorum* quoque comitiorum auctores a Livio *patres* dicuntur,
hoc etiam argumento manifestum fit, nihil eum de eiusmodi patrum
auctoritate compertum habuisse, quae ipsa nihil aliud esset quam lex
curiata. At Dionysius, inquit Niebuhrius, de comprobatis patrum

auctoritate tribunis loquens lib. VI cap. 90, *τοὺς πατρικίους* dicit *ἐπικυρῶσαι τὴν ἀρχὴν ψῆφον ἐπενέγκαντας*, de simili autem re lib. X cap. 4: *αἱ φράτραι τὴν ψῆφον ἐπιφέρουσι.* Scilicet huius quoque argumenti vis omnis eo continetur, si concedamus Dionysium Romani alicuius veteris annalium scriptoris verba ita expressisse, ut quid haec significarent ipse non intelligeret. Nam patricios illos, quorum auctoritate tribunorum potestas confirmata sit, Dionysio senatores visos esse, non patricios curiatim suffragia ferentes, vel inde apparet, quod in curiatis comitiis creatos tribunos dicit VI cap. 89, IX cap. 41 cum Cicerone fragm. or. pro Cornel. tom. IV part. 2 p. 451 ed. Orell., quod ut falsum esse Niebuhrio largiamur tom. I p. 649, non tamen ex eo consequitur etiam illud necessario falsum esse, quod senatus auctoritate tribunos comprobatos esse autumat. Etenim quemadmodum in regibus olim ac dein consulibus creandis fieri moris erat, ut rogarentur ex senatus consulto, crearentur a populo, comprobarentur a senatu, denique magistratum capesserent lege curiata, ita etiam tribuni antiquitus creabantur a populo in comitiis centuriatis [3]), licet non ex Sclto, comprobabantur a senatu, potestatem capessebant lege curiata. Id quoniam postea fieri desierat, propterea apud Dionysium lib. X cap. 4 consules suum magistratum tribunatui opponentes *εἰ δ᾽οὖν*, aiunt, *καὶ πρότερον ἦν τις ὑμῖν δύναμις, ἣν οὐκ ἐκ τοῦ δικαίου βιασάμενοι ἡμᾶς ἐλάβετε — οὐχὶ καὶ ταύτην νῦν ἀπολωλέκατε τῇ μεταβολῇ τῶν ἀρχαιρεσιῶν; οὔτε γὰρ βουλῆς δόγμα ὑμᾶς ἀποδείκνυσιν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, οὔτε αἱ φράτραι τὴν ψῆφον ὑπὲρ ὑμῶν ἐπιφέρουσιν.*

Perveuimus ad Ampelium. Nam ne hunc quidem testem Niebuhrius tom. II p. 255 producere dedignatus est, scriptorem infimae aetatis omniumque futilissimum, sed qui hac una scilicet in re bonorum et perantiquorum auctorum fidem sequutus videri debeat. Is igitur cap. 48: *comitia*, inquit, *dicuntur a comitatu et frequentia, quod patres et classes ad suffragia vocantur creandorum magistratuum vel sacerdotum causa.* Patres hoc loco patricios esse apparet: hos recte a classibus distingui concedimus: fuerunt enim in equitum centuriis duodeviginti, non ex censu sed ex genere descriptis, classes autem proprie non erant nisi plebeiorum ex censu descriptae. Sed num co-

---

3) Scilicet ante legem Publiliam.

mitia quoque patrum a plebeiorum comitiis diversa Ampelius designat? Non opinor; sed, ut est elegans scriptor et eruditus, in generis definitione ponit, quae ad unam tantummodo speciem, centuriata comitia, pertinent. Nam universum genus eum definire voluisse manifestum faciunt quae statim subiunguntur: *Comitiorum autem triplex ratio est. Haec curiata, haec tributa, haec centuriata dicuntur, quia* 13
haec per curias et per tribus et per centurias explicantur. Dein ita pergit: *Si translaticium sit et solitum, de quo populus* (scil. rogatur aut suffragium fert aut tale quid), *curiatis transigitur.* Hunc populum Niebuhrius patriciorum credere videtur, sane contra Ampelii mentem: qui quum addat: *si amplius, tributis*, hic quoque haud obscure illud *populus rogatur* suppleri postulat. Quamobrem hunc quoque testem reiiciendum esse pronuntiabimus.

Videtis, commilitones, hoc omne genus argumentorum quale sit et quam infirmum: quodsi non aliis etiam ac solidioribus fundamentis ista de populo patricio et patriciis curiarum comitiis sententia niteretur, dubitari non potest, quin confutata videri deberet. At sunt sane etiam alia eaque aliquanto graviora, atque offecisse suae ipsum causae virum summum existimamus, quod eiusmodi quoque rationibus tam parum ad persuadendum aptis tamque ad refellendum facilibus utendum sibi putavit. Debebat potius hoc unum profiteri, quod in re erat: testimonia scriptorum, quae suam sententiam confirmarent, nulla superesse, videri tamen sibi illam veteris reipublicae formam ordinumque conditionem, quam Livius ceterique historici olim fuisse significarent, adeo improbabilem, ut quin hi omnes errassent, dubitari non posset. Veram veteris rei publicae formam, quum disertis scriptorum testimoniis cognosci non posset, tamen divinatione quadam et coniectura indagari posse, si quis a rebus gestis, de quarum veritate constaret, diligenter et subtiliter examinatis profectus, qualem eam civitatem, in qua talia gesta essent, fuisse oporteret, vel ratione ductus vel aliarum rerum publicarum comparatione adiutus intelligere conaretur. Neque vero hac via ac ratione Niebuhrius non usus est: quin hanc unam initio sequutus ad illam de veteris reipublicae forma sententiam pervenisse videtur, quam postea demum etiam argumentis extrinsecus petitis fulcire conatus est. Quodsi quis hoc sibi sumat, ut viri summi coniecturas omnes examinet et quid in una quaque verum sit, quid probabile, quid falsum, demonstret, hunc omnem fere Romanam historiam inde ab initio usque ad quintum ab urbe condita

saeculum persequi oportebit: id quod et immensi operis et temporis haud exigui esse intelligitis, nulloque modo intra angustissimos huiusmodi scriptionum academicarum fines perfici posse. Itaque hoc alias fortasse efficere conabimur: nunc id agamus, quod officii nostri est, ut ad scholas nostras, quarum indici haec praefati sumus, studiose ut soliti estis, et assidue frequentandas vos invitemus.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. IV. Id. Mart. MDCCCXXXII.

DE ECCLESIIS LACEDAEMONIORUM.

Inter eruditos Danos, qui saeculo septimo decimo plurimi incla- 3
ruerunt, non infimo loco censendus est Nicolaus Cragius Ripensis, primum scholae Hafniensis rector, postea litterarum Graecarum in Hafniensi universitate professor, postremo scholae Soranae praefectus [1]). Nomen Cragii praeter Annalium libros VI, quibus res Danicae ab excessu regis Friderici I ac deinde a gloriosissimo rege Christiano III gestae usque ad annum MDL enarrantur, nobilitarunt imprimis libri IV de re publica Lacedaemoniorum, opus, ut illa aetate, egregium summaque laude dignum. Nam quum ante Cragium de rebus publicis Graecorum pauci admodum exposuissent, et praeter Sigonium, cuius de Atheniensium re publica libri etiam hodie digni sunt qui legantur, vix quisquam operae pretium fecisset, Spartanorum autem res fere totae adhuc in obscuro iacerent neque a quoquam illustratae essent, primus Cragius insigni diligentia et sollertia omnem rei publicae Spartanae rationem, consilia, magistratus, iudicia disciplinamque civilem complexus rem antehac plerisque fando magis et incerto quodam rumore auditam, quam certa cognitione exploratam, aequalium suorum oculis propius quasi intuendam proposuit. Qui autem proxime post eum in eodem argumento elaborarunt, Ioannes Keckermannus Dantiscanus [2]) et Ubbo Emmius Friso, etiamsi videri volunt Cragium in mul-

1) Vita viri doctissimi et in publicis quoque negotiis plurimis et maximis spectati ab Ioanne Grammio, litt. Gr. in univers. Hafniensi professore clarissimo scripta, extat in edit. Annalium Cragii, Hafn. MDCCXXXVI a Grammio curata.

2) Huius de re publ. Spart. liber primum non ipsius auctoris sed Nicolai Sienicii Poloni nomine prodiit Dantisc. ann. MDCVI, repetitus postea in Keckermanni systemate systematum, Hanov. MDCXIII.

tis rebus emendasse, tamen, si verum dicere volumus, nihil nisi repetierunt quae ab illo acceperant, ordine tantum et tractandi ratione immutata. Unus eodem saeculo addidisse aliquid ad rerum Spartanarum
4 cognitionem dicendus est Ioannes Meursius, natione Batavus, civitate Danus, et in Sorana academia professor [3]). Ita quum duo illi, alter origine alter iure, Dani principes fuerint Lacedaemoniorum rei publicae rectius cognoscendae, nos nunc, quum instantibus Hafniensis academiae saecularibus admoniti Danorum eruditorum memoriam animo repeteremus, atque Cragii et Meursii illustrata multis magnisque meritis nomina pro studiorum nostrorum genere prae ceteris nos adverterent, non alienum hoc tempore et huius scriptionis consilio nos facturos putavimus, si ex illo rerum orbe, in quo Dani duumviri summa cum laude versati sunt, disserendi materiam peteremus. Fuerunt quidem et hac nostra et proxima ante nos memoria viri nec pauci nec mediocriter vel ab ingenio vel ab eruditione instructi, qui de re publica Lacedaemoniorum exposuerunt: neutiquam tamen omnes huius partes adeo iam illustratae videri possunt, ut nihil amplius quaerendum restet. Atque nostra imprimis aetate postquam magnum Niebuhrii ingenium pari doctrina coniunctum Romanae historiae novam prorsus faciem induit, extiterunt postea nonnulli, cum Niebuhrio haud sane comparandi, qui etiam aliis veteris historiae partibus simili quodam modo retractandis ingenii laudem et ipsi quaererent: quorum unus nuperrime de Lacedaemoniorum re publica plurima protulit [4]) nova haud dubie et inaudita, sed quae tamen, nostro quidem iudicio, non audiri melius fuerit. Nos autem nunc, quoniam omnia ista examinare nec temporis ratio nec spatium huic scriptioni concessum patitur, unum nobis locum tractandum sumpsimus, qui est de ecclesiis s. comitiis Lacedaemoniorum, non tam ut nova doceamus, quam ut vetera et a prioribus proposita ab intempestiva novandi libidine vindicare conemur.

Iam primum quae ab historicis saepenumero commemorantur *ἐκκλησίαι* vel etiam *ἔκκλητοι τῶν Λακεδαιμονίων*, hos populi quosdam conventus fuisse omnes adhuc a Cragio usque ad C. F. Hermannum censuerunt, nec fuit inter eos nisi de una quadam re non ita magna dissensio. Nam quum duo ecclesiarum genera fuerint, alterum

3) Cf. I. V. Schramm de vita et scriptis Io. Meursii. Lips. MDCCXV.

4) *Die spartanische Staatsverfassung in ihrer Entwickelung und ihrem Verfalle, von Karl Heinrich Lachmann. Breslau* 1836.

maiorum, quae solent ἐκκλησίαι simpliciter dici, alterum minorum, quae μικραὶ ἐκκλησίαι vocantur, maioribus alii non cives solum Spartanos sed etiam eos, qui perioeci appellabantur, interfuisse crediderunt, alii contra utrumque genus solis Spartanis assignant, perioecis a suffragio ferendo plane exclusis. Illam sententiam Cragius lib. I, c. 7 [5]) et post Cragium alii plurimi amplexi sunt, e quibus tres nunc nominare satis est, Morum in indice ad Xenoph. hist. Gr. s. v. ἔκκλητοι, Mansonem Spartae tomo 1 p. 92 et Tittmannum de Graecorum rebus publicis p. 89. Sed ne hi quidem plane inter se consentiunt, quandoquidem qui passim a Xenophonte ἔκκλητοι τῶν Λακεδαιμονίων dicuntur, hos Cragius pro maiore populi concilio habuit eo cui non soli Spartani interfuerint, Morus autem eosdem esse statuit cum minore ecclesia cuius perioecos participes non fuisse apparet: Manso quid sentiret non diserte significavit: Tittmanni diversam ab illorum utroque sententiam post examinabimus. Nobis vero ut perioecos suffragium habuisse credamus nulla causa satis idonea esse videtur. Nam Lacedaemoniorum nomen, quo solent fere uti qui de ecclesiis loquuntur, quum commune sit perioecis cum Spartanis, tum saepenumero ita solet usurpari, ut alterutros tantummodo, h. e. aut Spartanos aut perioecos, significari appareat [6]); quamobrem utri horum quoque loco intelligendi sint, ex nomine nullo modo potest discerni, nisi aliae etiam notae accedunt, quibus iudicium nostrum regatur. Quam parum autem probabile sit perioecos quoque ad suffragium in comitiis Lacedaemoniorum admissos esse tam luculenter demonstravit vir doctissimus, C. O. Muellerus [7]), ut vix quemquam adhuc in ea sententia esse arbitrer. Nam quum longe maior esset inter Lacedaemonios perioecorum quam Spartanorum numerus, ecclesiarum autem illud ipsum genus, cui perioecos interfuisse voluerunt, de summis saepe rebus publicis decerneret, futurum haud dubie fuisset, ut hae non e Spartanorum sed e perioecorum arbitrio penderent, adeoque Spartana civitas eorum voluntati obnoxia esset, quos ne cives quidem habitos esse constat. Itaque solis civibus h. e. Spartanis suffragium fuisse pro non dubio sumimus, quae-

---

5) Non tamen tacendum est, Cragio de perioecis et universa eorum conditione parum compertum fuisse, neque ullum in eius opere locum esse, ex quo appareat eum hunc hominum ordinem a civibus recte distinxisse.

6) Cf. Valcken. ad Herod. VII, 234. IX, 11. Manso Spart. I, 1 p. 69.

7) Dor. tom. II, p. 24. 25.

rendumque illud tantummodo restat, quosnam ex his utrique ecclesiarum generi interfuisse statuamus. Atque ante nuperrimum rerum Spartanarum scriptorem eorum qui prudentissime de iis disseruisse videbantur haec fuit sententia, ut maiores ecclesias omnium, minores autem eorum tantummodo, qui *ὅμοιοι* dicebantur, fuisse censerent, de quibus quid nobis videatur, alio loco exponemus. Nunc hoc tantum
6 dicimus, probari non posse quod nonnulli eos, qui a Xenophonte *ἔκκλητοι τῶν Λακεδαιμονίων* dicuntur, eosdem illos homoeos esse arbitrantur, in minorem ecclesiam convocatos. Nam minorem ecclesiam unus qui eius mentionem facit Xenophontis locus satis demonstrare videtur extra ordinem tantummodo de rebus subitis, de quibus maxime secreto ac sine mora transigendum esset, convocari solitam: qualis fuit illa Cinadonis adversus rem publicam coniuratio, de qua quum indicium ad ephoros delatum esset, hi, ut ipsius scriptoris verba afferam [8]), *ἀκούσαντες ταῦτα ἐξεπλάγησαν καὶ οὐδὲ τὴν μικρὰν καλουμένην ἐκκλησίαν ξυλλέξαντες, ἀλλὰ ξυλλεγόμενοι τῶν γερόντων ἄλλος ἄλλοθεν ἐβουλεύσαντο πέμψαι τὸν Κινάδωνα εἰς Αὐλῶνα κτλ.*, in quibus vel ipsum illud *τὴν καλουμένην* indicio esse possit, huiusmodi ecclesias rariores fuisse et minus vulgo notas, utpote extra ordinem tantummodo habitas. Contra *ἔκκλητοι* illi satis saepe commemorantur, et ita quidem ut appareat non alios significari, quam eos qui alias simpliciter *ἐκκλησίας* nomine, nullo epitheto addito, designari solent. Nam apud Xenophontem alicubi [9]) legatos Atheniensium de pace missos produci videmus *ἐπὶ τοὺς ἐκκλήτους τε τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τοὺς συμμάχους*: alio autem loco [10]) Acanthiorum et Apolloniatarum legati auxilium a Lacedaemoniis adversus Olynthios petituri producuntur *πρός τε τὴν ἐκκλησίαν καὶ τοὺς συμμάχους*: neque cuiquam credibile videbitur de rebus eiusdem generis non etiam in eodem ecclesiarum genere actum esse. Huc accedit tertius eiusdem scriptoris locus [11]), ubi Leontiades Thebanus, qui occupandae Thebarum arcis auctor Phoebidae fuerat, Spartam profectus offensos Phoebidae vidisse dicitur *τοὺς ἐφόρους καὶ τὸ πλῆθος τῆς πόλεως*, quorum animos ut placet *ἐλθὼν εἰς τοὺς ἐκκλήτους* verba facit. Denique apud Thucydidem quoque [12])

8) Hist. Gr. lib. III, cap. 3, § 8.
9) Ibid. VI, 3, 3.
10) Ibid. V, 2, 11.
11) Ibid. V, 2, 32, 33.
12) Lib. I c. 67.

congregatis Lacedaemone sociorum legatis ad deliberandum de iniuriis Atheniensium vindicandis Lacedaemonii dicuntur *ξύλλογον τὸν εἰωθότα* habuisse, quae verba aliam profecto quam Xenophontis illam *τὴν μικρὰν καλουμένην ἐκκλησίαν* intelligi postulant, quam, ut dixi, extraordinariam fuisse non potest dubitari. Res tamen in hoc conventu tractata generis est eiusdem, de quo apud Xenophontem *τοὺς ἐκκλήτους*, admissis etiam exterorum legatis, consultare videmus. Neque vero quod *ἔκκλητοι τῶν Λακεδαιμονίων* vocantur, haec appellatio eiusmodi est, ut selectam aliquam civium partem intelligi necesse sit. quandoquidem, ut modo dictum est, Lacedaemonii non omnes 7
cives erant, sed hi tantummodo eorum, qui Spartani proprio nomine dicuntur, qui quominus *ἔκκλητοι τῶν Λακεδαιμονίων* vocarentur, nihil profecto obstabat, quippe quum ex universo Lacedaemoniorum numero ii tantum, qui cives s. Spartani essent, ad comitia convocarentur. Atque hinc etiam semper *τῶν Λακεδαιμονίων*, nunquam *τῶν Σπαρτιατῶν ἔκκλητοι* dicuntur. — Sed affertur a viris doctissimis etiam Demosthenis locus [13]), ubi orator, de senatorum apud Spartanos dignitate loquens, *ἐκεῖ μὲν γὰρ*, inquit, *ἐστὶ τῆς ἀρετῆς ἆθλον, τῆς πολιτείας κύριον γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων*, ex quo confici arbitrantur, homoeos solos fuisse, qui cum senatu vel in magistratibus summam rei publicae administrarent, vel in comitiis de gravissimis negotiis statuerent, exclusis inferioris ordinis civibus iis qui *ὑπομείονες* a Xenophonte dicuntur [14]). Id nobis secus videtur. Nam etiamsi pari in comitiis suffragii iure *ὑπομείονας* cum homoeis usos esse statuimus, tot tamen alia tamque magna homoeis iura propria esse poterant, ut recte hi Demostheni *κύριοι τῆς πολιτείας* viderentur. Neque enim *τὸ κύριον* in suffragii tantummodó iure positum est, sed etiam, et multo quidem magis, in iure honorum, multaeque a scriptoribus res publicae in optimatium manu fuisse et vel oligarchicae vel aristocraticae appellantur, in quibus tamen a suffragio quidem populus non exclusus erat, sed magistratus capere, senatores fieri non poterant nisi optimates [15]). Scilicet non id solum spectandum est, quum de summa in re publica potestate quaeritur, qui suffragium habeant aut non habeant, sed qua ratione et quibus conditionibus suffragii ius usurpare liceat [16]).

13) Contra Leptinem §. 88, p. 489, 20. Reisk.

14) Hist. Gr. III, 3, 6.

15) Conf. Tittmann. de Graec. reb. publ. p. 522.

16) Conf. Aristot. Polit. IV, 11, 9. Add. Wachsmuth. Ant. Hell. I, 1, p. 189.

Nam quamvis multi sint, qui in suffragium eant, tamen si ferre ad populum non licet nisi ex auctoritate paucorum, neque verba ad populum facere nisi qui vel magistratus vel senatores vel denique ex optimatium numero sint, *τὸ κύριον τῆς πολιτείας* in huiusmodi civitate non penes multitudinem sed penes paucos esse dicemus. Atque haec plane fuit Lacedaemoniorum rei publicae ratio. Ferebant ad populum antiquitus reges tantummodo cum senatu, qui propterea *ἄρχειν βουλῆς* dicuntur Tyrtaei versibus [17]); postea hoc ius ephoris quoque da-
8 tum est; populo autem neque sciscere quidquam licebat, nisi quod rogatus ab illis esset, nec latam ad se rogationem addendo, demendo, immutando alterare: quod quum tamen nonnunquam factum esset, diserte cautum est regum Theopompi et Polydori lege, ut quod hoc modo populus scivisset, senatui et regibus irritum facere liceret: *αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν*, h. e. ut Plutarchus ait vit. Lycurg. l. l. *μὴ κυροῦν, ἀλλ' ὅλως ἀφίστασθαι καὶ διαλύειν τὸν δῆμον, ὡς ἐκτρέποντα καὶ μεταποιοῦντα τὴν γνώμην παρὰ τὸ βέλτιστον.* Et verba quoque in comitiis facere Lycurgi legibus nemini de populi licuisse, sed regibus tantummodo et senatoribus ac magistratibus, idem Plutarchus testatur l. l.: *τοῦ δὲ πλήθους ἀθροισθέντος εἰπεῖν μὲν οὐδενὶ γνώμην τῶν ἄλλων ἐξῆν, τὴν δὲ ὑπὸ τῶν γερόντων καὶ τῶν βασιλέων προτεθεῖσαν ἐπικρῖναι κύριος ἦν ὁ δῆμος.* Quamquam credibile est nonnunquam, si opus esse videretur, ad suadendam populo rogationem etiam privatis dicendi veniam datam esse, quemadmodum apud Romanos quoque in concionibus, quum magistratibus tantummodo concionandi ius esset, tamen etiam privatis saepenumero ut verba facerent concessum esse constat. Et hoc quoque consentaneum est factitatum esse, ut, si quando aut non convenisset de aliqua re inter senatores (*τῶν γερόντων εἰς ταὐτὸ ταῖς γνώμαις οὐ συμφερομένων*, ut est apud Plutarchum vit. Agid. cap. 9) aut si quacunque de causa rem integram populo permitti placuisset, rogandi suadendique potestas non magistratibus solum aut senatoribus, sed privatis quoque fieret, qui quidem ex homoeorum ordine essent: nam inferioris ordinis civibus hoc unquam concessum esse non est probabile. Minoribus autem ecclesiis hi haud dubie ne intererant quidem, sed soli homoei, et ne

17) Apud Plutarchum vit. Lycurg. cap. 6 et in Diodori excerptis Vatican. ap. Angelum Maium scriptt. vett. nov. collect. vol. II p. 3.

hi quidem omnes, sed qui eorum tunc forte in urbe aderant, aut qui prae ceteris fide digni magistratibus esse viderentur. Illud autem credi nullo pacto potest, quod Tittmanno placuit [18]), minorem ecclesiam magistratuum tantummodo consessum fuisse. Licet enim in nonnullis civitatibus magistratuum collegia, exclusis privatis, ad consultandum de re publica coiisse Aristotelis testimonio constet [19]): *ἐν ἄλλαις δὲ πολιτείαις βουλεύονται αἱ συναρχίαι συνιοῦσαι*: tamen neque usitata apud Spartanos eiusmodi magistratuum concilia fuisse quisquam e veteribus scriptoribus memoriae prodidit, neque ea *ἐκκλησιῶν* nomine vocari potuisse credimus: qua de re mox plura nobis dicenda erunt.

Haec fere sunt de duobus apud Lacedaemonios ecclesiarum ge- 9
neribus, quae et per se probabilia et cum veterum scriptorum testimoniis consentanea videntur: et pleraque horum non aliter iamdudum viri doctissimi se habere censuerunt. Nuper demum exortus est Carolus Henricus Lachmannus, vir ad novandum sollertissimus, qui quum omnis Spartanorum rei publicae tum comitiorum rationem prorsus aliam longeque ab ea quae vulgo credita est diversam fuisse contendit. Comitia enim inde a Theopompo et Polydoro regibus reapse nulla fuisse, speciem tantum aliquam comitiorum relictam esse, quae dicis causa quod a senatu decretum esset suffragio suo comprobarent: non licuisse autem populo unquam antiquare quod rogatus esset, non magis quam triginta illis apud Romanos lictoribus, qui post abolita comitia curiata curiarum quodammodo personam gerebant in sciscendis legibus de imperio aliisque curiatis. Atque haec in speciem convocata comitia non ecclesias sed *ἀπέλλας* aut *ἁλίας* dicta esse [20]): quae autem ecclesiae dicuntur, magistratuum tantummodo et senatorum conventus fuisse, et maiores quidem omnium, minores autem solorum ephororum cum regibus et senatu [21]). — Hoc nos primum vel propter ipsum ecclesiarum nomen incredibile iudicamus, quippe quod, etiamsi natura sua et significatione primitiva non inepte etiam de minoribus eiusmodi pauciorum hominum conciliis usurpari potuit, usu tamen loquendi et communi Graecorum consuetudine, quantum quidem constet, nunquam nisi de maioribus coetibus dictum sit, qui aut

18) De Graec. reb. publ. p. 100.
19) Polit. IV, 11, 3.
20) L. l. p. 204.
21) Ibid. p. 205 et 216.

ab omni populo aut a parte populi non exigua celebrarentur. Hanc ob causam in iis adeo civitatibus, in quibus non universa civium multitudo, sed aliquot tantummodo ditiores aut nobiliores coibant, Aristoteles[22]) ecclesiam fuisse negat: *ἐνίαις γὰρ*, inquit, *οὐκ ἔστι δῆμος οὐδ᾽ ἐκκλησίαν νομίζουσιν, ἀλλὰ συγκλήτους*. Tales fuerunt apud Ephesios e Lysimachi regis instituto, quos *ἐπικλήτους* vocatos Strabo commemorat[23]): *ἦν γερουσία καταγραφομένη, τούτοις δὲ συνῄεσαν οἱ ἐπίκλητοι καλούμενοι καὶ διῴκουν πάντα*. Quamquam in hos quidem etiam *ἐκκλησίας* nomen convenire non negamus, quandoquidem apud ipsos Spartanos minorem illam ecclesiam non diversi generis fuisse statuimus. Sed solos magistratus cum senatu ad consulendum congregatos ecclesiam vocari, prorsus est contra testatam monumentorum fide consuetudinem, quae una in huiusmodi rebus audienda est: neque vero quae a Lachmanno affertur Syracusanorum *ἔσκλητος*[24]), quae ne constat quidem qualis fuerit, quidquam valere potest ad istam sententiam comprobandam.

Sed nititur Lachmanni istud novum genus ecclesiarum quum universa illius de forma rei publicae Spartanae opinione, tum locorum quorundam de ecclesiis interpretatione. Utrumque igitur fundamentum quale sit examinabimus. Ac primum quidem formam rei publicae Lachmannus aristocraticam fuisse opinatur eo sensu, quo recentiores multo quam veteres frequentius hoc nomine abuti solent, ut significet nobilitatis, h. e. eorum qui casu et sorte nascendi prae multitudine avita quadam stirpis claritate et opibus excellant, eximiam et ceteris meliorem in administranda re publica conditionem. Tales enim apud Lacedaemonios iam inde ab initio fuisse eos vult, qui homoei iidemque etiam Spartiatae s. Spartani vocentur[25]), quasi quosdam patricios a plebe ignobili discretos; quae quidem plebs, cui proprium sit Lacedaemoniorum nomen, orta sit ex receptis in civitatem Helotibus s.

22) Polit. III, 1, 7.

23) Lib. XIV, cap. 1, §. 21.

24) P. 204 ex Hesychio s. h. v.

25) Nam Lachmannus p. 119—124 ubicunque *Σπαρτιατῶν* nomen non ita dicitur, ut perioecis opponatur, non alios quam homoeos intelligi vult. Et nonnunquam sane *Σπαρτιάτας κατ᾽ ἐξοχὴν τοὺς ὁμοίους* dici dudum a Muellero observatum est, Dor. II p. 84: Lachmannus autem multos veterum scriptorum locos, ut suae sententiae praesidio sint, perperam interpretando pervertit: quod exemplis demonstrare facile est, sed hoc loco vix necessarium.

Neodamodibus. — Haec etiamsi vera essent, nequaquam tamen inde consequeretur, non fuisse in tali re publica comitiis vel universi populi vel certe nobilium locum: sed sunt haud dubie falsissima. Nam quae Lachmannus protulit [26]) primum de duabus veteribus Doriensium tribubus, Hyllensium et Dymanum, quibus in Laconica demum tertia Pamphylorum tribus e receptis in civitatem peregrinis Achaeis et Minyis addita sit, haec cuivis mediocriter perito non ex veterum monumentorum fide repetita, sed ad imitationem eorum, quae de antiquissima Romanorum re publica Niebuhrius docuit, conficta esse apparet, ut pro Ramnensibus et Titiensibus Hyllenses et Dymanes, pro Lucerensibus autem Pamphyli ponerentur. Deinde autem ne ordinibus patricio et plebeio Lacedaemoniorum res publica careat, Doriensibus, civibus antiquis et aliquando solis, procedente tempore adiunguntur a Lachmanno [27]) Neodamodes, ex devictis veterilus Laconiae incdis in civitatem atque etiam in tribus illas Doricas obasque et gentes receptis [28]); sed dispari cum genuinis Doriensibus iure: in quo tamen ne 11 nimia videatur Spartanae et Romanae civitatis similitudo, data opera quid discriminis fuerit inter Spartiatas et patricios, Neodamodas et plebeios, exponere conatur. Rursus autem Servinu Tullum aliquem Spartanum quaerens Lycurgum arripit, qui sicut tribus ille novas, ita hic κώμας instituerit, et sicut centuriatis ille comitiis patricios cum plebe, ita hic maximo comitiatu (ἀπέλλαις s. ἁλίαις) Dorienses s. Spartiatas cum Neodamodibus coniunxerit. Denique quemadmodum apud Romanos aliquamdiu plebis ius, a Servio Tullo concessum, post exactos reges imminutum est, ita comitiatum Spartanum a Theopompo et Polydoro ea quam Lycurgus dederat potestate privatum esse docet. Nos si historiae fidem sequimur, haec omnia paullo aliter se habuisse comperimus: primum Pamphylorum tribum non in Laconica demum e receptis Achaeis et Minyis exortam, sed communem omnium Doricae

26) P. 94 sqq.

27) P. 124 sqq. 131—133.

28) Obiter notamus, etiam de gentium in obis ounern Lachmanum errare, quum p. 133 tricenas singulis tribuat, inductus scilicet falsa τριακάδων nominis interpretatione, quod partem trigesimam significare credidit, quum significet totum quoddam triginta partes complexum. Itaque gentes τριακάδες dicebantur propterea, quod tricenas habebant familias: obarum autem gentes erant denae, totidemque tribuum obae: quamobrem cum tres tribus essent, obae erant triginta, gentes trecentae, familiae novirs mille.

gentis populorum fuisse, quandoquidem de Pamphylis Epidauriorum, Argivorum, Sicyoniorum, Megarensium, Troezeniorum diserta habemus veterum scriptorum testimonia[29]): ut dubitari non possit quin dudum ante occupatam a Doriensibus Peloponnesum tres illae tribus fuerint. Pamphylos autem, quos e variarum stirpium advenis cum Doriensibus coaluisse nomen ipsum fidem facit, rectius statuemus cum C. F. Hermanno[30]) per priores Doriensium migrationes, quae multae ac diuturnae fuisse dicuntur, cum iis conflatos esse: iuris tamen discrimen inter hos et reliquos vel apud Lacedaemonios vel in aliis Doriensium civitatibus fuisse nemo dicet, nisi cui forte libeat hariolari. Post occupatam autem a Doriensibus Laconicam alienigenas non paucos et veteribus terrae incolis in societatem ab illis receptos et civitatis quoque participes factos esse non quidem negamus, quin dudum ipsi in hac sententia fuimus maxime propter Aristotelis quoddam testimonium[31]) quod huc haud dubie pertinet: *λέγουσι δὲ ὡς ἐπὶ τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν (οἱ Λακεδαιμόνιοι) τῆς πολιτείας, ὥστ' οὐ γίνεσθαι τότε ὀλιγανθρωπίαν*: verum hos deteriore
12 quam ceteros conditione fuisse, et a Lycurgo demum tribubus et obis, si non tum primum additos, attamen firmius quam antea comprehensos et ad suffragia cum veteribus civibus ferenda admissos esse, quae Lachmanni opinio est, nullo ne tenuissimo quidem in veterum monumentis vestigio significatur. Denique omne illud inter homoeos et inferiores cives discrimen iam inde ab initio rei publicae extitisse e stirpis et opum inaequalitate, quum Dorienses nobiles et latifundiorum possessionibus pollentes, novi cives ignobiles et parvorum agellorum possessores essent, nemini censemus in mentem venire potuisse, nisi qui in historia ad verum inveniendum plus valere coniectandi libidinem quam perscrutandorum fontium diligentiam et iudicandi severitatem credat. Etenim aequabilem quandam initio inter omnes Lacedaemonios fuisse possessionum distributionem, quum occupatorum agrorum dominium quodammodo res publica haberet, possessio et usus civibus daretur, aequatis quantum fieri poterat singulorum portionibus, con-

29) Conf. Valckenaer ad Herodot. V, 68. Boeckh. explicat. Pind. p. 234. Corp. Inscriptt. I p. 579. Mueller. Dor. II p. 75.

30) Dissert. de causis turbatae apud Laced. agrorum aequalitatis. Marburg. 1834. p. 16.

31) Polit. II, 6, 12.

stans fuit antiquitatis fama, cui nemo neque ex ipsis veteribus neque e recentioribus obloquutus est ante Lachmannum, excepto dumtaxat Friderico Kortümio, qui sicut Lachmannus ad Romanorum, ita hic ad veterum Germanorum instituta diffingi Spartanorum rem publicam aequum esse censuit[32]). Veterum in una tantum re dissensio est, quum alii aequabilitatis illius primum auctorem Lycurgum fuisse velint, quem aliquot post occupatam Laconicam saeculis vixisse credunt, alii eam a primis Spartanae rei publicae initiis repetant. Atque hos quidem Plato sequitur, fortunam Spartanorum praedicans, quibus facile fuerit aequabilitatem possessionum inter cives instituere absque invidiosis legibus agrariis et tabulis novis, quum occupata Laconica copiam agrorum distribuendorum suppeditaret[33]). Alteram sententiam Plutarchus amplectitur: quamquam etiam ex iis olim, qui Lycurgum rei auctorem perhibebant, nihilo secius multi eam ab initiis rei publicae ordinatam statuere potuerunt. Nam ut omnem de Lycurgo famam admodum dubiam et controversam fuisse ipse Plutarchus profitetur[34]),
ita etiam de eius aetate nequaquam una fuit omnium sententia, quum 13
alii eum saeculo ante nostram aeram nono vixisse crederent — quae sententia Eratosthenis potissimum et Apollodori auctoritate invaluit — alii autem aequalem facerent Heraclidarum migrationis, inter quos etiam Xenophontem esse iam Plutarchus observavit[35]). Ceterum veriorem esse Platonis quam Plutarchi sententiam adeo nobis manifestum videtur, ut hac de re accuratius disputare nihil opus sit[36]). Proce-

32) *Fr. Kortüm, Wesen und Schicksal der dorisch-lakonischen Ackergesetzgebung, in Schlossers und Berchts Archiv für Geschichte und Literatur, Tom. II, p.* 133—180.

33) Plat. de Legg. III p. 684: *Οὐκ ἦν τοῖς (Δωριέων) νομοθέταις ἡ μεγίστη τῶν μέμψεων, ἰσότητα αὐτοῖς τινα κατασκευάζουσι τῆς οὐσίας, ἥπερ ἐν ἄλλαις νομοθετουμέναις πόλεσι πολλαῖς γίγνεται, ἐάν τις ζητῇ γῆς τε κτῆσιν κινεῖν καὶ χρεῶν διάλυσιν, ὁρῶν ὡς οὐκ ἂν δύναιτο ἄνευ τούτων γενέσθαι ποτὲ τὸ ἴσον ἱκανῶς. — τοῖς δὲ δὴ Δωριεῦσι καὶ τοῦθ᾽ οὕτως ὑπῆρξε καλῶς καὶ ἀνεμεσήτως, γῆν τε ἀναμφισβήτως διανέμεσθαι, καὶ χρέα μεγάλα καὶ παλαιὰ οὐκ ἦν.* Huius quoque loci vim Lachmannus p. 169 non recte intellexit.

34) Vit. Lycurg. c. 1. Conf. Mueller. Dor. I p. 137 sq.

35) Xenoph. de re publ. Laced. c. 10. Plut. Lycurg. c. 1.

36) Fuerunt etiam qui nulla plane Lycurgi mentione facta omnem Spartanorum rei publicae institutionem ab Eurysthene et Procle repeterent, in quibus Hellanicum fuisse ex Ephoro novimus apud Strabonem lib. VIII p. 366. Meier Marx. Ephori fragmm. p. 114.

dente autem tempore, quum propter auctam hominum multitudinem, tum amplificatis etiam imperii finibus, novae agrorum distributiones factae esse videntur, quarum quae postrema diserte commemoratur Polydoro imperante instituta est, quo tempore universus portionum numerus factus est novem millium, quum antea sex millia aut quattuor millia et quingentae, primo initio autem duo millia aut paullo fortasse amplius fuisse dicantur[37]). Conservandae autem huic possessionum aequalitati quibus institutis provisum sit etiamsi non satis liquet, et nobis quid videatur exponere longum est neque hoc loco necessarium, illud tamen negari nullo modo potest, turbatae eius vestigia admodum pauca et fere nulla inveniri ante belli Peloponnesiaci tempora[38]). Ad hanc porro bonorum aequabilitatem accedebat inde ab initio etiam publica quaedam civium disciplina, cuius haec vis erat, ut qui externis bonis et facultatibus inter se propemodum pares et rei familiaris cura quaestuque illiberali soluti erant, hi etiam vita ac moribus, legum et magistratuum reverentia, patriae caritate, fortitudine ceterisque civilibus virtutibus quam maxime inter se pares similesque evaderent. Atque hoc modo apud Lacedaemonios fundata est aristocratia veri nominis: non falsa illa et adulterina, quae paucis generosae stirpis et avitarum opum hominibus, exiguo aut nullo virtutis et dignitatis respectu, summam rerum hereditatis iure cum insigni ceterorum iniuria permitteret, sed in qua civitas pari omnium libertate eos sibi magistratus et moderatores praeficeret, eorumque auctoritati pareret, quos inter bonos optimos esse cognovisset. Nam aliud apud Lace-
14 daemonios genus aristocratiae antiquitus fuisse veteres disertissimis verbis negant. *Noster legum lator,* inquit Nabis apud Livium[39]), *non in paucorum manu rem publicam esse voluit, nec excellere unum aut alterum ordinem in civitate, sed per aequationem fortunae et dignitatis fore credidit ut multi essent, qui arma pro patria ferrent.* Ideo quoniam non iniquo hereditariae nobilitatis iure, sed libere ex omnibus qui digni honoribus viderentur, senatores et magistratus capi poterant, nonnulli etiam democraticam hanc rem publicam fuisse perhibent.

37) Plutarch. Lycurg. c. 8. cf. Isocr. Panathen. c. 100.

38) Unum videtur apud Aristotelem extare, Polit. V, 6, 1, quum de Partheniis dicit eos *ἐκ τῶν ὁμοίων* fuisse, h. e. ex homoeis procreatos.

39) Lib. XXXIV, cap. 31, §. 18.

Οἶδα γὰρ, inquit Isocrates[40]), *Λακεδαιμονίους διὰ τοῦτο κάλλιστα πολιτευομένους, ὅτι μάλιστα δημοκρατούμενοι τυγχάνουσιν*: idemque alio loco[41]) Lycurgum profitetur Spartanis democratiam constituisse aristocratia salubriter mixtam, propterea quod magistratus non sorte, ut in absolutis democratiis tunc temporis fieri moris erat, sed suffragiis civium creari voluerit senatumque instituerit Atheniensium Areopago similem. Et Aristoteles quoque[42]), cuius tempore a prisca illa et genuina forma res publica iam plurimum degeneraverat, quum democratiam apud Lacedaemonios dicit oligarchia temperatam, hanc tamen oligarchiam non ponit in nobilium familiarum iure praecipuo, sed primum in eo, quod magistratus omnes suffragio, non sorte, creentur, dein quod collegium paucorum virorum — senatum significat — de capite civium iudicandi potestatem habeat, aliisque rebus similibus. Atque haec est illa *ἄκρατος καὶ Δωρικὴ ἀριστοκρατία*, quam Lachmannus cum populi comitiis et sine generosis quibusdam familiis ignobili civium multitudini imperantibus consistere non posse opinatus est. Sed etiam posteaquam vetus illa possessionum et iuris aequabilitas paullatim turbari coepit et homoeorum atque *ὑπομειόνων* discrimen extitit, ne tum quidem homoeorum dignitas natales tantummodo et censum sequebatur, sed sicut retineri non poterat nisi ab iis qui disciplinae publicae convenienter viverent, contra quam qui gravius deliquissent, aut qui puerili institutione ea quam leges praescribebant non usi essent, hi inter *ὑπομείονας* erant, etiamsi facultatibus satis pollerent, ita rursus etiam ex inferiore ordine ad homoeos aditus cuilibet civi patebat, si modo sumptui ad communia convivia tribuendo par esset et legitimae disciplinae se accommodaret. Hoc est quod Xenophon testatur[43]): *τοῖς μὲν γὰρ τὰ νόμιμα ἐκτελοῦσιν ὁμοίως ἅπασι τὴν πόλιν οἰκείαν ἐποίησε καὶ οὐδὲν ὑπελογίσατο οὔτε σωμάτων οὔτε χρημάτων ἀσθένειαν· εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων.* Et Xenophontem, utpote qui et aliquamdiu Spartae vixerit et institutorum Spartanorum spectator diligentissimus fuerit, omnes adhuc satis idoneum de Spartanorum re publica testem esse credidimus: nunc vero a Lachmanno[44])

40) Areopagit. c. 24.
41) Panathen. c. 63.
42) Polit. IV, 7, 4. 5.
43) De re publ. Lacedaem. c. 10, §. 7.
44) L. l. p. 273.

docemur, eum homoeorum conditionem non recte cognitam habuisse, et Plutarchum quoque[45]), qui virtutis praemia, magistratus atque honores, omnibus, quia ea consequi valerent, in medio posita fuisse dicit, in errorem a Xenophonte inductum esse: quin etiam quae a Demosthene *ἀρετὴ* dicitur[46]), cuius summum praemium sit senatoria dignitas, hanc, si Lachmannum audiemus, non tam virtutem quam generis nobilitatem interpretari debebimus, adiuncto scilicet animo ac spiritu, qualis esse solet eorum, qui se iam nascendi sorte in meliore quam alios loco positos esse intelligunt. Sed Lachmannus adeo virtuti sine generis nobilitate adversarius est, ut ubicunque in re publica *ἀρετῆς* rationem habitam videt, statim etiam de generis nobilitate cogitandum putet, ideoque veterum scriptorum mentem mirum in modum saepe pervertat, cuius rei insigne documentum dedit[47]) in Aristotelis loco interpretando, Polit. lib. IV cap. 5 §. 10, quo loco quum ab Aristotele satis perspicue virtus opponatur divitiis aut nobilitati, quas qui habent, falso saepe nomine boni vocantur, ille tamen philosophum hic quoque *ἀρετὴν* illam nobilium significare autumat. Loquitur autem Aristoteles de aristocratiae speciebus: veram et nomine suo dignam eam solam esse dicit, in qua vere optimorum sit imperium: *τὴν γὰρ ἐκ τῶν ἀρίστων ἁπλῶς κατ᾽ ἀρετὴν πολιτείαν καὶ μὴ καθ᾽ ὑπόθεσίν τινα ἀγαθῶν ἀνδρῶν μόνην δίκαιον προσαγορεύεσθαι ἀριστοκρατίαν*: ubi imprimis animadvertenda est oppositio eorum qui *κατ᾽ ἀρετὴν ἀγαθοὶ* sint, et qui *καθ᾽ ὑπόθεσιν*, hoc est, qui boni dicantur non propter virtutem sed certae cuiusdam rei publicae respectu, cui tuendae et conservandae maxime idonei sint, qui quum b o n i vulgo vocari soleant, non tamen sunt Aristoteli boni *κατ᾽ ἀρετήν*: *ἐν μόνῃ γὰρ*, addit, (*τῇ ὡς ἀληθῶς ἀριστοκρατίᾳ*) *ἁπλῶς ὁ αὐτὸς ἀνὴρ καὶ πολίτης ἀγαθός ἐστιν· οἱ δ᾽ ἐν ταῖς ἄλλαις*
16 *ἀγαθοὶ πρὸς τὴν πολιτείαν εἰσὶ τὴν αὑτῶν.* Iam pergit: *οὐ μὴν ἀλλ᾽ εἰσί τινες αἳ πρός τε τὰς ὀλιγαρχουμένας ἔχουσι διαφορὰς καὶ πρὸς τὴν καλουμένην πολιτείαν, ὅπου γε μὴ μόνον πλουτίνδην ἀλλὰ καὶ ἀριστίνδην αἱροῦνται τὰς ἀρχάς*, quorum verborum haec est sententia: quum in oligarchiis plerumque sola ge-

45) Vit. Lysand. c. 24.
46) Leptin. §. 88, p. 489.
47) Pag. 228. 229. not. 3.

neris nobilitas, in *πολιτείαις* census spectari soleat [48]), sunt tamen quaedam species, quae ab hac ratione discrepant, h. e. in quibus non solum nobilitatis aut census ratio habetur, sed etiam virtutis. Atque hanc quam dicit virtutem non oligarchicam illam aut timocraticam esse, qua quis est *ἀγαθὸς καθ' ὑπόθεσιν*, sed virtutem simpliciter, qua quis bene audit apud populum favoremque sibi et gratiam apud omnes conciliat, haec docent quae sequuntur: *καὶ γὰρ ἐν ταῖς μὴ ποιουμέναις κοινὴν ἐπιμέλειαν ἀρετῆς εἰσιν ὅμως τινὲς οἱ εὐδοκιμοῦντες καὶ δοκοῦντες εἶναι ἐπιεικεῖς.* Itaque non sane eiusmodi bonos viros intelligit, qui iurarent, ut ipse alibi memorat [49]), *καὶ τῷ δήμῳ κακόνους ἔσομαι καὶ βουλεύσω ὅ τι ἂν ἔχω κακόν*: qui tamen et ipsi haud dubie *ἄνδρες ἀγαθοὶ* sibi suique ordinis hominibus videbantur, scilicet *κατ' ὀλιγαρχικὴν ἀρετήν.* — Postremo addit: *ὅπου οὖν ἡ πολιτεία βλέπει εἴς τε πλοῦτον καὶ ἀρετὴν καὶ δῆμον, οἷον ἐν Καρχηδόνι, αὕτη ἀριστοκρατία ἐστὶ, καὶ ἐν αἷς εἰς τὰ δύο μόνον, οἷον ἡ Λακεδαιμονίων εἰς ἀρετήν τε καὶ δῆμον.* Scilicet apud Carthaginienses populus e locupletibus magistratus creabat, apud Lacedaemonios ex omnibus, sed utrobique ita, ut virtutis maxime ratio haberetur: quae virtus quo sensu accipienda sit iam nemini dubium esse potest. Ceterum hanc Lacedaemoniorum aristocratiam posterioribus temporibus, et iam inde a bello Peloponnesiaco, multis modis corruptam et adulteratam esse quis neget? Sed nunc de vetere et vera forma quaeritur. Et quamvis corrupta fuerit, h. e. quamvis homoeorum dignitas ex aristocratica, quae vere diceretur, oligarchica facta sit, etiam in eiusmodi re publica comitiis tamen omnium civium, et veris quidem comitiis, non simulacris comitiorum, qualia a Lachmanno finguntur, locum fuisse satis, opinor, vel ex iis quae supra diximus apparet.

Reliquum est igitur ut veterum scriptorum de ecclesiis Lacedaemoniorum narrationes examinemus, si forte in his aliquid inesse videatur, quod magistratuum haec concilia, non populi comitia fuisse pro- 17
bet. Commemorantur autem ecclesiae imprimis ubi de bello, pace, foederibus cum exteris populis agitur: inducuntur legati: verba fiunt

48) Nam *πολιτεία* nonnunquam Aristoteli proprie est *ἡ ἀπὸ τιμημάτων*, quae alias *τιμοκρατία* dicitur. Conf. imprimis Polit. IV, 6, 2. 4. 5. Ethic. Nicom. IX, c. 10. Wesseling. ad Diodor. XVIII, cap. 79. Goettling. praef. ad Arist. Polit. p. XXIII. XXIV. Oligarchia modo et ipsa est timocratia, imprimis ubi maior census requiritur, modo nobilitatis imperium.

49) Polit. V, 7, 19.

et ab his et ab ipsis Lacedaemoniis; deinde legatis remotis Lacedaemonii inter se consultant et suffragia ferunt. Talis est primum ille conventus de quo Thucydides narrat, lib. I cap. 67 et seqq. *Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι*, inquit, *προσκαλεσάμενοι τῶν ξυμμάχων καὶ εἴ τίς τι ἄλλο ἔφη ἠδικῆσθαι ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ξύλλογον σφῶν αὐτῶν ποιήσαντες τὸν εἰωθότα λέγειν ἐκέλευον.* Prodeunt Megarensium, Corinthiorum aliorumque sociorum legati verbisque ad Lacedaemonios factis de iniuriis Atheniensium ad bellum illos exhortantur cap. 68—71: prodeunt etiam Athenienses qui tunc forte aderant legati, qui quum quid ageretur accepissent, petierant a Lacedaemoniis ut sibi quoque liceret *ἐς τὸ πλῆθος αὐτῶν εἰπεῖν*, cap. 72. Postea Lacedaemonii, auditis legatorum orationibus, *μεταστησάμενοι πάντας ἐβουλεύοντο κατὰ σφᾶς αὐτοὺς περὶ τῶν παρόντων*, cap. 79, quumque plerique ad decernendum bellum prompti essent, Archidamus autem rex hoc magnopere dissuasisset, cap. 80—85, postremo Sthenelaidas, unus ex ephoris, exhortatus et ipse ad bellum Lacedaemonios in suffragium mittit, *ἐπεψήφισεν ἐς τὴν ἐκκλησίαν τῶν Λακεδαιμονίων* cap. 87. Ili ex more per acclamationem voluntatem suam significant, Sthenelaidas autem e clamore non satis discernere se posse professus, quid plures sentiant, discedere in diversas partes iubet qui ruptum ab Atheniensibus foedus quive non ruptum esse censeant: quo facto multo maior numerus ruptum sibi foedus videri ostendit. De bello autem decernendo alius conventus indicitur ad eumque rursus socii adesse iubentur. Hanc narrationem omnes, opinor, ita comparatam esse concedent, ut dubitari de multitudinis concilio non possit: primum quod Athenienses se *ἐς τὸ πλῆθος τῶν Λακεδαιμονίων* dicere velle declarant — quod Lachmanno quidem ita accipiendum placet, ut *τὸ πλῆθος* nihil nisi omnem magistratuum numerum significet, oppositum scilicet iis, quos Athenienses prius adierant, ephoris, — dein quod clamore suffragium editur, quae ratio, in multitudinis coetu non mira, in magistratuum haud sane admodum numeroso consessu parum credibilis videtur. De multitudinis concilio etiam alter Thucydidis locus cogitare suadet, qui est libri VI cap. 88, ubi *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῶν Λακεδαιμονίων* Corinthiorum et Syracusanorum legati auxilium Syracusas mitti postulant contra Athenienses, quumque ephori ceterique magistratus legationem quidem mittere parati essent, quae ad perseverandum in bello Syracusanos hortaretur, auxiliis autem
18 eos iuvare dubitarent, Alcibiades, qui tunc Spartae exulabat, animos

Lacedaemoniorum oratione incendit et ad suscipiendam quum in Atticam tum in Siciliam expeditionem impellit. Sed ipsa scriptoris verba ponenda sunt: *καὶ διανοουμένων τῶν τε ἐφόρων καὶ τῶν ἐν τέλει ὄντων πρέσβεις πέμπειν ἐς Συρακούσας κωλύοντας μὴ ξυμβαίνειν Ἀθηναίοις, βοηθεῖν δὲ οὐ προθύμων ὄντων, παρελθὼν ὁ Ἀλκιβιάδης παρώξυνέ τε τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ ἐξώρμησε κτλ.* Hic si non alii fuissent in ecclesia praeter ephoros ceterosque magistratus (*τοὺς ἐν τέλει*) mirum esset cur Thucydides diceret *παρώξυνε τοὺς Λακεδαιμονίους*, non *παρώξυνεν αὐτούς*: nunc quum *Λακεδαιμονίους* dicat, hoc ipsum videtur indicare non ad illos solum quos modo dixerat magistratus, sed ad populum Alcibiadis orationem conversam esse. — Reliquorum Thucydidis locorum, lib. V cap. 41. 77. 79 nullum est in neutram partem momentum, non magis quam Xenophonteorum omnium, hist. Graec. lib. II, 2, 19. 4, 37. 38. IV, 6, 1—2. V, 2, 11. 22. 33. VI, 3, 3. Sed Polybius IV, 34, 6. 7, quum dicat *οἱ ἔφοροι — τῷ Μαχατᾷ συνεχώρησαν δώσειν τὴν ἐκκλησίαν*, ac dein ita pergat *συναχθέντος δὲ τοῦ πλήθους* — dubitari non potest quin idem significare voluerit quod alias semper, ubi *τὸ πλῆθος* congregatum dicit, h. e. multitudinis, non magistratuum paucorum concilium. Omnium autem disertissime populi concionem Diodorus commemorat lib. XI cap. 50, ubi de amisso post bellum Persicum secundum maritimo principatu armis contra Athenienses vindicando consultatum a Lacedaemoniis et in senatu et in concione esse narrat. *Συναχθείσης δὲ*, inquit, *τῆς γερουσίας ἐβουλεύοντο περὶ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς Ἀθηναίους ὑπὲρ τῆς κατὰ θάλατταν ἡγεμονίας. ὁμοίως δὲ καὶ τῆς κοινῆς ἐκκλησίας συναχθείσης οἱ μὲν νεώτεροι καὶ τῶν ἄλλων οἱ πολλοὶ φιλοτίμως εἶχον ἀνακτήσασθαι τὴν ἡγεμονίαν.* Declarant igitur omnes propemodum cives promptum ad arma capienda animum, senatusque de decernendo bello deliberat, quumque nemo facile, in tanto civitatis consensu, dissuasurus id videatur, surgit tamen in senatu Hetoemaridas, et inutile Spartanis esse docet de maris imperio cum Atheniensibus certare; isque non senatores solum sed etiam populum ad suam sententiam perducit, ut omnes iam belli consilium abiiciant. Sed hic quoque ipsa Diodori verba adscribemus: *πάντων δὲ σχεδὸν τῶν πολιτῶν πρὸς ταύτην τὴν ὑπόθεσιν ὡρμημένων, καὶ τῆς γερουσίας συνεδρευούσης περὶ τούτων, οὐδεὶς ἤλπισεν οὐδένα τολμῆσαι συμβουλεῦσαι ἕτερόν τι. Τῶν δὲ ἐκ τῆς γερουσίας τις ὄνομα Ἑτοιμαρί-*

δας ἐπεχείρησε συμβουλεύειν ἐᾶν τοὺς Ἀθηναίους ἐπὶ τῆς ἡγεμονίας· μὴ συμφέρειν γὰρ τῇ Σπάρτῃ τῆς θαλάττης ἀμφισβητεῖν. πρὸς παράδοξον δὲ ὑπόθεσιν εἰπεῖν εὐπορήσας λόγους
19 *ἁρμόζοντας παρὰ τὴν προσδοκίαν ἔπεισε τὴν γερουσίαν καὶ τὸν δῆμον.* Apparet, ni fallor, rem primum in senatu dein apud populum actam: populi voluntate explorata, nondum tamen bello decreto, senatum iterum consultum: in hoc senatu vicisse Hetoemaridae sententiam, eamque mox etiam populo probatam esse. Quid autem Lachmannus [50]? Noli quaerere. Diodorum idoneum testem esse negat, et quo magis auctoritatem eius elevet, narrationem illam in hunc modum interpretatur, quasi omnia in eodem unius diei conventu simulque in senatu et in comitiis acta esse dicat: quod sane ita absurdum est, ut nec dicere Diodoro in mentem venire potuerit, neque vero quo minus verba sua ita acciperentur sedula temporum notatione cavere. — At, inquit, in illis tamen de quibus Thucydides, Xenophon, Polybius narrant conventibus nullam fieri videmus senatus consultorum mentionem, sed libera prorsus est concionantium disceptatio, aliis aliud aut suadentibus aut dissuadentibus; comitiis autem eam legem a Polydoro et Theopompo dictam fuisse scimus, ut ferri ad populum non liceret nisi senatus consulta, populus autem quae rogatus esset utique suffragio suo iuberet. Nam ne antiquare quidem senatus consulta populo licuisse vult [51]) propter Aristotelis locum de Cretensium comitiis [52]), quorum simile Spartanis ius fuerit: *κυρία δ' οὐδενός ἐστιν (ἡ ἐκκλησία) ἀλλ' ἢ συνεπιψηφίσαι τὰ δόξαντα τοῖς γέρουσι καὶ τοῖς κόσμοις.* In hoc dupliciter nobis errare vir doctissimus videtur: primum quod Cretensium adeoque Spartanorum quoque comitiis antiquandi senatus consulta ius fuisse negat: quamquam huius quidem erroris socium habet virum clarissimum nobisque insigniter carum, C. Goettlingium in excursu II ad Aristot. Polit. p. 478. Etenim si *κύριος τοῦ συνεπιψηφίσαι* populus fuit, cogi sane non potuit ut contra animi sui sententiam senatus consulto assentiretur. Quodsi etiam non assentiri potuit, hoc quid aliud fuit quam antiquare? sive silentio hoc fecerit, sive clamore, sive alia quacunque ratione. Quem autem praeterea Goettlingius attulit locum Aristotelis de comitiis Car-

50) Pag. 204.
51) Pag. 197. 198.
52) Polit. II, 7, 4.

thaginiensium [53]): ἃ δ' ἂν εἰσφέρωσιν οὗτοι (οἱ βασιλεῖς h. e. Sufetes) οὐ διακοῦσαι μόνον ἀποδιδόασι τῷ δήμῳ τὰ δόξαντα τοῖς ἄρχουσιν, ἀλλὰ κύριοι (ὁ δῆμος) κρίνειν εἰσί, καὶ τῷ βουλομένῳ τοῖς εἰσφερομένοις ἀντειπεῖν ἔξεστιν, ὅπερ ἐν ταῖς ἑτέραις (τῇ τε Κρητῶν καὶ τῇ Λακεδαιμονίων) οὐκ ἔστι, hic locus nihil probare posse videtur, siquidem illud ὅπερ οὐκ ἔστι ad ea tantummodo pertinere, quae proxime praecedunt, τῷ βουλομένῳ ἀντειπεῖν ἔξεστι, primum vel grammatica ratio suaserit (nam si ad utrumque, et κρίνειν et ἀντειπεῖν, pertinere Aristoteles voluit, quidni ἅπερ aut ὧν οὐδέτερον dixit?) deinde etiam res ipsa. Nam interdici populo, ne iudicet de rebus ad se latis easque aut probet aut improbet, iuberique eas utique probare, id nobis quidem nimis incredibile videtur: et Plutarchus quoque in Lacedaemoniorum comitiis populum τοῦ ἐπικρῖναι κύριον fuisse testatur [54]). Illud autem κύριος τοῦ συνεπιψηφίσαι, paullo fortasse propter brevitatem obscurius dictum, quo sensu accipi debeat, ipse Aristoteles explicare potest, quum alio quodam loco [55]) oligarchiae proprium esse dicat ἢ ταὐτὰ ψηφίζεσθαι τὸν δῆμον ἢ μηδὲν ἐναντίον τοῖς εἰσφερομένοις, h. e. ut populus aut illud ipsum, quod rogatus sit, aut nullam certe contrariam legem iubeat, in quo inest haud dubie, ut illud etiam non iubere, h. e. antiquare et nihil prorsus sciscere liceat. — Alter autem error hic est, quod adeo semper obnoxia senatus auctoritati comitia fuisse vult, ut nihil, nisi quod a senatu decretum esset, rogari populus potuerit. Quid igitur? si nihil certi senatus ipse decrevisset? si propter dissentientes senatorum sententias decretum confici non potuisset? nihilne tunc ad populum ferri licuit, sed expectandum fuit, dum quid inter senatores convenisset? Atqui Plutarchus certe in senatorum dissensione rem ad populum latam esse narrat: τῶν γερόντων εἰς ταὐτὸ ταῖς γνώμαις οὐ συμφερομένων, ἐκκλησίαν συναγαγὼν ὁ Λύσανδρος διελέχθη τοῖς πολίταις [56]). Numquamne etiam senatui licuerit alias ob causas rem integram populo permittere, ut ipse nihil aliud decerneret, nisi hoc unum, rem ad populum ferendam videri. Numquamne denique ephori id effecerint, ut integra res populo esset, quandoquidem ipsi apud hunc

53) Polit. II, 8, 3.
54) Vit. Lycurg. c. 6.
55) Polit. IV, 11, 9.
56) Vit. Agid. c. 9.

plus haud dubie quam in senatu valebant? — Atque, ut dicam quod sentio, satis mihi usitatum fuisse videtur, ut si quid incidisset, de quo populum rogari oporteret, primum referretur de ea re in senatu, dein concio fieret, in qua disceptaretur coram populo a variarum sententiarum auctoribus eiusque animus exploraretur, neque tamen populi scitum fieret, sed rursus ad senatum referretur ac tum demum ex huius auctoritate lex populo iubenda aut antiquanda proponeretur. Hunc certe rei gerendae ordinem et in Diodori illa narratione, de qua supra dictum est, deprehendere mihi visus sum, et in ea quae est apud Plutarchum de Agidis regis rhetra[57]). Quodsi apud alios scriptores
21 huius ordinis vestigia non extant: neque semper et necessario eum observatum esse censemus, neque vero scriptores illi omnia semper, quo quidque modo actum esset, per partes singillatim sibi exponenda esse crediderunt. Et tamen etiam apud Thucydidem in ea, quam libro primo describit, Lacedaemoniorum concione, non legem de bello ferri, sed rogari tantummodo populum videmus, laesumne ab Atheniensibus foedus videatur, an non; de bello autem iubendo nova in aliud tempus ecclesia indicitur. — Ceterum quicunque apud scriptores conventus populi commemorantur, sive conciones tantummodo sive comitia fuerunt, in his cuilibet promiscue verba facere licuisse nihil est quod ostendat, et si qui dicentium disertius commemorantur, hos aut reges, aut senatores, aut magistratus esse videmus: quamquam non dubitamus, quemadmodum iam supra dictum est, quin etiam privatis nonnunquam, dummodo ex homoeorum ordine essent, verba facere cum venia magistratuum licuerit[58]). Ita igitur quum libera essent populi suffragia, in deliberando tamen et consulendo eorum

57) Cap. 9 enim, posteaquam lex Agidis ad senatum lata est, inter senatores autem de lege non convenit, Lysander ephorus populum in concionem convocat, in qua concione et ab ipso Lysandro et a Mandroclide et Agesilao ephoris, et a rege utroque verba fiunt vel ad suadendam legem vel ad dissuadendam: populus legi magnopere favet (cap. 11) neque tamen nunc iam in suffragium it, sed res iterum in senatu tractatur, in quo legis adversarii praevalent ὅσον ἑνὶ πλείονας γενέσθαι τοὺς ἀποψηφισαμένους τὴν ῥήτραν.

58) Hinc explicari potest, quod ab Aeschine in Timarch. p. 173 narratum Plutarchus praec. r. p. ger. c. 4 et Gellius N. A. XVIII, 3 repetunt de viro quodam diserto quidem sed moribus minus probato, qui quum sententiam in concione dixisset, eique populus assensurus videretur, unus e senatoribus alium quendam virum minus quidem eloquentem sed moribus meliorem eandem sententiam populo proponere iussit.

semper auctoritas valebat, quos sibi populus senatores aut magistratus praeposuisset. Atque hinc etiam illud facile explicari potest, quod saepenumero aliquid a magistratibus actum aut decretum esse dicitur, quod aliis locis ab ecclesia agi aut decerni videmus [59]). Nimirum egerunt haec aut decreverunt magistratus quum populum haberent consiliis suis obtemperantem: egit aut decrevit populus, sed magistratuum auctoritatem sequutus. Atque hanc eiusmodi locorum explicandi rationem iam dudum Muellerus indicavit [60]), cui quoniam in
universum plane assentimur, nolumus nunc pluribus singula persequi, 22
quum praesertim in quibus dissentimus nihil magnopere faciant ad hanc rem. Qui autem istiusmodi locis ita abutitur, ut idem prorsus *τὰ τέλη* aut *τοὺς ἄρχοντας* ac *τὴν ἐκκλησίαν* significare contendat, is recusare non poterit quo minus etiam solum ephororum collegium pro ecclesia habere iubeatur, quandoquidem etiam ephori nonnunquam soli narrantur id fecisse, quod alibi *τὰ τέλη* aut *ἡ ἐκκλησία* [61]). Quod quum illud manifesto falsum esse alii loci demonstrent, ne ex eo quidem, quod *τῶν τελῶν* et *τῆς ἐκκλησίας* commemoratio promiscue usurpari a scriptoribus solet, istam rationem recte a se concludi potuisse confitebitur.

Tenebimus igitur hoc, quod ante Lachmannum omnibus visum est, non alias fuisse Lacedaemoniorum quam ceterorum Graecorum ecclesias: non magistratuum, sed populi concilia: horumque rationem sicut universam rei publicae formam aristocraticam fuisse, non quod nobilitatis potentia sed quod optimorum auctoritas plurimum valeret; quae una est causa, cur laudibus Spartanam rem publicam a sapientissimis viris tanquam optime et saluberrime constitutam celebrari videmus, qualibus laudibus istas falsi nominis aristocratias nec dignati sunt unquam prudentes nec potuerunt sane dignari.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. IV. Cal. Octobr. MDCCCXXXVI.

---

59) Conf. Xenoph. Agesil. c. 1 §. 36. Hist. Gr. III, 2, 6. 23. 4, 26. V, 3, 23. VI, 4, 2. 5, 28. Add. Herod. VI, 106. Plut. Lysand. c. 14. — Non autem huc pertinent quos Lachmannus p. 202 citat Thucydidis loci III, 8 et IV, 88, quorum altero nec de magistratibus nec de concilio Lacedaemoniorum refertur, sed de consessu legatorum Spartanorum ac sociorum, qui Olympiae congregati de Mitylenaeis deliberarint; altero autem de iure iurando, quod quoniam ab universo populo dari non commode potuit, consentaneum erat populi nomine a magistratibus dari, quemadmodum etiam alias factum videmus. Cf. V, 19 et 24.

60) Dor. II p. 87, 3 et p. 89. add. p. 123.

61) Imprimis saepe *φρουρὰν φαίνουσιν οἱ ἔφοροι*, quod quomodo accipiendum sit, docere potest Xenoph. H. Gr. IV, 2, 9.

RECOGNITIO QUAESTIONIS DE SPARTANIS HOMOEIS.

3 Inter epistolas antiquarias aliquot abhinc annis a viro industrio Fr. Raumero publicatas[1]) una est, no. XXVII, ab J. W. Loebello scripta, de veterum Spartanorum civitate ordinumque civilium quodam discrimine, cuius veram vim ac rationem vir doctissimus summo iure perquam adhuc obscuram et variis multorum coniecturis intricatam magis quam explicatam esse ait, neque id adeo mirandum esse in tanta veterum scriptorum, qui olim de Spartanorum rebus exposuerant, iactura, quum praesertim ex iis, quorum libros superstites habemus, satis appareat, ne ipsis quidem aequalibus Spartanae rei publicae formam et descriptionem plane cognitam atque perspectam fuisse. Sese autem difficilem hanc quaestionem non eo tractandam sumpsisse profitetur, quo solvi eam a se posse speraret, sed potius ut quae et quantae eius essent difficultates demonstraret: nam in historia, sicut in omni rerum cognitione, ubi ad certam scientiam perveniri non possit, id quoque in lucro deputandum esse, si, quid sciatur scirive possit, quid non, manifestum fiat. Ab eadem professione nobis quoque haec disputatio exordienda est: neque enim ii sumus, qui certius quid quam ceteris compertum nobis esse gloriemur; sed quum in ceterorum coniecturis probabilia improbabilibus mixta et confusa esse videamus, illud fortasse efficere poterimus, ut quid omnium maxime probabile sit paullo certius iutelligatur.

Proficiscitur autem Loebellus, p. 244, a Niebuhri quodam dicto, qui quum auditoribus suis historiam graecam traderet[2]), nesciri ho-

---

1) Antiquarische Briefe. Herausg. v. Fr. v. Raumer. Leipz. 1851.

2) Vorträge über alte Geschichte. Vol. I. p. 312: „So viel auch über die

dieque professus sit, qualis apud Spartanos δῆμος fuerit, quidve sit 4
illud quod Aristoteles tradat, senatores quidem apud illos ἀριστίνδην, ephoros autem ἐκ τοῦ δήμου creatos esse [3]). Ipsi tamen Loebello huius rei obscuritas non inde repetenda videtur, quod de δήμῳ parum constet, sed quod non liqueat, quinam sint qui ab Aristotele huic δήμῳ tanquam superioris ordinis cives opponantur. Et est profecto hoc quoque haudquaquam satis exploratum: neque minus tamen difficultatis in illo altero esse arbitror, quod Niebuhrius incompertum esse queritur. Nam quod ille ait facillimum dictu esse, quid sit ὁ δῆμος, modo ut latior et angustior nominis significatio distinguatur: latiore enim sensu δῆμον esse omnes Doricae stirpis homines, eorum, qui primi Laconiam occupassent, posteros [4]), suffragii in comitiis partici-

spartanische Gesetzgebung geschrieben ist, so ist dies dennoch bis jetzt ungenügend. Grosse Fragen bleiben noch immer unauflösbar: so ist bis auf den heutigen Tag die Frage nicht beantwortet, was in Sparta der Demos ist. — Was heisst z. B. die Nachricht, der Senat, die γερουσία, sei ἀριστίνδην, die Ephoren aber ἐκ τοῦ δήμου genommen worden? — Die Neodamoden darf man gewiss nicht unter dem Demos verstehen, denn dass die Ephoren aus ihnen und nicht aus den γνησίοις Σπαρτιάταις gewählt sein sollten, ist nicht anzunehmen. Ebenso ist noch nicht klar, was zu den ὁμότροφοι gehört. Ich will aber damit Niemanden, der in dieser Sache gearbeitet hat, Vorwürfe machen, denn es ist die Frage, ob wir nicht zu viel verloren haben, so dass die Sache aus Mangel an Nachrichten nie recht klar werden kann: wer aber behauptet, sie aufs Reine gebracht zu haben, der irrt.“

3) Aristotelis loci, quos Niebuhrius in mente habuit, hi sunt: Polit. II, 3, 10: δημοκρατεῖσθαι [λέγουσι τοὺς Λακεδ.] κατὰ τὴν τῶν ἐφόρων ἀρχὴν διὰ τὸ ἐκ τοῦ δήμου εἶναι τοὺς ἐφόρους. Ib. c. 6, 14: γίνονται δ' ἐκ τοῦ δήμου πάντες, ὥστε πολλάκις ἐμπίπτουσιν ἄνθρωποι σφόδρα πένητες εἰς τὸ ἀρχεῖον, οἳ διὰ τὴν πενίαν ὤνιοι ἦσαν. §. 15: ἡσυχάζει γὰρ ὁ δῆμος διὰ τὸ μετέχειν τῆς μεγίστης ἀρχῆς. et paullo post: οἱ δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ [βούλονται εἶναι καὶ διαμένειν ταὐτὰ] διὰ τὴν γερουσίαν (ἆθλον γὰρ ἡ ἀρχὴ αὕτη τῆς ἀρετῆς ἐστίν). ὁ δὲ δῆμος διὰ τὴν ἐφορείαν. καθίστανται γὰρ ἐξ ἁπάντων. §. 16: κρίσεων εἰσι μεγάλων κύριοι [οἱ ἔφοροι], ὄντες οἱ τυχόντες. IV, 7, 5: δύο τὰς μεγίστας ἀρχὰς τὴν μὲν αἱρεῖσθαι τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν. τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δ' ἐφορείας μετέχουσιν. Ceterum quod de senatoribus ἀριστίνδην creatis Niebuhrius loquitur, errore memoriae factum est: nam Aristoteles non sic, sed ex iis, qui καλοὶ κἀγαθοί essent, senatores creatos dicit. Simili errore Nieb. ὁμοτρόφους dixit quos ὁμοίους dicere debebat — Aliud eiusdem generis ἁμάρτημα μνημονικόν, idque paullo gravius, in Atheniensium antiquitatibus a viro summo commissum Boeckhius tetigit, Oecon. r. p. Ath. I. p. 679. ed. 2.

4) Addi poterat: „et si qui his alienigenae aequo iure admixti fuerant.“ Cf. Antiq. iur. publ. Gr. p. 114, 2.

pes, uno verbo civium Spartanorum universitatem, angustiore autem sensu eam horum partem, cui altera quaedam pars civium honoratiorum opponatur: hoc sane proclive fuit, neque facile aut Niebuhrium aut quemlibet alium fugere potuit. Nam sic in omnibus omnino civitatibus, tam quae populari quam quae paucorum imperio administrantur, δῆμον modo de omni populo, modo de inferiore civium multitudine, cui οἱ ὀλίγοι, οἱ ἄριστοι, pauci, optimates opponuntur, dici videmus, quo sensu etiam οἱ πολλοί s. τὸ πλῆθος dici solet, apud Latinos autem plebs, oblitterata illa altera Romanisque propria significatione, qua patribus plebem opponebant. Atque sic etiam nos in hac disputatione plebis nomine usuri sumus, ubi inferioris ordines homines, populi autem, ubi universam civium multitudinem intelligi volemus. Niebuhrio autem haud dubie non illud difficultatem obiicere potuit, quod δῆμον de universo populo Spartano, sed hoc potius, quod idem nomen etiam de inferiore civium ordine sive de plebe dici animadverteret, quae qualis esset, quave ratione ceteris inferior, non liqueret. Et sane sic se res habet: ubi perspectum fuerit, quibusnam rebus caruerint hi inferiores quave ratione inferiores fuerint, simul etiam apertum erit, quibusnam rebus instructi fuerint illi alteri quave ratione superiores fuerint, prorsus ut „qui utrosvis recte norit, utrosque noverit." — Sed quoniam Loebello placuit a superiore potius quam ab inferiore civium ordine quaestionis initium facere, nos quoque eandem viam sequemur. Igitur superiorem quendam civium ordinem vir doctissimus ab Aristotele significatum putat, quum senatores ex iis, qui καλοὶ κἀγαθοὶ essent, creatos esse dicat: quamobrem quaerit ante omnia, quinam sint hi καλοὶ κἀγαθοί, de quibus quum aliter aliis visum sit, refert primum quid C. F. Hermannus, vir eximius et de illustranda Spartanorum re publica unus post O. Muellerum egregie meritus, statuerit. Is igitur illos Aristotelis καλοὺς κἀγαθοὺς non diversos esse censet ab iis, qui a Xenophonte οἱ ὅμοιοι dicuntur, quorum definitionem proponit his verbis [5]: „Homoei" inquit „ii fuisse videntur, qui quum eum agrorum modum possiderent, unde et syssitiorum sumptibus sufficere et rei familiaris cura soluti Lycurgeae disciplinae inde a pueritia unice vacare possent, soli etiam ea in re publica dignitate iurisque plenitudine gaudebant, cuius fructum Lycurgus illis conditionibus circumscripserat; qui minus arabant,

5) Antiquitt. Lacon. p. 148.

etsi pariter cum illis Spartani nati essent, inferiore loco quasi subimpares habebantur, quorum paullatim adeo numerus accrevit, ut ad extremum, Plutarcho teste, quum omnino septingenti e Spartanis reliqui essent, centum circiter ex his soli et agros omnes et honores tenerent." De his subimparibus, quo vocabulo vir praestantissimus eos designat, qui a Xenophonte ὑπομείονες appellantur, postea videbimus: de Homoeis autem sicut olim plane assensus sum [6]), sic nunc quoque non aliter iudico; quamquam quod eos qui καλοὶ κἀγαθοὶ ab Aristotele vocantur, nihil aliud quam hos ipsos Homoeos esse volui, nescio an minus recte factum sit. Sed de his quoque quid nobis videatur, infra suo loco exponemus, nunc enim Loebellus porro audiendus est. Is igitur proposita Hermanni de Homoeis sententia, quam uno maxime Xenophontis loco, de re publ. Lac. cap. 10, 7, niti animadvertit, ex hoc tamen loco argumentum satis recte conclusum esse negat: nam loqui Xenophontem tantum de iis, qui, quod legitimis conditionibus non satisfacerent, ex Homoeis removerentur; hinc autem nequaquam consequi, ut, quicunque cives non remoti essent, propterea pro Homoeis habendi sint. Vere hoc monitum esse fateor; sed Hermanni mentem non recte a Loebello perceptam esse arbitror. Nam ex ipsa illa, quam supra posuimus, subimparium definitione apparet, etiam nimiam paupertatem in causa fuisse, quominus aliquis quamvis Spartanus natus, in Homoeis numeraretur. Itaque si quis in tanta paupertate natus esset, ut nec in pueritia disciplinae Lycurgeae, neque adulta aetate syssitiorum particeps fieri posset, is, quum non esset in Homoeis, nequaquam tamen remotus sive eiectus ex hoc ordine dici potuit, si quidem removeri aut eiici eos tantum recte dicimus, qui quem tenuerunt locum amittunt, non eos, quid ad locum nunquam accesserunt. Removebantur igitur ex Homoeis aut ii, qui quas habuerant facultates perdidissent, aut etiam si qui, licet per facultates possent, sumptus ad syssitia conferre ceterisque disciplinae legibus se adstringere nollent; contra non admittebantur in Homoeorum ordinem partim illi, quos supra dixi, in summa paupertate nati, partim fortasse etiam locupletiores, qui propter mollitiem aut negligentiam parentum Lycurgeae disciplinae in pueritia expertes fuerant. Addiderit aliquis, fieri potuisse, ut etiam peregrinis aut exteris aut libertinis nonnunquam civitas quidem Spartana, neque tamen

6) Antiqu. iur. publ. Gr. p. 119.

6 simul etiam omnia Homoeorum iura impertirentur, h. e. ut cives quidem neque tamen optimo iure cives fierent, de quo genere quid nobis videatur infra exponemus. Quicunque autem cives neque remoti ex Homoeis, neque aliqua lege et conditione ab eo ordine prohibiti essent, hos omnes Homoeos fuisse, id quidem quin e Xenophontis verbis recte conclusum sit, negari non posse videtur. Neque debebat Loebellus huic argumento Demosthenis quoddam testimonium opponere, ex quo apparere credit, Homoeos fuisse non omnem multitudinem eorum, qui legitimae disciplinae convenienter viverent, sed pauciores quosdam prae ceteris civibus excellentes et praecipuo quodam iure ac potestate praeditos. Nam Demosthenis neque satis plana est sententia, neque auctoritas talis, quae anteferri Xenophonti debeat. Ait enim in oratione adversus Leptinem, esse apud Lacedaemonios quosdam honores, quorum similes cuiquam civi haberi Athenienses nunquam toleraturi sint, horumque exemplum ponit hoc: *ἐπειδάν τις εἰς τὴν καλουμένην γερουσίαν ἐγκριθῇ παρασχὼν ἑαυτὸν οἷον χρή, δεσπότης ἐστὶ τῶν πολλῶν. ἐκεῖ μὲν γάρ ἐστι τῆς ἀρετῆς ἆθλον, τῆς πολιτείας κύριον γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων, παρὰ δ' ὑμῖν ταύτης ὁ δῆμος κύριος.* Negavi horum verborum sententiam satis planam esse: et Schaeferus quidem, vir circumspectus nullaque praeiudicata opinione occupatus, longe diversam a ceteris interpretationem proponit huiusmodi: „quidni" inquit „vocem *ὁμοίων* h. l. sensu vulgari intelligamus? cum paribus (hominibus eiusdem dignitatis), mit seines gleichen." Id sane ut facillimum, sic prorsus hoc loco aptum esse videtur: is, qui in senatum lectus est, non solus, sed una cum ceteris sibi paribus ideoque ad eundem dignitatis senatoriae gradum evectis summam potestatem exercet. Sed sumamus aliquantisper Demosthenem hoc loco nomen *ὁμοίων* sensu Lacedaemoniis proprio usurpasse: opponuntur sane sic illi, qui *ὅμοιοι* sint, reliquae multitudini, *τῷ δήμῳ, τοῖς πολλοῖς*: apud Lacedaemonios Homoei, Athenis *ὁ δῆμος* rem publicam in potestate habere, diversa igitur *τοῦ δήμου* sive *τῶν πολλῶν* conditio in utraque civitate esse dicitur. Verum tamen qualem *δῆμον*, h. e. qualem multitudinem Lacedaemoniorum Demosthenes in mente habuerit, id haudquaquam compertum esse dicemus. Loebello quidem haud dubie cum *δῆμον* dicere visus est, quem ipse paullo ante definivit, h. e. cives Spartanos, Doricae stirpis homines, qui suffragium in comitiis haberent. Sic sane habebimus ordinem quendam Homoeorum ceteris civibus superiorem,

optimates plebi Spartanae oppositos. At enim quis spondere poterit, hanc re vera Demosthenis mentem esse? Namque Athenis et in plerisque Graeciae civitatibus omnes terrae aut urbis incolas, quicunque nec servi neque inquilini sint — quorum numero etiam libertini continentur — δῆμον nomine appellari videmus, sive aequo in re publica iure, sive iniquo sunt, quemadmodum apud Epidaurios qui κονίποδες dicebantur, h. e. plebs rustica et agris colendis unice occupata, δῆμος vocantur [7]), licet non essent ἐν τῷ πολιτεύματι, sed administrandae rei publicae expertes. Quid? quod Messeniae quoque veteres incolas a Doriensibus victos et in deteriorem conditionem redactos tamen δῆμον Pausanias dicit IV, 3, 3, itemque Laconiae incolas a Spartanis subactos Isocrates Panath. §. 178 eodem nomine designat, quum Spartanos ait τὸν δῆμον περιοίκους ποιήσασθαι. Quodsi eodem modo τὸν δῆμον vel 7 τοὺς πολλοὺς etiam apud Demosthenem accipiemus, nihil aliud is dicet, nisi hoc, non omnes Lacedaemonios, qui nec servi neque inquilini essent, rem publicam, ut Atheniensium populum, administrare, sed subiectos esse senatorum et Homoeorum potestati; quumque hoc quidem manifestum sit, Homoeos cives esse Spartanos, illud alterum tamen, utrum pauciores quidam sint ceteris civibus superiores, an omnes pariter Spartani, Lacedaemoniorum multitudini (τοῖς πολλοῖς) imperantes, ex Demosthenis verbis nullo modo intelligi potest. Ceterum utrocunque modo illud ὁμοίων nomen accipitur, vereor equidem ne subabsurda evadat sententia. Quippe dicuntur senatores una cum Homoeis rem publicam in potestate habere, idque praemium esse virtutis. Quid igitur? Nonne senatores, etiam antea quam senatores fierent, in Homoeis tamen fuerunt? Id utique affirmandum est: neque enim alios quam qui essent in καλῶν κἀγαθῶν numero in senatum legi potuisse constat. Itaque quum senatores rem publicam non soli sed una cum Homoeis in potestate habeant, nonne potuit eodem iure dici, Homoeos una cum senatoribus rem publicam in potestate habere? Quod si ita est, quidnam illis, qui senatores creabantur, quum iam antea in Homoeis fuissent, magnopere additum esse dicemus? aut quodnam fuit hoc praecipuum virtutis praemium, ut retinerent quod commune iis fuerat cum ceteris Homoeis etiam ante quam senatores crearentur? Dixerit fortasse aliquis, senatores tamen aliquid praecipui iuris ac potestatis prae ceteris Homoeis habuisse. Atqui Demosthenes certe hoc

7) Plutarch. quaestt. graec. c. 1.

non dicit: nihil aliud nisi eos rem publicam in potestate habere ait *μετὰ τῶν ὁμοίων*. Qui aliter eius verba accipi volent, hi nobis non exponere eius orationem, sed supponere aliquid de suo videbuntur, quemadmodum Mephistopheles apud poetam nostrum praecipit, quod praeceptum, licet ab illo theologis praecipue datum, nimio saepius tamen etiam historicos et philologos sequi videmus. Quae quum ita sint, equidem veriorem eam interpretationem esse indico, quam supra commemoravi a Schaefero propositam [8]).

Quae porro Loebellus contra Hermannum disputat, ad ephoriae magistratum pertinent. Nam quum ephoros Aristoteles ex plebe creari solitos esse testetur, h. e. non ex iis quos ipse *καλοὺς κἀγαθοὺς* dicit, sed promiscue ex omni multitudine, Hermannus autem *καλοὺς κἀγαθοὺς* atque Homoeos eosdem esse statuat, rem consequi prorsus miram atque incredibilem, ut summum magistratum rapere iis hominibus licuerit, qui aut propter egestatem aut propter neglectam disciplinam civilem Homoeorum numero exclusi h. e. optimo iure civitatis privati essent, si quidem nulli sint praeter hoc genus, qui opponi Homoeis *δῆμον* s. plebis nomine possint. Et sane hoc nobis quoque semper incredibile visum est, neque agnoscimus eam rei explicationem, quam vir amicissimus Antiqu. Lac. p. 143 proponit: „ephororum dignitate“ inquit „quam multis demum post Lycurgum annis constitutam esse locupletissimis auctoribus credimus, cur *ὑπομείονες* arcerentur, causa in legibus non erat.“ Nolumus nunc quae-
8 rere, quo tempore ephori primum constituti sint; nam sive id ante Lycurgum sive post eum factum esse statuitur, potestatem quidem eorum ad illam amplitudinem, quam ex historia novimus, aliquo demum post Lycurgum tempore excrevisse satis constat. Sed ut concedamus etiam prima eius magistratus initia Lycurgo recentiora esse, num recte propterea dicemus, causam, cur *ὑπομείονες* ab eo arcerentur, in legibus nullam fuisse? Sane interdicere leges non potuerunt, ne quis ex *ὑπομειόνων* numero ephorus fieret, quum nulli adhuc ephori in re publica noti essent; at interdixerunt tamen leges haud dubie, ne quis civis optimo iure esset, nisi qui omnibus officiis civilibus fungeretur disciplinaeque legibus obtemperaret, idque interdictum necessario eos, qui vel propter nimiam paupertatem vel pro-

8) Respuit eam G. C. Lewis in Museo philol. Cantabr. vol. II. p. 64, hoc argumento: „*I am not aware of any place in which ὅμοιος has this sense.*“ Hoc quam grave sit, iudicabunt alii.

pter aliam causam quamcunque his conditionibus non satisfacerent, ut a ceteris rei publicae honoribus, sic etiam ab ephoria excludere debebat. Constat porro ephoros etiam publicae disciplinae custodes fuisse magnaque cum severitate animadvertisse, si quis adversus eam deliquisset. Credemusne igitur Spartanos tam perversos fuisse, ut publicae disciplinae eos praeficerent, qui ipsi eius expertes essent? At, inquit, Aristoteles testatur ephororum vitam dissolutiorem fuisse nec disciplinae legibus consentaneam, Polit. II, 6, 16. Nimirum Aristoteles retulit, quid sua aetate, corruptis dudum moribus, fieri soleret, quum ephori, nulli alii auctoritati obnoxii, magistratus sui potestate contra leges abuterentur: sed non illicitam fuisse istam dissolutiorem vivendi rationem, id vero nunquam nobis persuaderi patiemur. Denique rem conficit aliud eiusdem Aristotelis testimonium, Polit. II, 6, 21, de iis, qui syssitiorum impensas propter paupertatem tolerare nequibant: *ὅρος δὲ τῆς πολιτείας οὗτός ἐστιν αὐτοῖς ὁ πάτριος, τὸν μὴ δυνάμενον τοῦτο τὸ τέλος φέρειν μὴ μετέχειν αὐτῆς*. Hi igitur erant *ἔξω τῆς πολιτείας*, ut alibi Aristoteles loquitur: pugnant autem inter se *ἔξω τῆς πολιτείας εἶναι* et magistratum, eumque summum, capere posse. Nam hoc certe non verendum est, ne quis eos quidem, qui propter paupertatem, non autem qui sua voluntate syssitiis abstinerent, optimo civitatis iure privatos esse credat.

Consideratur deinceps a Loebello Wachsmuthi sententia, qui Homoeos non eosdem cum illis, qui ab Aristotele *καλοὶ κἀγαθοὶ* dicuntur, sed omnes eos esse statuit, qui civitatem a maioribus traditam haberent, antiquorum illorum qui primi Laconiam occuparunt posteros, sive pauperes sive locupletes essent, his autem opponit cives adscripticios h. e. recentius in civitatem receptos, quos omnes, quamvis vel facultatibus satis instructos vel disciplinae Lycurgeae obtemperantes, tamen ad plenum ius civitatis non admissos, ideoque etiam ad ephoriae magistratum non his adscripticiis, sed illis tantum antiquis civibus aditum datum esse censet. Huic sententiae Loebellus hoc maxime obstare monet, quod ephoriae magistratus ab Aristotele aliisque democraticus fuisse dicitur [9]). Nam si adscripticiorum civium non exigua multitudo fuit, sed quae veterum civium numerum vel aequaret vel etiam superaret, quemadmodum Wachsmuthio

9) Cf. Antiquitt. i. p. Gr. p. 129, 13.

visum est, et tamen ad ephoriam nulli nisi veteres cives admittebantur, institutum oligarchicum potius quam democraticum videri debuit, siquidem democratiae proprium hoc est, ut aequo omnes iure sint
9 pariterque omnibus aditus ad honores pateat, oligarchicum autem, ubi una civium pars, unus ordo, ceteris exclusis solus ad honores pervenire potest [10]). Hoc recte a Loebello animadversum esse apparet; sed est praeterea aliud quid in Wachsmuthi ratione minus probabile, quod adscripticiorum civium magnam multitudinem fuisse statuit. Id cur nobis secus videatur, suo loco dicemus.

Sequitur Thomae Arnoldi sententia in eius editione Thucydidis proposita [11]): Spartanorum populum universum instar cuiusdam nobilium ordinis esse, aequo inter se iure, oppositumque, Homoeorum nomine, veteribus Laconiae incolis devictis et in perioecorum aut helotum conditionem redactis. Illum populum, quum ius eius olim a regibus et senatu imminutum esset, postea demum plus in re publica valere coepisse, quum ephori, quorum potestas regibus et senatui opposita esset, ex ipso crearentur. Haec sententia Loebello propterea probari non posse videtur, quod senatores quoque non minus quam ephori ab omni Spartanorum populo creati sint, neque igitur intelligi possit, cur illi minus quam hi populares fuerint populique, a quo creati erant, ius et potestatem adversus reges defenderint. Scilicet non animadvertit vir doctissimus id quod vix quemquam fugere potuisse credideris, quam longe diversa fuerit senatorum apud Spartanos atque ephororum conditio. Illi enim, licet ab omni populo, non tamen promiscue ex omnibus creabantur, sed ex paucis senioribus, sexaginta annis maioribus, virtute et prudentia praestantissimis,

---

10) Cf. Arist. Polit. IV, 3, 6.

11) Thucydides, by Th. Arnold. Vol. I. p. 640 sqq.: „*The Spartans were a nation of nobles; and in their feelings as well as their rank resembled the nobles of the middle ages. Relieved from all attention to agriculture by the services of their helots or villains, taught to regard trade as disgraceful, and litterature as unmanly; passing their time in manly and martial exercises, like the hunting and tournaments of a later period; regarding all the members of their own body as substantially equal, in spite of subordinate differences, and all who were not of their own body as only born to render them obedience — the nobles of Sparta differed in one point alone from those of modern Europe, in their admirable organisation and discipline.*“ Non potuit profecto rectius veriusque describi populus Spartanus.

quales viros popularis imperii fautores fuisse perquam incredibile est. Nam senectus ipsa per se aristocratica est, nec facile senes invenias, nisi forte stultissimos, qui non longe salubrius rem publicam paucorum prudentium auctoritate quam multitudinis consiliis nimis saepe temerariis administrari intelligant. Hinc accedit, quod senatores Spartani dignitatem suam perpetuam habebant, neque rationes actionum suarum reddere cogebantur, quae duae res populari imperio alienae, aristocratico propriae sunt. Denique hoc ipsum, quod populi suffragiis creabantur, licet populare videatur, reapse tamen, si veteres politicos audimus, aristocraticum potius dicendum erit. Nam populus (quo nomine non istam plebeculae multitudinem, quam nostri homines sic appellare soliti sunt, sed cives intelligi volo, quales in bene constitutis rebus publicis, maximeque Spartae fuerunt,) populus igitur haud facile alios sibi praeficit, quam quos viros bonos et prudentes esse perspexerit, qui quidem quo meliores et prudentiores sunt, eo magis regi a se populum, non imperare ipsum debere intelligent. Contra ephori neque ex optimis creabantur, sed promiscue ex omni populo, neque e senioribus, sed etiam ex iunioribus, qui modo triginta annis maiores essent, neque civium suffragiis, sed alio quopiam modo hodie ignoto, quem a sortitione non multum abfuisse Plato testatur [12]), denique non perpetuam potestatem habebant, sed annuam, ac deinde rursus privati fiebant et ad populum, unde exierant, redibant: quae omnia eiusmodi sunt, ut populari potius quam optimatium imperio hunc magistratum accommodatum fuisse appareat. Ceterum historia docet, ipsos quoque ephoros haudquaquam id eniti solitos esse, ut populi potestatem supra modum augerent, sed tantum providisse, ut ius suum populo tuerentur et conservarent, maximeque ut reges coercerent, populum autem eo contentum fuisse, quod cuilibet ex suo numero aditus ad hunc magistratum pateret, ampliores que sibi partes in administranda re publica non depoposcisse. Sed haec obiter: nunc in viam revertimur.

Loebellus igitur, spreta etiam Arnoldi sententia, quae nobis quidem omnium minime spernenda fuisse videtur, postremo G. C. Ludovici — anglica nominis forma Lewis est — praestabiliorem rationem esse iudicat. Is enim Homoeos optimatium quendam ordinem fuisse statuit, ceteris civibus Spartanis eminentiorem, ex eoque

12) Legg. III, 11. p. 692. Cf. comm. ad Plutarch. Ag. c. 8. p. 119.

praecipue magistratus creari solitos. Originem autem eius ordinis hinc repetendam esse, quod, quum initio viri virtute ac meritis excellentes prae ceteris ad summos honores evecti essent, procedente tempore horum dignitas quasi quodam hereditatis iure etiam a filiis eorum occuparetur [13]), quemadmodum Romae factum videmus, ut, sublata iuris inter patres ac plebem iniquitate, mox tamen nobilitas emergeret, quum paucae quaedam familiae summos magistratus quasi proprios haberent, exclusisque hominibus novis eos tantum, qui de suo numero erant, admitterent. Et sane hoc etiam Spartae factum esse non est quod dubitetur: nimis enim proclive fuit et ingenio humano consentaneum. Illud tamen ambigi potest, sintne in Homoeis hi tantum nobiles, quos pauciores fuisse apparet, an praeter eos etiam alii non pauci ignobiles numerandi, quemadmodum Arnoldus voluit. Loebello quidem illud alterum verius esse videtur propterea, quod ab Aristotele τοὺς καλοὺς κἀγαθούς, quos ipse eosdem atque Homoeos esse putat, pauperibus opponi animadvertit, unde manifestum fieri, illos καλοὺς κἀγαθοὺς non pauperes sed locupletes esse. Namque magnam bonorum inaequalitatem inter cives Spartanos fuisse satis constare, quamvis in eo dissentiatur, utrum haec inaequalitas iam statim ab initio fuerit, an postea demum extiterit, quum aequabilis ille agrorum modus, quem Lycurgus finiverit, retineri non potuisset. Ac sibi quidem persuasum esse a Grotio, istam de Lycurgo narrationem prorsus fabulosam atque commenticiam esse; quodsi quis tamen aliter iudicet, illud saltem certum esse, iam florentissimis Spartanorum rebus magnam bonorum inaequalitatem sat multis documentis cognosci, ut
11 alii perdivites, alii pauperes essent. Hinc igitur dubitari non posse, quin Aristotelii illi καλοὶ κἀγαθοὶ divites, alteri autem, quos δήμου s. plebis nomine significat, pauperes habendi sint. Neque tamen nihil praeter divitias illum optimatium (τῶν καλῶν κἀγαθῶν) ordinem a plebe distinxisse, sed accessisse etiam quandam generis nobilitatem, quae, licet non iure ac legibus fundata, moribus tamen et per usurpationem potentium paullatim invaluerit. Hoc equidem factum esse non nego, quemadmodum iam supra professus sum: illud tantum

---

13) Mus. philol. Cantabr. vol. II. p. 64: „*It seems probable that the Equals were an aristocratical class within the body of Spartans, who were much employed in public offices, and had great influence on the government; originally perhaps selected for their merit, and afterwards their rank became hereditary.*“

nego, eosdem esse Homoeos atque optimates sive καλοὺς κἀγαθούς. Nam quod de Lycurgea illa agrorum divisione cum Grotio dubitat, nullius est ad hanc quaestionem momenti: sed demonstrabitur tamen postea, quam leves sint dubitandi causae.

Subiunguntur denique a Loebello pauca quaedam de ephoris, qui quum Aristotelis temporibus popularium partium optimatibusque oppositi fuerint, posteriore aetate (h. e. ut opinor, ea aetate, qua Agis et Cleomenes fuerunt) optimatium potius duces atque propugnatores fuisse videantur. Hanc rem aliter explicari non posse, quam ut optimates ipsi paullatim se illis adiunxisse adeoque etiam subiunxisse statuantur, quo melius commodis suis consulerent. Id me non satis intelligere fateor. Nam si ephori etiam hac aetate ex plebe, non ex optimatibus creabantur, credibile est eos optimatibus minus quam plebi favisse, quamobrem illi non sic consulere commodis suis poterant, si sese ephoris subiungerent, sed si eos a plebe abalienare sibique ac suis rationibus conciliare studerent. Sed longe probabilius est, hac aetate non amplius, ut antea, ex omni populo sed tantum ex optimatibus ephoros creari solitos, id quod in ea, quae tunc erat, civitatis conditione factu facillimum fuit. Lysander certe, cuius insignem inter cives gloriam fuisse legimus, non magis ex plebe fuit, quam Agesilaus, regis avunculus et latifundiorum possessor [14]). Et ne superioribus quidem temporibus ephoros semper de plebe fuisse Chilonis, Sthenelaidae, Brasidae, Endii exempla demonstrant [15]), neque Aristoteles contrariae sententiae auctor est, sed hoc tantum dicit, non exclusos ab hoc magistratu plebeios fuisse, fierique potuisse et plerumque factum esse, ut ephori etiam ex infimis et tenuissimis crearentur [16]). — Quae deinde adduntur a Loebello de antiquiore ephoriae historia, utque eius magistratus potestas a parvis initiis per gradus

14) De Lysandro vid. Plut. Agid. c. 6, 3; 8, 1. de Agesilao ib. c. 12, 3.

15) De Chilone vid. Diog. L. I c. 3, de Sthenelaida Pausan. III, 7, 10. de Brasida Xenoph. Hell. III, 3, 10, de Endio Thucyd. VIII, 6.

16) Vid. locos supra not. 3 citatos. Horum unus est, qui alteram sententiam probare videatur, II, 6, 14: γίνονται δ' ἐκ τοῦ δήμου πάντες. Sic si scripsit Aristoteles, falsum scripsisse exempla arguunt; sed scripsit fortasse ἐκ τοῦ δήμου παντός, insolentiore quidem collocatione adiectivi (pro ἐκ παντὸς τοῦ δήμου), neque tamen vitiosa. Atque etiam ipsum verbum μετέχειν, quo utitur ib. §. 15. et IV, 7, 5, non propriam huius magistratus possessionem solis plebeiis fuisse significat, sed tantum communem cum optimatibus.

aucta sit, cuius rei aliquot quamvis obscura indicia supersunt, haec nunc silentio praetermitti possunt, quandoquidem omnia eo redeunt, ut probabile sit, haec augmenta non sine turbis ac certaminibus intestinis consequuta esse, cuius rei unum documentum affertur ex amatoriis narrationibus Plutarcheis, cap. 5, de Alcippo quodam, quem quum adversarii res novas moliri criminarentur, ephori non modo ipsum condemnaverint et in exilium ire adegerint, sed etiam in fami-
12 liam eius saevierint, publicatis facultatibus interdictoque, ne quis filias in matrimonium duceret. Fuisse igitur coniicit Alcippum unum eorum, qui ephoriae potestatem in ordinem cogere conarentur, eamque fuisse causam tantae saevitiae; qua coniectura, quum prorsus incerta sit, nihil ad historiae cognitionem profici posse apparet.

De Homoeis autem probari a Loebello vidimus Ludovici sententiam, qui ordinem quendam optimatium eo nomine designari voluit nobilitati Romanorum haud absimilem, qualem ordinem inter Spartanos et potuisse facile existere et re vera extitisse nobis quoque persuasum est: sed Homoeorum appellationem his optimatibus ita propriam fuisse, ut quicunque non in eorum numero, sed in illis essent, quos Aristoteles *δήμου* nomine significat, hi ne in Homoeis quidem censerentur, id vero probari posse negamus. Quod cur ita iudicemus, iam paullo accuratius explicandum est. Sunt sex omnino de Homoeis loci, unde alterius utrius sententiae argumenta peti possint: horum unus est in Demosthenis oratione Leptinea, cuius quam incerta sit interpretatio iam supra demonstratum est; reliqui omnes apud Xenophontem sunt, quorum quattuor nullum prorsus isti opinioni adminiculum praestare, unum autem eam manifestissime refutare videbimus. Is est de re publ. Lac. 10, 7: *τοῖς μὲν γὰρ τὰ νόμιμα ἐπιτελοῦσιν ὁμοίως ἅπασι τὴν πόλιν οἰκείαν ἐποίησε καὶ οὐδὲν ὑπελογίσατο οὔτε σωμάτων οὔτε χρημάτων ἀσθένειαν. εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἐκεῖ*[17] *ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι.* Loquitur scriptor de disciplina, quam civibus pariter omnibus legislator praescripserit: hanc qui observarent, iis omnibus *ὁμοίως τὴν πόλιν οἰκείαν* factam, h. e. omnes aequo in re publica iure fuisse; quod quid est aliud, quam

17) Non mihi persuasit Haasius, p. 182, hoc *ἐκεῖ* verum esse: non magis autem cum Schneidero *ἐκεῖνος* rescribendum credo. Latere puto aliquod adiectivum; ad sententiam quidem non ineptum fuerit *ἀχρεῖον*. Cf. Thucyd. II, 40, 2.

omnes *ὁμοίους* s. pares habitos esse? qui autem eam observare detrectarent, eos non amplius in Homoeis numeratos. Demonstrant profecto haec verba, Homoeorum dignitatem nulli civi Spartano defuisse, ne pauperioribus quidem, nisi qui se ea indignos reddidissent propter neglectam disciplinam. Nihil dicit de iis, qui propter egestatem excluderentur, quod ne modicas quidem phiditiorum impensas tolerare possent, propterea, credo, quia tam egeni ipsius aut certe Lycurgi aetate nulli erant. Quodsi quaerimus, utros facilius contra disciplinam deliquisse credamus, locupletioresne, qui propter maiores opes facile et pellici ad mollitiem et si deliquissent veniam redimere possent, an tenuiores, quibus illecebrae vitiorum pauciores, incitamenta autem ad recte faciendum etiam maiora essent, quandoquidem hac sola re se etiam ditioribus pares fieri posse viderent, — non potest ambiguum esse quid respondendum sit. Itaque si quando factum est, ut unus aut alter propter istam, quam Xenophon dicit, causam ex Homoeis eiiceretur, horum plures ex locupletioribus quam ex tenuioribus fuisse putabimus. De optimatium autem ordine cogitare Xenophontis verba non magis nos sinunt, quam, si quis Athenis *ἐπιτίμους* cives eos fuisse dicat, qui sine probro viverent, qui autem gravius deliquissent, exemptos horum numero et *ἀτίμους* factos esse, hinc recte colligeretur *τοὺς ἐπιτίμους* fuisse optimates. — Alter locus est ib. 13
cap. XIII, 1: *συσκηνοῦσι δὲ (τῷ βασιλεῖ) τρεῖς ἄνδρες τῶν ὁμοίων*: ex quo loco nihil quidquam in neutram partem effici potest, nisi si quis forte contubernales regis nullos nisi locupletes aut optimates fieri potuisse autumet[18]. Neque plus effici potest ex tertio loco, cap. XIII, 7 ubi item de contubernalibus regis sermo est, qui etiam in proeliis proxime eum constitisse dicuntur, in quibus *ὅσοι ἂν σύσκηνοι ὦσι τῶν ὁμοίων*. Quartus locus est Hellen. III, 3, 5, de Cinadone: *οὗτος δ' ἦν καὶ τὸ εἶδος νεανικὸς* (sic scr. pr. *νεανίσκος*), *καὶ τὴν ψυχὴν εὔρωστος, οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων*. Nihil aliud ex hoc loco discimus, quam fuisse in Laconia non paucos viros strenuos corporisque et animi dotibus praestantes, qui tamen non Homoei essent, h. e., ut Xenophontis verba repetam paullo ante adscripta, *οἷς οὐχ ἅπασιν ὁμοίως ἡ πόλις οἰκεία ἦν*. Id autem

18) Sic sane Ludovicus p. 64: „*That the Equals were considered as forming a higher rank among the Spartans, may be inferred from the circumstance that the king when in the field was attended, among others, by three Equals.*“

nemini ignotum est, non omnes Lacedaemonios inter se pares, sed permultos deteriore quam Spartanos conditione fuisse, quales sunt, qui postea ab ipso Xenophonte nominantur, helotes, neodamodes, hypomiones, perioeci, quorum alii libertatis, alii civitatis expertes erant, alii fortasse videri possunt aliquam civitatis speciem habuisse, sed speciem tantum: quamquam de hac ipsa nihil nobis compertum est. Quintus locus est Anab. IV, 6, 14: *ὑμᾶς γὰρ ἔγωγε ἀκούω τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅσοι ἐστὲ τῶν ὁμοίων, εὐθὺς ἐκ παίδων κλέπτειν μελετᾶν.* Significatur his verbis pars quaedam disciplinae puerilis, eaque omnibus, quicunque in Homoeis essent, communis fuisse dicitur; sed Homoeos pauciores quosdem optimates fuisse a maiore civium Spartanorum multitudine discretos, id vero non significatur.

Apertum igitur esse putamus in his omnibus locis nihil esse, quod istam de Homoeis opinionem comprobare possit. Quidnam ergo causae fuisse dicemus, cur tamen ea opinio tam multis viris doctissimis placuerit? Equidem duas causas reperio. Primum ex Aristotele, Polit. V, 7, 3. 4, discimus in aliquot Graecorum civitatibus, quae paucorum imperio regerentur, eos, qui rem publicam in potestate haberent, quos ille *ἐν τῷ πολιτεύματι* esse dicit, etiam *ὁμοίους* vocatos esse, ut qui aequo inter se iure essent. Opponuntur his *οἱ ἔξω τῆς πολιτείας*, de quibus non liquido constat, sintne cives intelligendi a rei publicae quidem administratione aut omnino aut maxima ex parte prohibiti, sed aliis tamen iuribus civilibus, velut quae ad sacrorum communionem, ad connubium, commercium similiaque pertinent, praediti, an potius subditi, quales fuerunt apud Lacedaemonios perioeci. Atque hoc si statuitur, manifestum est *ὁμοίους* istos non esse ordinem quendam civium pauciorum, ceteris civibus oppositum, sed eosdem omnes et cives et *ὁμοίους* esse, possitque sic Aristoteles hoc loco ipsam Spartanorum rem publicam in mente habuisse videri. Tamen verius puto illud alterum, quod si amplectimur, fatendum quidem est in quibusdam civitatibus eos, qui *ὅμοιοι* dicerentur, optimates quosdam fuisse numero pauciores, sed opibus ac potestate reliqua civium multitudine superiores; verum tamen si quis
14 porro sic argumentetur: constat in quibusdam civitatibus optimates *ὁμοίους* dictos esse: atqui in Spartanorum quoque civitate optimates extitisse historia docet: ergo consequitur hos ipsos etiam Spartae *ὁμοίους* dictos esse:

hoc genus argumentandi quam lubricum sit neminem fallere potest. Nec desunt loci, qui diversam huius nominis significationem apud illos fuisse demonstrent, neque alio pertinere, nisi ad legitimam illam, ut victus et cultus omnisque disciplinae, sic etiam iuris aequabilitatem, qua pauperrimus quisque cum locupletissimis, plebeii cum honoratioribus consociabantur paresque erant. Sic Isocrates Areop. c. 24: *ἐν γὰρ τῇ τῶν ἀρχῶν αἱρέσει καὶ τῷ βίῳ τῷ καθ' ἡμέραν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιτηδεύμασιν ἴδοιμεν ἂν παρ' αὐτοῖς τὰς ἰσότητας καὶ ὁμοιότητας μᾶλλον ἢ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἰσχυούσας, αἷς αἱ μὲν ὀλιγαρχίαι πολεμοῦσιν, οἱ δὲ καλῶς δημοκρατούμενοι χρώμενοι διατελοῦσιν.* Sic profecto non dixisset, si Homoei inter Spartanos oligarchici cuiusdam ordinis instar fuissent. Idem Panath. §. 178 Spartanos ait *παρὰ σφίσιν αὐτοῖς ἰσονομίαν καταστῆσαι καὶ δημοκρατίαν τοιαύτην, οἵανπερ χρὴ τοὺς μέλλοντας ἅπαντα τὸν χρόνον ὁμονοήσειν.* Porro quod Thucydides ait: I, 6, *πρὸς τοὺς πολλοὺς οἱ τὰ μείζω κεκτημένοι ἰσοδίαιτοι μάλιστα κατέστησαν*, hoc apparet aliis verbis dici potuisse *οἱ τὰ μείζω κεκτημένοι ὅμοιοι τοῖς πολλοῖς κατέστησαν.* Denique Aristot. Polit. IV, 7, 5 docet a plerisque Spartanorum rem publicam popularem (*δημοκρατίαν*) dictam *διὰ τὸ δημοκρατικὰ πολλὰ τὴν τάξιν ἔχειν, οἷον πρῶτον τὸ περὶ τὴν τροφὴν τῶν παίδων· ὁμοίως γὰρ οἱ τῶν πλουσίων τρέφονται τοῖς τῶν πενήτων* (h. e. *τοῖς τοῦ δήμου*), *καὶ παιδεύονται τὸν τρόπον τοῦτον ὃν ἂν δύναιντο καὶ τῶν πενήτων οἱ παῖδες. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς ἐχομένης ἡλικίας καὶ ὅταν ἄνδρες γένωνται, τὸν αὐτὸν τρόπον· οὐθὲν γὰρ διάδηλος ὁ πλούσιος καὶ ὁ πένης· οὕτω τὰ περὶ τὴν τροφὴν ταὐτὰ πᾶσιν ἐν τοῖς συσσιτίοις, καὶ τὴν ἐσθῆτα οἱ πλούσιοι τοιαύτην οἵαν ἄν τις παρασκευάσαι δύναιτο καὶ τῶν πενήτων ὁστισοῦν.* — Sed habent alterius opinionis auctores etiam aliam quandam rationem. Ipsa enim, aiunt, Homoeorum sive Parium appellatio, quamvis verbo aequalitatem significet, re vera inaequalitatem indicat: quippe nisi alios sibi impares oppositos habuissent, non apparet, cur iuris inter se aequalitatem peculiari nomine demonstrare necessarium duxissent. Possem respondere, multa multis locis facta esse, quae tamen necessario facienda fuisse nemo dixerit; sed nolo huc confugere: concedo apud Spartanos quoque Homoeorum appellationi eandem causam subesse, h. e. aliorum imparium oppositionem; rursus respondere licebit, hi impares

ut inter cives fuisse dicantur nullam satis gravem causam esse: fieri potuisse, ut illa appellatione Spartani semet ipsi tantum a subditis, qui liberi quidem, neque tamen ipsorum pares essent, distinguerent, ideoque, etiamsi nullum in Laconia genus hominum praeter Spartanos eorumque Perioecos fuisset, — nam de Helotibus dici nihil attinet, — tamen nihil obstare, quominus illos omnes a Perioecis, quibuscum commune Lacedaemoniorum nomen habebant, Homoeorum nomine discretos esse statuamus. Verum etiam si quis probabilius esse contendat, hanc appellationem inde ortam esse, quod ipsi quoque cives Spartani omnes inter se pares esse desierint, paucorum tamen optimatium ordinem ex Homoeis ne sic quidem effici posse arbitror. Quaerendum est ante omnia, quibus de causis factum sit, ut nonnulli aut eximerentur Homoeorum numero, aut non admitterentur. Harum unam e Xenophonte cognoscimus, non observatam disciplinam Lycurgeam. Probabile est, qui eam non observarent, non tamen propterea etiam civitate prorsus privatos esse [19]). Desierunt Homoei, non autem desierunt cives esse; sed cives erant inferioris ordinis et ab honoribus rei publicae exclusi per quandam quasi capitis deminutionem, ut qui Romae in Caeritum tabulas referebantur, neque tamen propterea cognati et affines civium esse desierunt, neque connubio, neque commercio, et si qua alia sunt minus ad rem publicam pertinentia, carebant. Nam his omnibus rebus si privati essent, id, opinor, Xenophon indicare non omisisset. Neque illud ambigi potest, poenam eorum non etiam ad liberos transiisse, sed hos, si legibus disciplinae obtemperarent, in integrum restitutos h. e. rursus Homoeos factos esse. Alteram causam Aristoteles indicat Polit. II, 6, 21; nam postquam ab omnibus Spartanis ad syssitia aliquid contribuendum esse dixit, addit deinde: *μετέχειν δ' οὐ ῥᾴδιον τοῖς λίαν πένησιν· ὅρος δὲ τῆς πολιτείας οὗτός ἐστιν αὐτοῖς ὁ πάτριος, τὸν μὴ δυνάμενον τοῦτο τὸ τέλος φέρειν μὴ μετέχειν αὐτῆς.* Itaque qui propter nimiam paupertatem ne huic quidem exiguae impensae pares essent, civitatis ius non integrum retinebant: sic enim illa verba *μὴ μετέχειν τῆς πολιτείας* interpretari licebit, ut ab administranda re publica hi pauperrimi exclusi nec senatores fieri nec magistratus capere possent, non autem

19) Quod Teles ait, apud Stob. Floril. t. 40, 8 (tom. II p. 85 Gaisf.) *τὸν μὴ ἐμμείναντα (τῇ ἀγωγῇ) κἂν ἐξ αὐτοῦ τοῦ βασιλέως ᾖ, εἰς τοὺς εἵλωτας ἀποστέλλουσι*, declamatorie magis quam vere dictum esse apparet.

ut etiam privati iuris communionem amitterent prorsusque in peregrinorum conditionem detruderentur. Tanta enim adversus paupertatem inhumanitas quum ipsa per se parum credibilis sit, tum non significatur Aristotelis verbis, siquidem *τὴν πολιτείαν* nonnunquam is dicit de optimo iure civitatis, quo qui carent *ἔξω τῆς πολιτείας* esse dicuntur, opponunturque *τοῖς ἐν τῷ πολιτεύματι*[20]). — Ceterum eorum, qui propter huiusmodi causas ex Homoeis eiicerentur, quin etiam Aristotelis temporibus perexiguus numerus fuerit non est quod dubitemus. Quotus enim quisque inter Spartanos tam ignavus fuisse putabitur, qui non longe mallet disciplinae duritiem perferre, quam iuris atque honoris iacturam facere, humilisque et contemptus inter eos vivere, quorum par esse potuisset? Neque magis propter paupertatem multos remotos esse credemus. Nam quamvis magna bonorum inaequalitas satis mature in civitatem irrepsisset, paucorumque opes amplae, plurimorum tenues facultates essent, tamen ante postrema rei publicae tempora vix unius aut alterius res familiaris tam afflicta fuit, ut ne modicis quidem syssitiorum impensis sufficeret. Neque hoc dicit Aristoteles eo quem adscripsimus loco: difficile fuisse ait pauperioribus sumptum illum tolerare, ideoque minus democraticum illud institutum esse indicat, quippe quum gravius pauperibus quam locupletibus onus imponeretur; at prorsus impares oneri ferendo ne eos quidem fuisse significat, quos *λίαν πένητας* appellat. Quodsi tamen nonnullos impares fuisse sumimus, hos non iam admodum pauperes, sed prorsus egenos et mendicos dici conveniet, qualis Aristotelis aetate aut nullos, aut saltem pauciores fuisse arbitramur, quam qui *δήμου* nomine 16
ab eo designari opponique optimatibus sive *καλοῖς κἀγαθοῖς* potuerint. Nam auctum paupertatis malum et ad egestatem usque progressum est post Epitadei demum legem, quae, licet antiquior sit Aristotele, tamen brevissimo ante hunc tempore perlata esse videtur[21]), visque eius perniciosa posteriore demum aetate plane patefacta, quum

20) Vid. Polit. V, 7, 3. add. V, 1, 6. 5, 8. III, 4, 1. 5, 1. IV, 10, 9. V, 5, 5. Cf. et Tittmann. Darstell. d. griechisch. Staatsverf. p. 659, 92. Atque hoc modo etiam illud Eteoclis ephori dictum intelligendum erit apud Plutarch. Apophth. Lacon. tom. II. p. 168 Tauchn.: *μετὰ τὴν Ἄγιδος ἧτταν ὁμήρους αἰτοῦντος Ἀντιπάτρου πεντήκοντα παῖδας, Ἐτεοκλῆς ἐφορεύων εἶπε· παῖδας μὲν οὐ δώσειν, ἵνα μὴ ἀπαίδευτοι γένωνται τῆς πατρίου ἀγωγῆς· ἀτακτήσαντες γὰρ οὐδὲ πολῖται ἂν εἴησαν*, de quo loco cf. Hermann. Antiq. Lacon. p. 146.

21) Ante Aristotelem hanc legem perlatam esse patet e Polit. II, 6, 10: *ὠνεῖ-*

libera abalienandi herediorum facultate concessa pauperiores, praesentis lucri dulcedine illecti, agros suos locupletioribus venderent, consumptisque horum pretiis ipsi eorumque familiae mox ad egestatem redigerentur[22]).

Praeter haec duo genera, ignavorum atque egenorum, nullos equidem cives Spartanos fuisse arbitror, quos Homoeorum numero exclusos esse certis indiciis aut testimoniis demonstrari possit, sed quidquid hac de re a recentioribus proponitur, coniecturae sunt plus minus probabiles, nonnullae autem prorsus arbitrariae et reiectaneae. Primum peregrinos nonnunquam in civitatem receptos esse statuunt, ita tamen, ut deteriore quam veteres cives iure essent. Sed peregrinis civitatem fere nunquam impertiri solitam esse Herodoti narratio demonstrat, IX, 35, de Tisameno Eleo eiusque fratre Hegesia. Nam quum Tisameni opera in bello contra Persas carere Spartani propter oraculum quoddam nollent, is autem praestare eam hac tantum conditione paratus esset, si et ipse et frater suus in civitatem reciperentur, idque Spartani tandem concessissent, his narratis subiungit Herodotus: *μοῦνοι δὲ δὴ πάντων ἀνθρώπων ἐγένοντο οὗτοι Σπαρτιήτῃσι πολιῆται*[23]).

σθαι μὲν γὰρ καὶ πωλεῖν τὴν ὑπάρχουσαν (κτῆσιν) ἐποίησεν οὐ καλόν, διδόναι δὲ καὶ καταλείπειν ἐξουσίαν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις, quocum cf. Heracl. polit. fr. II p. 7 Schneidew.: *πωλεῖν δὲ γῆν Λακεδαιμονίοις αἰσχρὸν νενόμισται, τῆς δ' ἀρχαίας μοίρας οὐδὲ ἔξεστιν.* Apparet *τὴν ἀρχαίαν μοῖραν* antiquum cuiusque heredium, quod e Lycurgi legibus conservandum utique familiis erat, etiamsi quae quia praeter illud heredium possideret vendere, quamvis parum honestum, non tamen interdictum erat. Et vendendi heredia potestatem ne Epitadei quidem lex concessit, sed tantum donandi aut legandi per testamentum. Sed apparet quam facile fuerit etiam venditioni donationis aut legati speciem praetexere: idque Aristoteles innuit quum dicit, *καίτοι ταὐτὸ συμβαίνειν ἀναγκαῖον ἐκείνως τε καὶ οὕτως.*

22) Plutarch. Agid. c. 5: *ἐκτῶντο γὰρ ἀφειδῶς ἤδη παρωθοῦντες οἱ δυνατοὶ τοὺς προσήκοντας ἐκ τῶν διαδοχῶν, καὶ ταχὺ τῆς εὐπορίας εἰς ὀλίγους συρρυείσης πενία τὴν πόλιν κατέσχεν. — ἀπελείφθησαν οὖν ἑπτακοσίων οὐ πλείονες Σπαρτιᾶται, καὶ τούτων ἴσως ἑκατὸν ἦσαν οἱ γῆν κεκτημένοι καὶ κλῆρον· ὁ δ' ἄλλος ὄχλος ἄπορος καὶ ἄτιμος ἐν τῇ πόλει παρεκάθητο.*

23) Addi poterat Tyrtaeus, si verum narratur apud Plutarch. Apophth. Lacon. tom. II p. 156 Tauchn. (VIII p. 230 Hutt.). Vix autem opus est monere, Herodoti testimonium de iis tantum temporibus accipiendum esse, quum res publica Spartanorum, devictis Achaeis, firmius fundata fuit. Nam inter ipsa initia et sub primis regibus sat multos alienigenas a Doriensibus receptos esse dubitari non potest, quo pertinent Aegidae, Minyae atque, ut arbitror, etiam Achaeorum non pauci. Cf. Arist. Polit. II, 6, 12 et all. apud Hermann. Antiquitt. Lacon. p. 26.

Hos autem, qui propter operam aut praestitam rei publicae aut praestandam civitate donarentur, deteriore quam ceteros conditione usos, iuribusque, quae sola optabilem civitatem facere possent, exclusos fuisse parum probabile est.

Producuntur porro mothaces h. e. vernae Spartanis pueris sodales a patribus eorum additi eademque cum his disciplina instituti, quos servitute exemptos, nonnunquam autem etiam in civitatem receptos esse legimus. Nam quod Aelianus ait, Var. Hist. XII, 43, Lycurgum, qui servulos sic disciplinae liberorum participes fieri permi-
sisset, his omnibus, si in ea disciplina perseverarent, civitatem quoque 17
impertivisse, id quo minus verum credam Phylarchi me testimonium dehortatur, apud Athenaeum VI, 102 p. 271, qui eos liberos quidem, non tamen cives factos esse perhibet. Huic enim, scriptori Cleomenis III aequali et rerum Laconicarum imprimis gnaro, maiorem quam Aeliano, compilatori aliquot saeculis recentiori, fidem habendam esse arbitror, quum praesertim quae res hunc in errorem induxerit satis appareat: nempe eorum, quos eodem loco commemorat, Callicratidae, Lysandri, Gylippi exemplum, quos quum mothaces et tamen cives postea Spartanos fuisse videret, quod in his tribus factum est temere in omnes transtulit. Res autem, ni fallor, sic se habuit, ut liceret quidem mothaces cives fieri, sed certis quibusdam conditionibus, primum si strenuos se diligentesque disciplinae observatores praestitissent, deinde si adoptarentur a cive Spartano. Neque illud dubium esse potest, mothaces plerosque Spartanorum filios fuisse ex Helotidibus ancillis procreatos, quemadmodum de Lysandro et Gylippo constat, alterius Aristocritum Heraclidam, alterius Cleandridam patrem fuisse[24]). Hi igitur a patribus suis adoptati et legitimorum instar habiti sunt, sic ut etiam bonorum idonea pars, quae ad tuendam civitatem sufficeret, iis daretur: quales adoptiones non sine publica auctoritate perfici potuisse ex Herodoto intelligitur, qui VI, 57 in regum muneribus etiam hoc recenset, ἤν τις θετὸν παῖδα ποιέεσθαι ἐθέλῃ, βασιλήων ἐναντίον ποιέεσθαι. Non omnes autem mothaces cives Spartanos fieri solitos esse etiam Xenophontis loco probari videtur, Hell. V, 3, 8, ubi narratur Agesipolin in Asiam proficiscentem comitatos esse Spartanos haud amplius triginta publice missos, sed multos voluntarios καὶ τῶν περιοίκων καλοὺς κἀγαθούς, καί ξένους τῶν τροφίμων

24) Vid. Plut. Lysand. c. 2. Thucyd. VI, 93.

καλουμένων, καὶ νόθους τῶν Σπαρτιατῶν μάλα εὐειδεῖς τε καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει καλῶν οὐκ ἀπείρους. Nam hi nothi Spartanorum quin mothaces sint, dubitari non potest; quos quod a Spartanis ipsis seiungi et cum perioecis et peregrinis coniungi videmus, apertissime demonstrat, eos non in civibus numeratos esse, licet essent *οὐκ ἄπειροι τῶν ἐν τῇ πόλει καλῶν*. Neque enim assentiri possum ei, a quo nunquam non aegre dissentio, C. F. Hermanno, qui Antiquitt. Lacon. p. 136 *τὰ ἐν τῇ πόλει καλὰ* ipsa civium iura esse vult, quorum illi participes fuerint. Nam etsi concedo *τὰ καλὰ* a Xenophonte nonnunquam sic dici, ut iura quoque civibus tributa significentur, tamen aliquanto saepius de disciplinae Spartanae bonis dicitur, neque opinor, qui iuris alicuius particeps sit, eius *οὐκ ἄπειρον*, h. e. non ignarum, sed potius *οὐκ ἄμοιρον*, non expertem, dicendum fuisse; contra disciplinae non expertem h. e. imbutum ea atque exercitatum, recte *οὐκ ἄπειρον* eius dici manifestum est. Iam vero si quis me dicere postulet, quae tandem fuerit conditio mothacum eorum, qui non adoptati ab aliquo Spartano neque cives facti essent, hoc me nescire fateor. Quamquam id quidem non ignoro, esse qui eos cives quidem, sed deteriore iure factos esse autument; neque intercedam si cui hoc maxime probabile esse videatur, modo ne scire se putet, quod sciri non potest. Alii autem non minus fortasse probabiliter medium quendam locum inter civitatem et peregrinitatem mothacibus assignare malent.

18 Sed etiam de trophimis, qui eodem loco a Xenophonte memorantur, aliquid dicendum est. Hos Wachsmuthius[25]) peregrinos fuisse statuit Spartae educatos, dubitat autem, utrum eos ab ipsis Spartanis eo abductos dicat, captivos scilicet ex hostibus, quibuscum bellum gessissent, an potius liberos a parentibus Spartam missos, ut disciplina Lycurgea instituerentur. Alii contra[26]) non diversos trophimos a mothacibus esse volunt, neque obstare putant huic sententiae, quod iidem *ξένοι* a Xenophonte dicuntur: non enim exteros solum eo vocabulo appellari potuisse, sed etiam libertinos, quamvis in Laconia natos. Id mihi secus videtur. Nam *ξένων* vocabulum, etiamsi apud Atticos et in aliis haud dubie civitatibus etiam inquilinos (*μετοίκους*) complectitur, in quorum numero propter similitudinem conditionis libertini quoque censentur, tamen hoc ibi tantum fit, ubi nulla inde ambiguitas

25) Hellen. Alterthumskunde I, 2 p. 210 ed. 1. (p. 689 ed. 2.)
26) Manso, Sparta tom. I, part. 1, p. 233.

orationis oriri potest; proprie autem *ξένοι* exteri sunt, qui peregre advenerunt[27]). Probamus igitur Wachsmuthi sententiam, ita tamen, ut non captivos ex hostibus abductos, sed liberos trophimos esse statuamus a parentibus educandi causa Spartam missos, id quod ab admiratoribus Spartanae disciplinae nonnunquam factum esse constat[28]). Quid? quod ipsius Xenophontis filios Spartae educatos esse novimus[29]), ideoque *ξένους* fuisse *τῶν τροφίμων καλουμένων*, qui si forte et ipsi fuerint in illis Agesipolidis comitihus (id quod haudquaquam improbabile est; nam quum militaris praecipue disciplinae laude Spartani florerent, quid veri similius, quam trophimos, qui quidem aetate militari essent, in expeditionibus bellicis comites ducibus factos esse, quorum contubernio et exemplo militiam discerent?) haec causa Xenophonti esse potuit, cur trophimos in Agesipolidis exercitu, quamvis haud dubie paucos, commemorandos tamen in hac narratione censeret. Ceterum fieri potuisse ut ex huiusmodi trophimis unus aut alter, si bene de Spartanorum re publica meruisset, civitate donaretur, nemo infitias ibit; verum tamen rarissime id factum esse certissimum est[30]), et si qui sunt, qui numerosum quendam ordinem civium inferiorum ex trophimis constitisse credunt, non in minore errore versantur, quam qui eos libertinos fuisse opinantur[31]).

---

27) Asseatiri tamen Mansoni etiam Hermannus videtur, Antiq. Lac. p. 134, licet ipse mothaces cives fuisse statuat. Atqui etiamsi concederemus, Helotidum filios, ante quam in civitatem recepti essent, *ξένους* dici potuisse et statum potius quam patriam hac appellatione designari, tamen simul atque cives facti sunt *ξένοι* esse desierunt. Itaque sic quoque trophimos *ξένους* a mothacibus civibus distingui oporteret, non utrosque eosdem credere.

28) Vid. quae citantur ab Haasio ad Xenoph. r. p. Lac. p. 187, quibus addi potest Polyaen. Strat. VI, 6 p. 559 Maasv..

29) Haas. praefat. ad Xen. p. XI.

30) Apud Plutarchum quidem, Inst. Lacon. no. 22, tom. II p. 178 Tauchn., scriptum est: *ἔνιοι δ' ἔφασαν ὅτι καὶ τῶν ξένων ὃς ἂν ὑπομείνῃ ταύτην τὴν ἄσκησιν, τῆς πολιτείας κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Λυκούργου μετεῖχε·* sed nonnulli isti rem incerto aliquo rumore acceptam supra modum auxisse videntur. Amplius etiam personatus Heraclitus in epistola apud Boissonad. ad Eunap. p. 425: *Λακεδαιμόνιοι δὲ μετ' ἄλλων καὶ τοῦτ' ἀγαθοί, οὐ γράμμασιν ἀποδεικνύντες Σπαρτιάτας, ἀλλ' ἀγωγῇ· κἂν ἐλθών τις Σκύθης ἢ Τριβαλλὸς ἢ Παφλαγὼν ἢ μηδὲν ἔχων ὄνομα χώρας ὑποστῇ τὴν Λυκουργείαν σκληραγωγίαν, Λάκων ἐστί.* Sic fama vires acquirit eundo.

31) In his est H. Clinton, Fast. Hellen. II p. 413 (420 Kr.)

19 Sed libertini ordinis fuerunt qui Neodamodes dicuntur, de quorum conditione, quum a veteribus scriptoribus nihil satis definite traditum sit, liberrimus patet coniectandi campus. Nam veteres quidem nihil uisi hoc unum docent, fuisse eos servorum numero exemptos: *δύναται δὲ τὸ νεοδαμῶδες ἐλευθερὸν ἤδη εἶναι*, legitur apud Thucydidem VII, 58, eodemque redeunt quae a grammaticis audimus, apud Meursium Miscell. Lacon. II, 7, omnia. Apud historicos autem non raro in exercitibus Lacedaemoniorum una cum helotibus et perioecis commemorantur neodamodes, atque sic quidem, ut numerum eorum haud exiguum fuisse appareat. Nam belli Peloponnesiaci anno undevigesimo Lacedaemonii *τῶν τε εἱλώτων τοὺς βελτίστους καὶ τῶν νεοδαμωδῶν ξυναμφοτέρων ἑξακοσίους ὁπλίτας* in Siciliam miserunt, duce Spartano Eccrito, Thucyd. VII, 19. Post annos tredecim sub Thimbrone in Asia mille circiter neodamodes militarunt, Xenoph. Hellen. III, 1, 4; et post quattuor annos Agesilaus cum bis mille neodamodibus, sex millibus sociorum, bellum in Asia gerendum suscepit, id. ib. III, 4, 2. Notandum est autem nullam neodamodum mentionem fieri neque apud eos scriptores, qui res Spartanorum his quae Xenophon complexus est temporibus posteriores memoriae tradiderunt, neque apud illos, qui res bello Peloponnesiaco priores narrarunt. Nam quod C. H. Lachmannus[32]) ab Herodoto, IX, 28, inter helotes. quorum quinque et triginta millia apud Plataeas in exercitu fuerint, etiam neodamodes numeratos esse credit, fieri potest ut verum, potest etiam ut falsum sit[33]). Illud autem pro certo affirmari posse videtur, maiorem aliquem numerum Helotum manumitti a Spartanis non solitum esse nisi propter operam fortem et fidelem in bellis praestitam, quemadmodum apud Thucydidem IV, 80 omnibus, qui talem a se praestitam esse probassent, libertatem promissam legimus, quumque bis mille fere professi essent, hos omnes liberatos quidem, sed mox de medio sublatos esse. Idem scriptor, V, 34, eos qui sub Brasida militaverant, — eduxerat autem is, ut e IV, 80 patet, Helotas

32) Die Spart. Staatsverf. p. 127 not. 2.

33) Fuit adeo, qui neodamodibus etiam peregrinos, Achaeos aliosque accenseret, quos antiquissimis temporibus, nondum plane devicta Laconia, Spartani in civitatem receperint, posteaque rursus optimo civitatis iure spoliaverint, C. Crome, de peregrinorum apud Laced. loco, in progr. gymn. Dusseldorp. ann. 1843. p. 5. Scilicet, ut supra dixi, liberrimus patet coniectandi campus, in quo quidvis periclitari licet.

septingentos, — libertate donatos esse memorat. Apud Xenophontem, Hell. VI, 5, 28, edicunt magistratus Helotibus, *εἴ τις βούλοιτο ὅπλα λαμβάνειν καὶ εἰς τάξιν τίθεσθαι, τὰ πιστὰ λαμβάνειν ὡς ἐλευθέρους ἐσομένους ὅσοι συμπολεμήσειεν.* Ex iis igitur, qui sic liberati essent, neodamodum longe maiorem certe partem constitisse putabimus, apparetque sic etiam ratio, cur bello Peloponnesiaco et proximis post temporibus numerus eorum tam magnus factus sit, quum ante hoc bellum aut nulli aut certe non multi fuisse videantur. De illis quidem, qui sub Brasida militaverant, Thucydides V, 34 refert, iis non solum libertatem datam esse, sed concessum insuper, ut habitarent ubicunque ipsis placuisset; quumque ab his neodamodes distinguat, non inepte aliquis coniecerit, quod Brasideis concessum sit, aliis neodamodibus non item licuisse, sed certis quibusdam locis habitare iussos esse. Et consentaneum est cavisse Spartanos, ne multi in uno loco congregarentur, sed ut quam maxime dispergerentur vel per agros rei publicae vel per perioecorum civitates. Quae autem porro conditio eorum fuerit prorsus in obscuro est, et poteram equidem, si vellem, non minus certe quam alii ingeniolum meum coniectando exercere: assignatos iis esse agros publicos, quibus fruerentur certasque inde pensiones solverent, aut numeratum aliquid pecuniae, quo aut fundos sibi in perioecorum civitatibus compararent aut quaestum exercerent, aut etiam adscriptos esse horum civitatibus, atque hinc etiam nomen *νεοδαμωδῶν*, h. e. *νέων δημοτῶν*, inditum, ut novi cives non Spartanorum sed perioecorum facti esse dicerentur[34]). Sed haec atque talia aut adoptanda et exornanda aliis relinquam, aut etiam repudianda et cum aliis speciosioribus coniecturis commutanda: hoc unum dicam, me ipsum nunc poenitere eorum, quae olim hariola-

34) Ab Isocrate Panath. §. 179 perioecorum civitates cum *δήμοις* Atheniensium comparantur, quae quomvis claudicet comparatio, tamen *δημότας* s. *δαμώδεις* cur perioecos a Spartanis dici potuisse negemus nulla causa est. Apud Hesychium legitur: *δαμώδεις· δημόται ἢ οἱ ἐντελεῖς παρὰ Λάκωσι.* Correxerunt nonnulli *εὐτελεῖς*. Sed quidni *ἢ συντελεῖς*? Nam perioecos Spartanis *συντελεῖς* factus esse etiam Ephorus dixit apud Strab. VIII p. 365, postquam pristinam iuris aequabilitatem amisissent: suntque omnino *συντελεῖς* qui non suam separatim rem publicam, suis legibus suisque consiliis administratam habent, sed alteri rei publicae tanquam membra subiuncta sunt, quae subiunctio aut talis esse potest, ut communium consiliorum et ipsi participes sint, aut ut obtemperare tantum alterius rei publicae consiliis cogantur, id quod in perioecos quadrat.

tus sum, quum neodamodes non plane expertes fuisse Spartanae
civitatis ipso nomine declarari opinarer, licet deteriore quam veteres
cives conditione[35]: quamquam etiam doctissimum Wachsmuthium
non abhorrere ab ea sententia video[36]. Alii non quidem ipsos cives
factos, sed filios eorum, ubi disciplina Spartana instituti essent, ne
civitate quidem amplius carere potuisse censent, neque aliam nisi
civitatem optimo iure intelligere videntur. Mihi tamen illud ipsum
21 perquam dubium esse videtur, liceritne promiscue neodamodibus
filios suos disciplinae causa Spartam mittere; neque credo, id quod
levissimi quidam testes autumant, Spartanos tam liberales fuisse, ut
quemvis disciplina sua institutum propter id ipsum etiam civem
facerent.

---

35) Antiquitt. i. p. Gr. p. 119. Non memineram tunc Dionis Chrys. XXXVI, 38, p. 97: *οὐδὲ ὑπάρχει τοῖς εἵλωσι γενέσθαι Σπαρτιάταις.* Quamquam possit aliquis hoc *Σπαρτιατῶν* nomen de civibus optimo iure interpretari, ut alii cives quidem, neque tamen *Σπαρτιᾶται* fuerint.

36) Griech. Alterthumskunde I, 2 p. 210 (I p. 688 ed. sec.) Sic etiam Clavier. Hist. des premiers temps de la Grèce, tom. II p. 159: *ils entroient dans la classe des citoyens.* Lachmanni opinationes refutare non est operae pretium, qui non quidem hos, qui ab historicis commemorantur, neodamodes, sed tamen alios eorum similes et plane geminos, libertinos ex helotum numero, eosque permultos, olim in Spartanorum civitatem deteriore iure receptos esse ex iisque *δῆμον* quendam urbanum extitisse ait, die Spartan. Staatsverf. p. 131: *„Auch in Sparta wurden demnach, schon in den ersten Jahrhunderten nach der Dorierwanderung freigelassene Heloten der Stadtgemeinde beigefügt. — — Es waren dies demnach neue Damoden, im Gegensatz zu den alten Bürgern der dorischen Gemeinde. So wie nun diese Benennung zuerst freigelassenen Heloten gegeben worden war, so konnte sie später, nachdem jene zu wirklichen Damoden geworden waren, leicht ihre weitere Anwendung auch auf andere freigelassene Heloten erhalten, wenn diese auch nicht, wie jene ersten Freigelassenen, in die Spartanische Bürgerschaft übergegangen waren.“* Et tamen irascitur mihi vir imaginosus, quod se civitatem Spartanam ad exemplum civitatis Romanae, qualem Niebuhrius informavit, construxisse et plebem quandam ex neodamodibus fecisse dixerim. Nempe ipse hunc suum *δῆμον* ex libertinis conflatum etiam in tribus et curias s. obas easdem cum veteribus Spartanis receptum ait, id quod de peregrinis illis, ex quibus plebs Romana conflata sit, negari solet: nec ipsum hoc nomen neodamodum de illis adscripticiis usurpavit, sed proprium servavit iis, qui posteriore aetate liberabantur, illos autem alteros non quidem graece neodamodes sed tamen germanice *neue Damoden* dixit. — Ceterum quaecunque in isto libello de Spartanorum re publ. Lachmannus protulit, sive ea aemulandi Niebuhri pruritu, sive sua sponte proprioque ingenio peperit, aeque omnia futilia esse satis inter peritos constat.

Hactenus igitur omnia, quae quidem probatorum testium fide constant, eo conspirare videntur, ut populum Spartanum novis civibus vel ex peregrinis vel ex Helotibus receptis nullum memorabile incrementum cepisse persuadeant[37]), idque etiam eo comprobatur, quod civium numerum paucorum saeculorum spatio tantopere imminutum videmus, ut quum belli Persici secundi tempore amplius octo millia essent, qui arma ferre possent, post annos sexaginta vix sex millia fuisse videantur, et post Leuctricam pugnam circiter duo millia, Aristoteles autem sua aetate mille tantum numeret, Agidis denique III. tempore septingenti circiter fuisse dicantur. Nam si novos cives multos recepisseut, quamvis imminuto veterum Spartanorum numero plebem certe inferiorem aliquanto numerosiorem habuissent. Sed huius quoque numerus pariter cum ceteris imminutus est, fueruntque septingenti illi plerique de plebe, quum centum fere locupletes essent, reliqui pauperes et egeni. Quodsi tamen factum nonnunquam esse sumimus, ut aut peregrini aut libertini in civitatem asciscerentur, nihil causae est, cur hos deteriore iure et nomine magis quam re cives factos esse credamus. Igitur si quod iuris discrimen extitit, ut alii optimo, alii deteriore iure cives essent, id non ex veterum ac novorum civium diversitate sed aliunde natum esse iudicabimus. Videndum autem ante omnia, num quid sit praeter illam *τοῦ δήμου* et *τῶν καλῶν κἀγαθῶν* oppositionem apud Aristotelem, quod eiusmodi iuris discrimen inter cives fuisse demonstret. Nam hinc omnis haec quaestio mota est, quod *δῆμον* apud eum de civibus qui deteriore iure essent, *καλοὺς κἀγαθοὺς* autem, quos eosdem cum Homoeis esse censerent, de civibus optimo iure acceperunt. Est autem praeter Aristotelem unius Xenophontis locus item unus, unde aliquid de huiusmodi civium

37) Admonebit me fortasse aliquis eorum, qui Epeunactae v. Epeunacti dicebantur, de quibus, quum alii aliter tradiderint, maxime probabilis videri possit Theopompi narratio apud Athenaeum VI p. 271 c: *ἀποθανόντων πολλῶν Λακεδαιμονίων ἐν τῷ πρὸς Μεσσηνίους πολέμῳ, οἱ περιλειφθέντες — — ἀνεβίβασαν τῶν εἱλώτων ἐφ᾽ ἑκάστην στιβάδα τῶν τετελευτηκότων τινάς, οὓς καὶ πολίτας ὕστερον ποιήσαντες προσηγόρευσαν ἐπευνάκτους.* Atqui ut vera sit haec narratio, hi cives, quamvis multi fuisse statuantur, tamen non longius una hominum aetate in civitate fuerunt. Nam filii, quos e Spartanis viduis genuerant, qui Partheniae dicebantur, mox ablegati sunt abieruntque in Italiam, ubi Tarentum condiderunt. Ceterum vid. quae de ista narratione prudenter Weberus disputavit, de Gytheo et Laced. rebus navalibus (Heidelberg. a. 1833) p. 16 sqq.

discrimine colligi, si minus debere, at tamen posse videatur. Is enim, Hellen. III, 3, 5 sqq. narrationem habet de Cinadone quodam, qui quum aegre ferret, quod non esset in Homoeorum numero, evertendae rei publicae consilia agitaverit. Erat enim Cinado, ut Xenophon ait, *καὶ τὸ εἶδος νεανικὸς καὶ τὴν ψυχὴν εὔρωστος, οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων*, cupiebatque, ut ipsum profitentem facit, §. 11, *μηδενὸς ἥττων εἶναι ἐν Λακεδαίμονι*. Audimus praeterea varia ei ministeria a magistratibus iniuncta, quae fidem et strenuitatem poscerent: missum esse ad comprehendendos in perioecorum oppidis homines suspectos, quos ephori designassent, additosque ei alios ex iunioribus,
22 iis qui equites vocabantur[38]), quorum opera iu huiusmodi ministeriis uteretur, §. 8. 9; sed de ipsius conditione nihil aliud Xenophon memorat, nisi id quod supra diximus, non fuisse eum in Homoeis, ut ne illud quidem liquido constet, civisne Spartanus fuerit. Quamquam hoc sane veri simillimum est, neque ex eo, quod illos, quibus ipse coniuratique sui infensi sint, Spartanos, non autem Homoeos appellat, §. 5. 6, recte concludi potest ipsum non item Spartanum fuisse, siquidem vere Hermannus monuit[39]) ideo hoc fieri, quod perioecos maxime et Helotas aut iam haberet consiliorum socios aut habiturum speraret, qui quidem non solis Homoeis, sed omnibus haud dubie Spartanis infesti essent. Gravius est, quod idem monuit, non apparere cur Xenophon, si Cinado perioecus aut neodamodes esset, (nam servum fuisse nemini in mentem veniet,) hoc ipsum simpliciter indicare, quam circumloquutione ista *οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων* uti maluerit, quae sane eiusmodi est, ut eum Homoeorum quidem numero exclusum, non autem ut perioecum aut libertinum fuisse persuadeat. Nam non omnes cives utique etiam Homoeos fuisse certum est, siquidem excludebantur qui aut observare disciplinam civilem detrectarent, aut eius omnino non participes facti essent, aut propter nimiam paupertatem syssitiorum impensas tolerare nequirent. Atque detrectasse quidem Cinadonem disciplinae observationem, ideoque ex Homoeis eiectum esse, parum credibile est, quum et strenuum virum et ambitiosum esse videamus, qui profecto non commissurus fuisset, ut sua culpa omnem honorum aditum sibi praecluderet: reliquarum duarum causarum utramlibet suspicari licebit sine ulla hominis iniuria.

38) De his vid. Haas. ad Xen. de r. p. L. p. 105. Hermann. Antiqu. Lac. p. 119.
39) Antiqu. Lacon. p. 129.

Nam vel pauperrimus esse poterat nulla sua culpa, vel expers disciplinae puerilis propter aliquam parentum aut mollitiem aut negligentiam, et tamen *νεανικὸς καὶ εὔρωστος* naturae suae bonitate [40]). Iam si quaerimus, quo nomine eos appellatos esse dicamus, qui cives quidem, neque tamen Homoei essent, commode se offert nomen *ὑπομειόνων*, ab ipso Xenophonte suppeditatum. Nam dicit apud eum Cinado §. 6, scire se consiliis suis favere et Helotas et neodamodes et hypomionas et perioecos, quippe quibus omnibus Spartani in summo odio essent, scilicet quod se ab iis indigne haberi gravarentur. Porro autem, quum omnes Laconiae habitatores aut servi aut libertini aut perioeci aut cives essent, — neque enim ullum praeter haec quattuor genera novimus, quamvis in uno quoque eorum variae fuerint species, — in servis quidem aut perioecis hypomiones vix quaerendi esse videbuntur, quandoquidem sic nulla probabilis nominis ratio exputari poterit. Restat igitur ut aut libertini aut cives fuerint. Si libertini, statuere licebit, horum quoddam genus fuisse deteriore quam neodamodes conditione [41]); possitque huic coniecturae aliquid probabilitatis vel hinc conciliari, quod apud Xenophontem proximo post neodamodes loco *ὑπομείονες* memorantur. Sin cives, item cives deteriore iure intelligendi erunt; et commodissime sic *τῶν ὁμοίων* et *τῶν ὑπομειό-* 23
νων nomina inter se opposita esse dicemus [42]). Itaque haec sententia, inde a Cragio, plerisque probata est, nec fortasse iniuria: ego certe me huc maxime inclinare profiteor. Monendi tamen sumus, ne pro certo habeamus, quod coniectura tantum, quamvis probabili, assequuti simus. Omnium maxime autem illud cavendum erit, ne ulterius etiam coniectando progrediamur, et quoniam helotum, neodamodum, peri-

---

40) Comparare Cinadonem licet cum Chaerone, de quo Polybius XXV, 8: *ἄνθρωπος ἀγχίνους μὲν καὶ πρακτικός, νέος δὲ καὶ ταπεινὸς καὶ δημοτικῆς ἀγωγῆς τετευχώς*. Sed Chaeron cum aliis plurimis eiusdem generis illa tempestate plurimum in civitate poterat: Cinadonem videmus indigne ferre, quod parum valeat.

41) Cf. Antiquitt. iur. publ. Gr. p. 112, 9.

42) Forma nominis *ὑπομείων* comparanda est cum Homerico *ὑπολίζων* Il. XVIII, 519, et *ὑφήσσων* ap. Hesiod. Scut. 258, in quibus Kissnerus (De praeverbio *ὑπὸ* in compositis abundante. Progr. gymn. Lyceus. ann. 1854 p. 26) non deminutionem (*μείωσιν*) sed similem potius relationem significari censet, atque in *ὑφηνίοχος*, *ὑποδμώς* et simm., ut aliquis inferior altero dicatur. Id si verum est, *ὑπομείων* non paullo minorem sed simpliciter eum significabit, qui ut minor sub altero maiore est.

oecorum magna multitudo fuit, sic etiam hypomionum illorum non exiguam multitudinem fuisse colligamus. Nam eorum certe, qui propter neglectam disciplinam civilem aut propter nimiam paupertatem ex Homoeorum ordine exclusi essent, quos adhuc solos cives deteriore iure cognovimus, horum profecto haud ita magnus numerus esse potuit. Sed quamvis pauci essent, potuerunt tamen a Cinadone una cum ceteris nominari propterea, quod odii quidem vehementia illis haud cederent, immo fortasse etiam praestarent, quodque huius coniurationis contra Spartanos capita ex eorum potissimum numero essent, qui, licet imminuto iure, tamen, quum stirpe saltem civili essent, ceteris nobiliores haberentur, neque tantopere a re publica remoti, ut non facilius quam ceteri opportunitatem exequendorum consiliorum explorare possent. — Sed quoniam in coniecturis omnis haec quaestio versatur, quidni nos quoque aliquid coniecturae expromamus, ne plane *ἀσύμβολοι* fuisse dicamur, neve gravetur aliquis, quod, quum multi fuerimus in alienis coniecturis examinandis et reprehendendis, ipsi nihil admodum protulerimus, quo vicissim examinando et reprehendendo nos ulciscatur. Dicemus igitur, quod quam verum aut simile veri sit alii iudicent: Dorieuses, quum terram Laconicam occuparent, quam paullatim demum et post longum tempus totam plane subactam esse constat, simili quadam ratione usos esse, quam qua postea Romani usi sunt, quum Italiam imperio suo subiicerent. Nam sicut Romani in oppida Italorum colonos mittere solebant, h. e. aliquem civium suorum numerum, qui et agrorum ibi partem acciperent, et pro praesidio essent veteresque incolas observarent et in fide retinerent, sic etiam Dorienses in Achaeorum oppida colonos quosdam e suo numero miserunt, agros iis assignarunt, incolasque Achaeos, quotquot non aut expulsi aut in Spartanam civitatem recepti essent, regendos atque retinendos commendarunt. Id ne quis nullo auctore dictum criminetur, de Geronthris certe Pausaniam testem producam, qui, III, 22, 5, *ταύτας*, inquit, *ἐποίησαν ἀναστάτους Δωριεῖς οἱ Λακεδαίμονα ἔχοντες· ἀναστήσαντες δὲ Γερονθράτας τοὺς ἀρχαίους παρὰ σφῶν ἀποίκους ἀπέστειλαν.* Nam illud *ἀναστάτους* et *ἀναστήσαντες* nemo facile sic urgendum putabit, ut omnes veteres incolas expulsos esse contendat[43]). Remanserunt haud dubie sat multi, sed

43) Recte monet Clavier, Hist. des pr. temps de la Grèce, tom. II p. 99: *„Il ne faut jamais prendre à la lettre ce que disent les anciens lorsqu'ils parlent*

colonis illis Doriensibus subiecti. Porro Pheras, quod oppidum Laconiae aut Messeniae fuit, Cornelius Nepos, vit. Con. c. 1 [44]) coloniam Lacedaemoniorum dicit, id quod eodem sensu accipiendum est, ac si Vitellia e. c. aut Satricum coloniae dicuntur civium Romanorum. Neque aliter Cytherii a Thucydide, VII, 57, 6, *Λακεδαιμονίων ἄποικοι* et *Δωριῆς* vocantur, quos quum idem, IV, 53, perioecos vocat, conditionem significat veterum incolarum, quibuscum illos Dorienses colonos procedente tempore magis magisque coaluisse consentaneum est, ut iam omnes pariter Dorienses haberi possent, quemadmodum de Cynuriis, quos Argivi subiecerant, Herodotus ait VIII, 73: *ἐκδεδωρίευνται ὑπὸ Ἀργείων ἀρχόμενοι.* Atque hoc idem in ceteris perioecorum oppidis evenit, ut Dorienses coloni cum veteribus incolis magis magisque coalescerent, ab iis autem, qui Spartae remanserant, popularibus suis paullatim abalienarentur. Et in suis quidem oppidis praecipuum quendam dignitatis locum eos retinuisse non est quod dubitetur, ab universae autem rei publicae Spartanae administratione excludebantur: id quod fieri necesse erat, siquidem administrari ea non poterat nisi ab iis, qui Spartae, consilii publici regumque et magistratuum sede, versabantur. Hanc ob causam quum Spartiatae, h. e. Spartae urbis habitatores, soli cives optimo iure essent, factum est etiam, ut hi plerumque soli intelligendi sint, ubi de populo, h. e. de omni multitudine eorum, qui rem publicam in potestate habent, sermo est: eoque sensu *δήμου* nomen apud Aristotelem, quum de Lacedaemoniorum re publica loquitur, accipiendum puto. Quamquam plane expertes communis rei publicae illos alteros fuisse vix credo. Retinebant fortasse quoddam ius suffragii, hactenus saltem, ut ad maiora atque ordinaria comitia, quae quot mensibus habita esse dicuntur, ipsis quoque si vellent Spartam ire liceret. Extra ordinem si populus convocabatur, de rebus eiusmodi, in quibus illorum quoque animos et voluntatem nosci interesset, invitabantur ab ephoris; atque sic fortasse dicuntur *οἱ ἔκκλητοι τῶν Λακεδαιμονίων*, quamquam hoc contendere nolim [45]). De aliis autem rebus gravioribus et quae su- 24

de peuples, qui ont été chassés de leur pays: les rois, les principaux, et une partie de l'armée se retiroient et alloient chercher fortune ailleurs, mais le gros du peuple restoit dans le pays."

44) Cf. Xen. Hell. IV, 8, 7, et de situ oppidi Mueller. Dor. II. p. 455 ed. I.

45) Vid. quae dixi in diss. de ecclesiis Lac. ann. 1836 edita, p. 6. [91.]

bitam consultationem poscerent, eos solos, qui Spartae habitabant, h. e. Spartanos proprie dictos, convocari mos erat. Hi soli etiam et creare magistratus et creari ipsi poterant, erantque igitur quales ab Aristotele dicuntur *οἱ ἐν τῷ πολιτεύματι*; illi alteri magistratuum et creatione et administratione exclusi, *ἔξω τῆς πολιτείας* erant[46]), dicebanturque propterea *ὑπομείονες*.

Tantum de his: nunc ad Homoeos redeundum est. In his igitur cur soli Spartani esse potuerint ex iis, quae modo dicta sunt, apparet, observavitque etiam Muellerus[47]) in illa de Cinadone apud Xenophontem narratione *Σπαρτιατῶν* nomen non diverso ab Homoeorum significatu dictum videri. Neque ullos Spartanos proprie dictos fuisse arbitror, qui non iidem etiam Homoei essent, exceptis illis paucis, qui propter neglectam disciplinam aut propter egestatem remoti essent, quos si quis et ipsos *ὑπομείονας* dictos credat, equidem libenter assentiar. Spartanorum sive Homoeorum populum, ut dixi, Aristoteles in mente habet, quum ephoros *ἐκ τοῦ δήμου* creatos esse memorat: nam prorsus incredibile est hunc magistratum ab aliis capi potuisse, quam qui disciplina Lycurgea instituti eiusque observantes essent, id quod in *ὑπομείονας* non cadit. Quum autem *τοὺς καλοὺς κἀγαθοὺς* tanquam partem quandam eximiam a reliqua multitudine distinguit, non Homoeos illis, qui *ὑπομείονες* erant, opponit, sed in ipsis Homoeis alios *καλοὺς κἀγαθοὺς* esse innuit, alios autem, in quos haec appellatio non conveniat. Neque igitur ordinis ac iuris inter utrosque sed dignitatis tantum atque existimationis discrimen est. Nam quamvis Spartani opibus et nobilitate inter se dispares essent, alii ditissimi suisque et maiorum suorum honoribus et rebus gestis excellentes, alii autem ignobiles atque obscuri, facultatibus permodicis, nonnulli etiam adeo tenuibus, ut aegre phiditiorum impensis sufficerent, iure tamen ac legibus omnes inter se pares erant, neque cuiquam, qui se dignum honore praestitisset, aut opum mediocritas[48]) aut natalium obscuritas obstabat[49]), quominus etiam ad summos in re publica

46) Haec loquutio, non diversa ab altera, *μὴ μετέχειν τῆς πολιτείας*, haud dubie multo magis ad magistratuum atque honorum aditum praeclusum, quam ad suffragium pertinere videtur Tittmanno, die griech. Staatsverf. p. 659, 92.

47) Dor. tom. II, p. 84.

48) Xenoph. r. p. L. c. 10, 7.

49) Sic Plutarch. Lysand. c. 24 testatur, etiam Heraclidarum gentem, qua nulla haud dubie nobilior fuit, tamen nihil praecipui iuris prae qualibet alio

magistratus locumque senatorium evehi posset. Posset, inquam, si ius et leges valerent. Sed has saepenumero, ut alibi, sic apud Spartanos, minus quam opes ac potentiam valuisse, quis tandem mirabitur? Itaque factum, ut summos honores parva quaedam nobilitatis factio inter se per manus traderet, ut senatores, quamvis aliquod creationis in comitiis simulacrum retineretur, tamen Aristotelis aetate e certis tantum familiis fierent, unde is eorum creationem *δυναστευτικὴν* dixit[50]), denique ut, exceptis fortasse minoribus quibusdam magistratibus, soli ephori ex universo populo crearentur, quo scilicet huius magistratus communione contenti humiliores ceterorum iacturam facilius ferrent. Ceterum etiam ex nobilioribus ephoros factos esse iam supra vidimus: et si ex tenuioribus erant, quotum quemque eorum fuisse putabimus, quem non optimates tractabilem sibi facere potuerint? Erant enim, ut Aristoteles testatur[51]), propter paupertatem venales.

Poteram hic finem facere, siquidem de Homoeis satis dictum esse arbitror; sed superest, ut etiam de Lycurgi agrorum divisione aliquid addatur, cuius quum supra mentionem iniicerem simul promisi me demonstraturum, quam leves essent causae, propter quas eam Grotius,
celebratissimus Graecae historiae compositor, in dubium vocasset. 26
Neque tamen nimis longa erit haec demonstratio, multo certe brevior, quam verbosa Grotii disputatio, quae quamvis captiosa sit et ad fallendum lectorem incautum apte composita, tamen rem ipsam examinanti argumentaque ponderanti non poterit non facilis videri ad refellendum. Nam quaecunque a viro acutissimo afferuntur, non tam historici et critici subtilitatem, quam sollertis causidici calliditatem produnt, malam causam argumentis specie quidem haud contemnendis, reapse tamen infirmis probare conantis. Et, ut dicam quod sentio, videtur

cive habuisse, nisi quod duabus eorum familiis regnum proprium fuit: *οὐδὲν ἕτερον πλέον ἔχειν ἐν τῇ πολιτείᾳ διὰ τὴν εὐγένειαν ὑπῆρχεν, αἱ δ' ἀπ' ἀρετῆς τιμαὶ πᾶσι προὔκειντο τοῖς δυναμένοις.*

50) Polit. V, 5, 8 Eleorum senatorum creationem *δυναστευτικὴν* esse ait *καὶ ὁμοίαν τῇ τῶν ἐν Λακεδαίμονι γερόντων*, quem locum nollem tentatum ab H. Sauppio, Epist. crit. ad G. Hermannum p. 148, inserta ante *ὁμοίαν* negatione. — Puerilem Aristoteles alibi, II, 6, 18, Spartanorum senatorum creationem dicit, haud dubie propterea, quod dicis tantum causa populus rogabatur. Cf. Antiqu. i. p. Gr. p. 121, 4.

51) Polit. II, 6, 14.

mihi Grotius, ut in aliis nonnullis laudatissimi operis partibus, sic in hac disputatione perverso quodam studio abreptus gloriolam nescio quam ex eo quaerere, ut acutius quam alii cernere verique et falsi notas rectius distinguere censeatur, cui studio qui indulgent, his praeter spem saepe Terentianum illud contingit: faciunt intelligendo ut nihil intelligant.

Ad demonstrandum omnem illam de aequabili agrorum divisione Lycurgea narrationem incredibilem prorsusque commenticiam esse duplici Grotius argumentorum genere utitur, quorum alterum a silentio scriptorum Polybio priorum ductum est, alterum a certis indiciis magnae cuiusdam bonorum inaequalitatis iam satis mature inter Spartanos conspicuae. Sed hoc quidem posterius quam infirmum sit, neminem, qui modo attendere velit, fugere potest. Primum enim, quamvis aequabiliter agri distributi fuerint, nihilo secius tamen ceterarum possessionum magna inaequalitas esse potuit, siquidem Spartanos non solum agros, sed etiam alias res varii generis possedisse non est dubitandum. Et fuerunt, Plutarcho teste [52]), qui Lycurgum etiam *τῶν ἐπίπλων*, h. e. rerum mobilium aequabilem modum introducere voluisse dicerent, sed desistere coactum esse, ideoque inutiles saltem divitias possessoribus reddere conatum, unde apparet, non de omnium bonorum aequabilitate cogitandum esse, sed ut ante Lycurgum, ita etiam post eum alios divites fuisse alios pauperes, prout quisque aut nihil praeter assignatum agri modum aut alia praeter hunc bona possideret. Deinde, etiamsi agros tantum respicimus, nemo negat horum aequabilitatem perpetuo retineri non potuisse, sed mox rursus turbari coeptam esse, sive quod negligerentur leges quae ad eam conservandam pertinerent, sive quod non satis a legislatore provisum esset, ne quando turbaretur, sive quod omnino praecaveri hoc malum in longum tempus nequiret. Igitur quaecunque in hac parte disputationis a Grotio proferuntur, partim ut aequabilitatem iis temporibus, quorum certior historia est, nullam fuisse demonstret, partim ut redarguat quae de variis eius retinendae modis atque institutis alii coniecerunt, haec omnia nunc silentio praetermitti possunt, quippe quum huiusmodi coniecturas omnes incertas, inaequalitatem autem certissimam esse ne nos quidem diffiteamur. Hoc unum tangam, testem inaequalitatis a Grotio etiam Alcaeum poetam produci, qui Aristo-

52) Vit. Lycurg. c. 9.

damum quendam Spartae questum esse refert *χρήματ' ἀνήρ· πενιχρὸς δ' οὐδεὶς πέλετ' ἐσλὸς οὐδὲ τίμιος.* Credere igitur videtur vir doctissimus hunc Aristodamum aut ipsum Spartanum fuisse, aut certe querelam eius ad Spartanos pertinere, quorum alterum refutari potest 27
Pindari testimonio, qui eum Argivum dicit[53]), alterum incertissimum esse apparet. Quidni enim Argivus homo apud Spartanos de aliis, e. c. de popularibus suis queri, iisque adeo opponere diversos Spartanorum mores potuerit? Sed hoc leve est nulliusque ad nostram quaestionem momenti. Ut enim Spartanus fuerit, utque ipsos Spartanos taxaverit: non excludi bonorum inaequalitatem divitiarumque aestimationem agrorum aequabilitate iam supra diximus, neque hanc ipsam aequabilitatem Aristodami vel Alcaei aetate[54]) servatam fuisse contendimus.

Videndum nunc de altero argumentorum genere, quae a silentio scriptorum ducta sunt, quod omne genus quam lubricum et fallax sit dudum a circumspectioribus criticis intellectum est. Animadverterunt enim nullam eius vim esse, nisi in eiusmodi rebus, quas manifestum sit neque ignorari a scriptore potuisse, neque non commemorari debuisse propter operis consilium ac rationem: id quod a Grotio non animadversum esse miramur. Producuntur ab eo septem testes, quorum sex silentio, unum autem etiam disertis verbis illam Lycurgeam agrorum divisionem refutare credit, Hellanicus, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Plato, Aristoteles, Isocrates. Hos igitur nos quoque singulatim examinabimus, alio tamen, quam quo a Grotio producti sunt, ordine, et primum quidem Herodotum. Apud hunc duo tantum loci sunt, quos Grotium in mente habuisse credibile sit, lib. I c. 65 et lib. VI c. 52 sqq. Horum altero memoratur, qualem Lacedaemoniorum statum Croesus cognoverit, quum auxilia Graecorum contra Persas circumspiceret: nempe victores eos evasisse Tegeatarum, postquam leges, quibus olim minus bonis usi essent, Lycurgus in melius mutaverit. Sed omnis huius mutationis narratio his paucis verbis absolvi-

53) Pind. Isthm. II, 15 (9) ibiq. Dissen. Add. Hermann. Antiqu. Lacon. p. 93. Niebuhri errorem, qui Alcaei hunc Aristodamum cum rege Lacedaemaniarum, Eurysthenis et Proclis patre confundit (Hist. Rom. tom. 1 p. 102 nat. 1007 ed. 3 itemque Lectt. hist. antiqu. 1 p. 225) non tangerem, nisi eum repetitum viderem a Ludavico in Museo phil. Cantabr. vol. II p. 39.

54) Aequalem Alcaei Aristodamum fuisse ex eo patet, quod inter septem sapientes numeratus est. Cf. Diog. L. I, 31.

tur: *ὡς γὰρ ἐπετρόπευσε τάχιστα μετέστησε τὰ νόμιμα πάντα καὶ ἐφύλαξε ταῦτα μὴ παραβαίνειν· μετὰ δὲ τὰ ἐς πόλεμον ἔχοντα, ἐνωμοτίας καὶ τριηκάδας καὶ συσσίτια, πρός τε τούτοις τοὺς ἐφόρους καὶ γέροντας ἔστησε Λυκοῦργος.* Verbum non amplius addit, neque, opinor, necesse habuit; nam sive norat Lycurgum, quum leges refingeret, etiam agrorum novam distributionem fecisse, sive ignorabat, hoc quidem loco omnia eius instituta singulatim enarrare nihil opus fuit. Altero loco Herodotus, postquam narrationis serie ad commemorandos Spartanorum reges Cleomenem et Demaratum eorumque dissensiones deductus est, excurrit paullo longius, exponitque regum Spartanorum originem et qui factum sit, ut bini imperent, quaeque sint eorum munera, quae potestas, qui honores. Ne in hoc quidem excursu quidquam esse apparet, quod agrariae Lycurgi legis mentionem fieri aut posceret aut pateretur. Itaque huius primi testis silentium nec prodesse adversario, nec nostrae causae obesse pronuntiabitur. Iam prodeat Hellanicus, Herodoti aequalis. Sed is quum comparere coram propter sonticam causam non possit, absentis qua-
28 dam *ἐκμαρτυρίᾳ* contenti esse debebimus, ab Ephoro per Strabonem accepta. Audiamus igitur Strabonem, VIII p. 366: *Ἑλλάνικος μὲν οὖν Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα φησὶ διατάξαι τὴν πολιτείαν. Ἔφορος δ' ἐπιτιμᾷ, φήσας Λυκοῦργον μὲν αὐτὸν μηδαμοῦ μεμνῆσθαι, τὰ δ' ἐκείνου ἔργα τοῖς μὴ προσήκουσιν ἀνατιθέναι.* Nihil aliud hunc profiteri videmus, nisi Hellanicum Lycurgi nullam mentionem fecisse, sed constitutionem rei publicae Spartanorum, cuius pleraque instituta illi deberentur, ad primos reges Eurysthenem et Proclem retulisse: quamobrem hoc quidem certum est, qui Lycurgi plane non meminerit, eum etiam de agris a Lycurgo divisis nihil dixisse; sed si quaerimus porro, qui tandem fieri potuerit, ut illum sic plane silentio praetermitteret, a Strabone quidem destituimur, ipsi tamen respondere poterimus. Nempe Hellanicus nusquam data opera et, ut dici solet, ex professo de Spartanorum re publica exposuit, sed quidquid de ea retulit, obiter et quasi in transcursu aliarum rerum narrationibus intexuit. Id quum vel ex indicibus librorum et fragmentis coniici possit, tum confirmatur etiam hinc, quod quae de Helo, Achaeorum urbe, a Doriensibus in servitutem redacta scripserat, legebantur in Atthide, h. e. in iis libris, qui erant de rebus Atheniensium [55]). Iam vero quae

55) Cf. C. Mueller, Fragm. histor. gr. tom. I. p. XXVII. et IV. p. 632.

et qualia instituta Hellanicus ad illos duos reges retulerit prorsus in obscuro est. Potest ut etiam agros ab iis aequabiliter divisos tradiderit, idque mihi perquam probabile videtur; sed quo tandem iure hinc concludatur, eum alteram eorum divisionem ab Lycurgo factam ignorasse, non intelligo, quandoquidem nulla causa demonstrari potest, cur praeter ea, quae de prima constitutione rei publicae obiter, ut dixi, inseruit, etiam longius exspatiaretur, et quae deinceps insequutae essent mutationes et restitutiones enarraret. Itaque hunc quoque testem ut nostrae causae non adversantem dimittere poterimus. Sequitur Plato, cuius non absimilis ratio est. Nam Legg. lib. III p. 684, civitatum Doricarum in Peloponneso conditores obiter commemorans, fortunam eorum praedicat, quibus aequabilitatem quandam possessionum inter cives suos efficere licuerit absque invidiosis tabulis novis aut legibus agrariis, quum occupatis eorum, quos devicerant, terris agrorum aequabiliter distribueudorum copiam nacti essent. At, inquit Grotius, non tamen dicit hanc aequabilitatem mox turbatam esse, ut restituenda fuerit Lycurgi lege agraria. Sane, respondebit Plato, non dixi hoc, neque debui dicere; immo si dixissem, ineptus fuissem, siquidem fuit haec res prorsus planeque consilio meo aliena. Quartus esto Thucydides, qui lib. I. c. 6, postquam dixit, olim Graecorum veterum victum atque cultum aliquanto propius ad Asianorum modum accessisse, addit deinde haec: *μετρίᾳ δ᾽ αὖ ἐσθῆτι καὶ ἐς τὸν νῦν τρόπον πρῶτοι Λακεδαιμόνιοι ἐχρήσαντο, καὶ ἐς τὰ ἄλλα πρὸς τοὺς πολλοὺς οἱ τὰ μείζω κεκτημένοι ἰσοδίαιτοι μάλιστα κατέστησαν.* Hocine igitur loco etiam agrorum aequabilem divisionem commemorari debuisse putabimus? quum praesertim nihilo secius tamen alii aliis ditiores aut pauperiores esse potuerint. Ne ipsum quidem Grotium illud putasse crediderim, sed citasse tantummodo Thucydidem, quo plures testes habere videretur fucumque lectoribus faceret. Neque vero quinti testis, Xenophontis, silentium plus ponderis habet, siquidem omnis eius libellus de re publica Lacedaemoniorum non in forma huius rei publicae legibusque describendis versatur, sed 29
tantum in disciplina, quam Lycurgus ordinasse credebatur. Hanc igitur accuratius persequitur, ab ipsa generatione liberorum incipiens usque ad provectiorum aetatem, qualis et domi et militiae fuerit. Fuit autem eadem omnibus et divitibus et pauperibus, neque ad disciplinam quidquam intererat, aequabilesne an inaequales agrorum possessiones Lycurgus fecisset, quamobrem hac de re dici a Xenophonte nihil opus

fuit, idque eo minus, quod illa aetate disciplina tantum retenta, agrorum aequabilitas dudum amissa erat.

Adhuc igitur in Grotianis testibus nullum esse videmus, ex cuius silentio quidquam in alteram utram partem efficiatur, siquidem cur illi quinque, quos examiuavimus, Lycurgi legem agrariam, etiamsi maxime nossent, commemorare tamen aut non necesse habuerint, aut ne potuerint quidem, in aperto est. Sequitur nunc sextus Aristoteles, quem in Politicorum libris potuisse quidem commode eius mentionem facere concedimus, debuisse autem negamus. Nam Aristoteles quoque non historiam rei publicae Lacedaemoniorum persequitur, sed exempli tantum causa passim eorum instituta attingit, neque ea qualia initio fuisse videantur, sed qualia ipse sua aetate esse noverat, unde fit, ut nonnulla, quae seriore demum tempore invecta esse certissimum est, veteri legislatori imputet. De agrorum autem aequabili divisione tacuit, sive quod ipsi non satis constabat hac de re, sive quod dudum obsoleverat. Restat Isocrates, miraturus haud dubie, sibi testimonium denuntiari in huiusmodi quaestione historica, idque propter eam orationem, quae qualis esset quoque animo et consilio composita, ingenue ipse professus sit. Nam in Panathenaico postqaam id egerit, ut comparatis inter se Atheniensium et Spartanorum rebus gestis demonstraret, quanto melius illi quam hi de ceteris Graecis meriti quantoque digniores principatu essent, in eaque demonstratione multa in Spartanos crimina cumulaverit, poenituisse se postea dicit sui operis diuque dubitasse, an totum deleret neque exire in publicum pateretur. Sed confirmatum ab amicis, qui tam bellam orationem perire nollent, iniuriam Spartanis factam sic quodammodo sarciendam statuisse, ut aliquem Spartanorum fautorem induceret, qui invidiosis istis criminationibus laudationem ex adverso opponeret. In hac igitur laudatione legitur is locus, quo Grotius pro testimonio uti non dedignatus est, §. 259: *ἐν δὲ τῇ Σπαρτιατῶν (πόλει) οὐδεὶς ἂν ἐπιδείξειεν οὔτε στάσιν οὔτε σφαγὰς οὔτε φυγὰς ἀνόμους γεγενημένας, οὐδ' αἰσχύνας γυναικῶν καὶ παίδων, ἀλλ' οὐδὲ πολιτείας μεταβολὴν οὐδὲ χρεῶν ἀποκοπὰς οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν οὐδ' ἄλλ' οὐδὲν τῶν ἀνηκέστων κακῶν.* Qui quid intersit inter rhetorem et historicum non ignorat, profecto nihil aliud ex hoc loco disci posse intelliget, nisi legem illam agrariam dudum vetustate oblitteratam paucisque tantum doctioribus notam, vulgo autem ignotam fuisse, ut impune rhetori affirmare liceret, nullam fuisse. Imperitissime igitur faciunt,

qui a rhetore tanquam a teste veritatem exigunt, in hoc praesertim laudativo genere, in quo id unum agi solet, ut quidquid in alicuius laudem cum aliqua veritatis specie aut sine manifesta mendacii nota dici possit, credulis auditorum auribus ingeratur.

Iam vero si Grotium audiemus, rhetorum omnium vanitatem longe superasse dicenda erit eorum scriptorum impudentia, quos ille primos 30
hanc de Lycurgo narrationem ementitos esse autumat. Quamquam initio quidem non impudentiam mentiendi, sed quandam quasi somniorum imaginationem hanc fabulam peperisse credit. Nam Agidem regem, quum mederi malis rei publicae cuperet nullumque efficacius remedium esse videret, quam ut sublata magna illa, quae tunc erat, bonorum inaequalitate parem omnibus agrorum modum tribueret, quumque totus esset in priscae constitutionis Lycurgeae contemplatione ac desiderio, mox eo devenisse, ut, quod ipse instituendum a se esse censeret, id reapse etiam a Lycurgo institutum fuisse somniaret [56]). Communicatum hoc somnium cum aliis et creditum, sed infelici Agidis interitu aliquantisper oppressum, mox renatum esse apud Cleomenem adoptatumque ab eius amicis, in quibus quum Sphaerus esset Borysthenita, quem libros de Lycurgo et de Spartanorum re publica scripsisse constat [57]), non improbabile Grotius esse putat, hunc primum illam **hypothesin** (hoc enim leniore nomine uti maluit pro mendacio) litteris mandasse [58]) atque sic factum esse, ut alii postea scriptores nimis creduli, in quibus Plutarchus, in errorem inducerentur. En critici acumen, quod quis non magnopere admiretur? Plutarchum vero ipsum legentibus manifestum videbitur, non unum illius de Lycurgo narrationis, sed complures, tres minimum, auctores fuisse. Nam tribus modis diversis rem traditam esse legent, quum de universo quidem sortium numero omnes consentirent, fuisse novem millia, alii

56) Hist. of Greece vol. II. p. 533 ed. prim.: *the reveries of Agis go back to the old ante-Lycurgean Sparta* etc. p. 534: *such is the picture with which „mischievous Oneiros" cheats the fancy of the patriotic Agis,* et paullo post: *that the golden dream just described was dreamt by some Spartan patriots is certain.*

57) Vid. quae citavimus ad Plut. Cleom. p. 175.

58) Grot. l. c. p. 529: *Perhaps the philosopher Sphaerus of Borysthenes (the friend and companion of Kleomenes —) may have been one of those who gave currency to such an hypothesis.*

autem hunc numerum iam a Lycurgo expletum dicerent, alii ab hoc quattuor millia et quingentas, alii denique sex millia facta, reliquum numerum a Polydoro demum adiectum esse perhiberent. Debebunt igitur qui Grotio assentientur alterutrum statuere: aut Sphaerum, vel quisquis fuerit fabulae auctor, ipsum callide hanc quoque dissensionem ementitum esse, quo maiorem fabulae fidem faceret, si non rem novam atque inauditam, sed iam ab aliis, quamvis varie, traditam narrare videretur, aut alios postea extitisse, qui fabulam ab illo acceptam suo quisque modo exornarent, nulla scilicet alia ratione, nisi ut in historia commenticia nullius verae utilitatis sed tantum otiosae cuiusdam delectationis causa luderent. Id si cui placebit, non intercedam equidem quominus iudicio suo fruatur. Sin alterum praeoptabitur, ut Sphaerus ipse hanc dissensionem finxisse dicatur, necesse est aut nominari ab eo certos auctores debuisse, aut nullis auctoribus nominatis rem nude affirmari. Si nominavit, mendacium statim detegi debuit: si nullos nominavit, qui fieri potuit, ut rei nullo auctore a scriptore recentiore traditae tamen vulgo fides adiungeretur? quum praesertim res ipsa eiusmodi esset, quae certis historiae indiciis refutari magis quam comprobari videretur. Nam historicis temporibus nullam
31 inter Spartanos agrorum aequabilitatem fuisse, id non nuper demum Grotii sagacitas indagavit, sed illi quoque veteres haud sane potuerunt ignorare. Et tamen agros olim aequabiliter divisos fuisse non modo Plutarchum credere videmus, de cuius iudicio ne ego quidem nimis magnifice sentio, sed etiam Polybium, haud spernendum, ut Livius ait[59]), auctorem. Nam et peritissimus fuit rerum graecarum[60]), et in exquirenda rerum memoria corrigendisque scriptorum erroribus diligentissimus, denique Cleomenis et Sphaeri aetati proximus, quo minus credibile fit fabulam nuper demum inventam et a nullo vetere auctore confirmatam eum fallere potuisse. Accedit quod adversarius est Cleomenis, eumque non uno loco vehementer vituperat, tyrannumque et patriarum legum eversorem dicit[61]); cuius si hanc quoque legem agrariam, qua sane nihil magis tyrannicum videri potuit, a priscis et genuinis rei publicae institutis abhorrere credidisset, id pro-

59) Lib. XXX c. 45.

60) Cic. de re publ. I, 21, 34.

61) Vid. prolegg. nostra ad Plutarchi Ag. et Cleom. p. XX. XXI.

fecto non fuisset taciturus. Sed quamvis saepe Cleomenem reprehendat, agros tamen possessoribus praeter ius fasque ademptos et divitum damno egenos locupletatos nusquam illi obiicit, propterea videlicet, quia hac in re nihil aliud eum fecisse intellexit, nisi pristinum patriae institutum, temporibus mutatum, restituisse. Et quantopere ei persuasum fuerit aequabiles agrorum possessiones veteri et genuinae Spartanorum rei publicae proprias fuisse, ex lib. VI cap. 45 apparet, ubi reprehendit veteres quosdam scriptores, qui similem et geminam Spartanorum et Cretensium formam rei publicae dixerint, licet apud Cretenses nullus agrorum possidendi modus legibus finitus, apud Spartanos contra nemini plus quam alteri possidere licitum sit: *τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας*, inquit, *ἴδιον εἶναί φασι τὸ περὶ τὰς ἐγγείους κτήσεις, ὧν οὐδενὶ μέτεστι πλεῖον, ἀλλὰ πάντας τοὺς πολίτας ἴσον ἔχειν δεῖ τῆς πολιτικῆς χώρας.* Hoc *φασί* potest quidem infinite dictum accipi, ut quivis rerum Spartanarum scriptores intelligantur, potest autem etiam ad eos pertinere videri, quos antea nominavit, Ephorum, Xenophontem, Callisthenem, Platonem, quod si verum est, hoc dicet Polybius, illos ipsos, quamvis legitimam apud Spartanos agrorum aequabilitatem commemoraverint, cui contrarium esset Cretensium institutum, nihilo minus tamen utrorumque res publicas inter se simillimas esse dixisse. Neque obstat huic interpretationi, quod in Xenophontis libello nihil huiusmodi legitur; nam ne dicam fieri posse, ut alium quempiam eius librum Polybius legerit hodie deperditum [62]), potuit sic loqui etiamsi non omnes sed nonnulli tantum eorum, quos nominavit, rem tradiderunt. Et Platonem quidem aequabilitatem certe agrorum testari supra vidimus, neque ad rem facit, quod eius non Lycurgum sed iam priores Doriensium duces auctores fuisse ait. Ephori et Callisthenis libri perierunt; sed nulla profecto causa est, cur ab his id ipsum, quod Polybius refert, scriptum fuisse negetur. Quod porro is praesenti tempore utitur, *μέτεστι, ἔχειν δεῖ*, neminem tam stultum fore confido, qui eum illam aequabilitatem sua adhuc aetate observatam dicere 32
credat, restitutam scilicet a Cleomene, cuius lex quin mox abolita fuerit,

62) Noto equidem huic quem habemus libello, qui rectius de **disciplina** quam de **re publica** Lacedaemoniorum inscriberetur, controversiam movero; sed monebo tamen non paucis eum, nec recentioribus solum, spurium visum esse, suppositum fortasse Xenophonti pro genuino deperdito.

dubitari non potest; sed utitur praesenti, ut significet, quid vera ac genuina Spartanorum forma rei publicae poscat. Id prorsus manifestum faciunt quae proxime adduntur de nummis ferreis et de regum imperio: nam Polybii aetate nec ferreos nummos nec reges amplius Spartani habuerunt.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. XIV. Cal. Febr. ann. MDCCCLV.

ANIMADVERSIONES DE IONIBUS.

Gloriabantur Athenienses se solos omnium Graecorum praeter 3
Arcades eo ipso quod habitarent solo natos terraeque suae matris germanam esse progeniem, quum ceteri terrarum, quas incolerent, possessionem post multas demum variasque huc illuc migrationes occupassent. Hos igitur omnes advenas et quasi inquilinos, sese autem indigenas verosque αὐτόχθονας esse dictitabant [1]): neque inter ipsos Graecos fuisse videntur, qui hac de re controversiam iis moverent. Quamvis enim constaret, in Atticam quoque olim advenas non paucos ex aliis Graeciae partibus immigrasse, non tamen tantam horum multitudinem fuisse putabant, ut expulsis aut oppressis veteribus incolis occupare terram ipsi potuissent; receptos potius et admixtos mox ita cum iis coaluisse, ut prorsus in eorum nationem transirent, neque vero alium et ab eo, qui antea fuerat, diversum populum Atticum efficerent. Nostra demum aetate extiterunt, qui illam suam gloriam Atheniensibus ereptum irent, et in Attica non secus quam in aliis plerisque Graeciae partibus priscos incolas, qui Pelasgicae stirpis essent, ab Ionibus, Hellenicae gentis populo ex Thessalia profecto subactos, atque sic populum Atticum e Pelasgico Hellenicum factum esse contenderent. Nam non regnum modo veteri indigenarum principum familiae ereptum et ad Ionum ducem translatum, sed libertatem etiam priscorum incolarum aut oppressam aut imminutam esse, quum ab advenis illis si minus omnes, at certe plerique, in conditionem haud multum diversam a Thessalorum Penestis detrusi agros a

1) In re omnium notissima testes citare supervacaneum est; quos si quis tamen requirat, sat multos citatos inveniet apud Clinton. Fast. Hell. I p. 57.

victoribus occupatos colere partemque fructuum pro pensione iis solvere cogerentur: quam conditionem ϑητῶν s. ἑκτημορίων nomine significari volunt[2]). Huic opinioni, quae quantopere cum veterum persuasione pugnet, neminem fugit, et nos dudum, h. e. ante XXXVIII annos, obloquuti sumus[3]), nec probarunt eam qui postea hanc quaestionem tetigerunt viri doctissimi, velut C. F. Hermannus, cuius morte
4 inopinata et immatura gravissimum animis nostris vulnus, litteris damnum inflictum est, G. Droysenius, H. F. Clinton, G. Grotius aliique[4]), ut sperare liceat perpaucos in posterum eius sectatores fore. Repudiabit eam fortasse etiam is, qui nuper de antiquissima Ionum historia ingeniose et subtiliter disseruit, Ernestus Curtius[5]): quamquam quid is de hac quaestione statuat, ex eius dissertatione nondum satis certo cognosci potest, et sunt quaedam ab eo proposita, de quibus mihi dubitari adhuc magnopere posse videatur. Nam quum hoc quidem rectissime neget, Iones ex Thessalia in Atticam immigrasse ceterisque Hellenicae gentis nationibus, quarum priscae illic sedes fuerint, accensendas esse, advenas tamen Atticae eos fuisse et ipse statuit, et ante eos hanc terram ab aliis diversi generis hominibus habitatam esse credit. Mihi contra Iones ipsi Atticam a principio habitasse videntur, neque ullam rationem, stabilem quidem firmamque, afferri posse censeo, cur alii his vetustiores incolae eius terrae fuisse dicantur: quae profecto non levis est dissensio. Nam si Curtius verum dicit, poterunt etiam sic veteres Attici ab his advenis Ionibus subacti et oppressi videri; quod si sumatur, de illa quam supra significavi recentiorum quorundam opinione nihil aliud mutabitur, nisi ut hi Iones non ex Thessalia sed aliunde in Atticam venisse dicantur. Operae pretium igitur erit videre, utrius nostrum sententia firmioribus argumentis probari possit.

2) Fuit haec Boeckhii, viri summi, sententia ann. 1812 in ind. schol. aest. p. 6 proposita. Cf. Oecon. r. p. Ath. tom. I p. 643 ed. 2. Eandem Muellerus amplexus est, Orchom. p. 302. Dor. I p. 11 sq. ed. 2., neque Niebuhrius priscos Atticos ab Ionibus advenis subactos esse dubitavit. Vid. eius Histor. Rom. tom. I p. 452 ed 3, et Lectt. histor. antiq. I p. 265. Zinkeisenius, Hist. Graec. p. 123 immigrasse saltem ex Thessalia Iones in Atticam credit.

3) De comitiis Ath. p. 352.

4) Vid Hermann. Antiquitt. r. p. Graec. § 91 no. 12. 13 et §. 96. Droysen. in Schmidtii sylloge, Zeitschr. f. Geschichtswissensch. tom. VIII p. 303. Clinton. Fast. Hell. I p. 57 sq. De Grotii iudicio ex eius silentio coniecturam facere licet; Thirlwallius fluctuare videtur, Cf. ei. Hist. of Greece vol I p. 131 et 138 ed. 1845.

5) Die Ionier vor der ionischen Wanderung, von Ernst Curtius. Berl. 1855.

Convenit mihi cum Curtio, Ionum nomen antiquis temporibus multo quam postea latius per Graeciam sparsum fuisse. Nam quum, post occupatam a Doriensibus magnam Peloponnesi partem coloniasque et hinc et ex aliis Graeciae partibus trans mare in Asiam Aegaeique maris insulas profectas, in continenti quidem Graecia nusquam Iones praeterquam in Attica memorentur, alia tamen gentis ac nominis vestigia sat multa et in Peloponneso et extra eam deprehendi posse quum ab aliis animadversum est [6]), tum a Buttmanno, qui non immerito et Ἴασον Ἄργος, quo nomine ab Homero Peloponnesum appellari constat, et Iasum, Iasonem aliasque fabularis historiae personas huc pertinere iudicavit [7]). Idem Buttmannus hoc quoque intellexit, falli magnopere qui omnium in Asia et insulis Ionum originem ab his, qui in Graecia olim fuerint, repeterent. Fuit sane haec veterum ipsorum opinio; sed, inquit ille, nostra aetate iamdudum nemini, qui quidem non sine iudicio in historiam inquisiverit, obscurum esse potuit, non post Codrum demum Iones in Asia habitasse: immo inde ab ultimis temporibus gens haec ut cis Aegaeum mare, sic etiam ultra habitavit, idque ipsum in causa fuit, ut coloni illi, qui Nileo duce ex Attica profecti esse dicuntur, in Asiam traiicerent, novas ibi sedes inter cognatos suos capturi [8]). Plane eadem de Asianis Ionibus etiam Curtii 5 sententia est, neque quisquam facile dissentiet; quae autem porro a viro doctissimo proferuntur, perquam nobis incerta et dubitationi obnoxia videntur. Nam quum omnem Graecorum gentem in duas nationes praecipuas divisam fuisse statuat, p. 9, alteram, cui Hellenum nomen proprie conveniat, alteram Ionicam, (id quod nobis quoque videtur), Hellenes illos olim ex Asia, communi totius gentis patria, aut terrestri itinere supra pontum Euxinum aut traiectis Hellesponti angustiis in Thraciam, hinc in Macedoniam atque sic porro in Graeciam profectos esse eamque totam occupasse, Iones contra aliquanto diutius in Asia remansisse, atque postea demum per mare Aegaeum

6) Cf. Clinton. Fast. Hellen. I p. 55 sqq. nostr. Antiquitt. i. p. Graec. p. 46. Curt. p. 46. 47.

7) Vid. eius comment. Ueber die mythischen Verbindungen zwischen Griechenland und Asien, in Mytholog. tom. II p. 180 sqq.

8) L. l. p. 184: Was schon längst dem denkenden Geschichtsforscher sich aufgedrungen hat, nicht seit Kodros erst wohnten die Ionier in Asien, sondern ionische Stämme wohnten von jeher hüben und drüben, durch welche Verwandtschaft denn eben Kolonien, wie die, welche Neileos nach der Sage angeführt hat, erst bestimmt wurden, sich bei jenen niederzulassen.

quum in insulas tum in continentem Graeciam traiicere coepisse, sedesque ibi in littoribus maritimisque locis occupasse. Et sane duabus viis diversis ex Asia in Europam perveniri potuisse certissimum est: sed ut prius illam superiorem, et longo demum post tempore hanc alteram tentatam esse credamus non video quae ratio cogat. Quid obstat enim, quominus aut uno tractu temporum alios hanc, alios illam viam ingressos, aut etiam prius maritimam quam terrestrem viam tentatam esse statuamus? Et si verum est, quod est sane verissimum, Ionum vestigia fere in locis maritimis et navigationi opportunis extare, hinc illud tamen, quod Curtius effici vult, nequaquam certo colligi posse arbitror. Huiusmodi loca, inquit p. 4, non insidentur ab iis, qui primi terram incoluerunt aut qui victores ex mediterraneis regionibus prodierunt; insidentur tantum ab advenis mari advectis reique maritimae unice adsuetis ac deditis. Atqui fieri tamen etiam hoc potuit, ut, qui olim mediterranea quoque loca habitassent, post ab aliis per vim expulsi ad mare concedere cogerentur, et quam terram olim totam possedissent, eius posthac extremas tantum et maritimas partes aliquamdiu adhuc retinerent. Sic fere ipse Curtius p. 10 Ionibus in Asia accidisse statuit, ut propter magnam Semitarum, imprimis Assyriorum potentiam interiore terra prohibiti ad littora compellerentur, itemque in Graecia, p. 42, ut quanto magis Dorienses invaluissent, tanto magis illi reprimerentur, tandemque ea quoque, quae adhuc tenuissent, loca maritima relinquere cogerentur. Neque aliter Achaeis accidisse videmus, qui quum olim Argolidem et Laconiam habuissent, post a Doriensibus hinc eiecti littoralem illum tractum (τὸν αἰγιαλόν) insederunt, qui ab ipsis nomen accepit. Itaque quemadmodum hi ex mediterraneis maris accolae facti sunt, sic nihil impedit, quominus etiam Iones, latius olim per Graeciam fusi, iamdudum ante Doriensium migrationem in ea loca compulsi esse credantur, in quibus vestigia eorum plus minus manifesta perdurarunt [9]). Et commendatur haec sententia etiam eo, quod sic non pugnare cogimur contra veterum scriptorum auctoritatem, quae, quamvis non magna esse possit in rebus tam vetustis et quarum vix

9) Eiusmodi vestigium etiam in Insonis fabula deprehendi posse Buttmanno Mythol. II p. 187 et Curtio p. 22 sqq. haud invitus concedo. Sed si quis sine cupiditate hanc fabulam interpretabitur, pulsos potius ex antiquis circa Iolcum sedibus Iones et amissam possessionem recuperare conantes, quam nunc primum mari advectos agnoscet.

certa memoria superesset, non temere tamen coniecturis, licet acutis, nequaquam certe necessariis posthabenda esse videtur. Nam veterum scriptorum nemo Iones in Graecia advenas fuisse credidit, navibus ex 6
Asia advectos in terras iam ante ab aliis possessas, sed hos non minus quam alios quosvis Graeciae populos inde ab initio in Graecia extitisse perhibent. De Cynuriis certe hanc sententiam Herodotus disertis verbis prodidit, VIII, 73: *οἱ δὲ Κυνούριοι, αὐτόχθονες ὄντες, δοκέουσι μοῦνοι εἶναι Ἴωνες*, neque in Atticam Iones ab ullo vetere scriptore mari advecti esse dicuntur, quemadmodum Curtius p. 4 autumat, adeoque etiam locum, ubi dux eorum, Ion, navibus appulerit, clare indicari affirmat[10]). Auctorem tamen nullum exhibit: scilicet quia nullum invenire potuit. Nam profecto sic se res habet: Ionem omnes, quicumque eius mentionem faciunt, aut natum in ipsa Attica atque educatum, aut si non educatum, tamen ex ipso Graeciae umbilico, Delphis, aut ex Peloponnesi Aegialo, terrestri igitur, non maritimo itinere in Atticam venisse tradunt.

Sed de hac Ionis fabula paullo accuratius dicendum est, quum praesertim nuper eam recentiore demum aetate, aliquanto certe post Doriensium migrationem, confictam videri significaverim, eiusque iudicii argumenta omnemque fabulae rationem suo tempore me explicaturum promiserim[11]). Auctores eius fabulae e superstitibus quidem hodie scriptoribus nulli sunt Herodoto et Euripide antiquiores. Horum alter, lib. VIII c. 44, de populi Attici stirpe nominibusque subinde mutatis haec habet: *Ἀθηναῖοι δὲ ἐπὶ μὲν Πελασγῶν ἐχόντων τὴν νῦν Ἑλλάδα καλεομένην ἔσαν Πελασγοί, οὐνομαζόμενοι Κραναοί· ἐπὶ δὲ Κέκροπος βασιλῆος ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι· ἐκδεξαμένου δὲ Ἐρεχθῆος τὴν ἀρχὴν Ἀθηναῖοι μετωνομάσθησαν. Ἴωνος δὲ τοῦ Ξούθου στρατάρχεω γενομένου Ἀθηναίοισι ἐκλήθησαν Ἴωνες.* Nihil amplius ex hoc loco discimus[12]), quam Xuthi filium Ionem, a cuius nomine Iones appellati essent, Herodoto non regem Atheniensium sed tantum exercitus

10) Cf. quae p. 34 leguntur: Von Delos — kam Ion — an die Ostküste von Attika. Et paullo post: Hier war der Sage nach der Ionier ältester Ankerplatz.

11) In libro de antiquitt. gr., Griech. Alterth. I p. 317. — Ceterum idem de hac fabula iudicium iamdudum professus eram in Antiq. i. p. Gr. p. 163 n. 9.

12) Nisi quis forte etiam his nominum mutationibus, ut e Cranais Cecropidae, e Cecropidis Athenienses, ex Atheniensibus Iones facti sint, aliquid verae historiae subesse odoretur: cui nos quidem sagacitatem suam non invidebimus.

ductorum visum esse; sed supplere eius narrationis brevitatem ex iis licebit, quae a Pausania, lib. VII c. 1, referuntur: Xuthum, Hellenis filium, a fratribus [13]) Thessalia excedere coactum in Atticam fugisse regisque Erechthei filiam in matrimonium duxisse. Mortuo autem Erechtheo, quum inter eius filios de successione certaretur, Xuthum arbitrum sumptum Cecropi regnum adiudicasse, quo iudicio quum ceteros Erechthei filios sibi inimicos fecisset horum factione Attica expulsum in Peloponnesi oram maritimam, qui Aegialus dicitur, concessisse ibique mortem obiisse, duobus filiis relictis. Horum alterum, Achaeum, in Thessaliam, antiquam patriam, reversum esse, alterum, Ionem, Selinuntii regis filiam, Helicen, uxorem et post mortem soceri etiam regnum accepisse, populumque Aegialensium a suo nomine Iones appellasse. Mox autem, quum Attici, unde maternum ipsi genus erat, Eleusiniorum bello premerentur, ab illis auxilio vocatum et exercitui praefectum, neque hinc reversum in Aegialum, sed in Attica fato functum et in pago, qui Potamus dicitur, sepultum esse: in Aegialo
7 autem regnum apud posteros eius permansisse, donec post Heraclidarum reditum ab Achaeis expellerentur. — Apparet ex hac narratione, cur *στρατάρχην* Herodotus Ionem, non regem Atheniensium dixerit [14]): nec de Xuthi in Peloponnesum discessu deque regno Aegiali ad Ionem delato illum aliter, quam Pausanias refert, existimasse ex iis colligi potest, quae lib. VII c. 94 legimus: *Ἴωνες δὲ, ὅσον μὲν χρόνον ἐν Πελοποννήσῳ οἴκεον τὴν νῦν καλεομένην Ἀχαιΐην, καὶ πρὶν ἢ Δαναόν τε καὶ Ξοῦθον ἀπικέσθαι ἐς Πελοπόννησον, ὡς Ἕλληνες λέγουσι, ἐκαλέοντο Πελασγοὶ Αἰγιαλέες: ἐπὶ δὲ Ἴωνος τοῦ Ξούθου Ἴωνες.* Tertius de Ione locus apud Herodotum est lib. V c. 66, ubi nomina quattuor antiquarum tribuum, in quas ante Clisthenem Athenienses divisi fuerunt, a quattuor Ionis filiis imposita esse dicuntur; sed id qua ratione institutum sit, non exponitur. Potuit autem vix aliter factum credi, quam Ionis, licet non regnum, sed belli tantum imperium haberet, tantam tamen apud Athenienses auctoritatem fuisse, ut ab eius filiis nomina tribubus imponerent, sive

13) Hos Pausanias non nominat; sed Dorum et Aeolum fuisse aliunde compertum habemus.

14) Regem Atticae Ionem unus, quod sciam, Conon dicit narr. 27, proclivi errore. Euripides quidem rem in medio relinquit: spem facit regni, nihil amplius. Quid postea factum sit, extra fabulam est. Ceteri omnes cum Herodoto et Pausania consentiunt.

hoc ipsi primi fecerent, sive iam ante ab Aegialensium populo, ubi regnum ille obtinuerit, imposita tribubus nomina adoptarent. Nam non proprias Atheniensibus, sed communes cum ceteris Ionibus has tribuum appellationes fuisse constat. — Iam Euripides audiendus est, qui de tribuum quidem nominibus ab Herodoto non dissentit, — nam ea ab Ionis filiis et ipse repetit, — in aliis autem non omnino cum illo aut cum Pausania, ex quo illius narrationem supplevimus, conspirat. Primum enim Xuthum non Hellenis sed Aeoli filium facit: quamquam hoc leve est nulliusque ad hanc, quam nunc tractamus, quaestionem momenti. Deinde uxorem quidem Xutho Creusam, Erechthei regis filiam, datam esse ait, et quidem propter operam in bello contra Euboicos Chalcodontidas Atheniensibus navatam, filium tamen Ionem ex Creusa non ab hoc sed ab Apolline generatum esse, licet eum Xuthus suum esse crediderit. Porro Xuthum non expulsum ab Erechthei filiis facit, sed huius in regno successorem, quum mascula eius proles nulla esset[15]. Mitto alia minus ad nostram causam pertinentia, velut quod expositum a Creusa Ionem recens natum ait, a Mercurio autem Apollinis rogatu sublatum et Delphos translatum, ibique in templo educatum, donec tandem a matre, quae cum marito oraculi consulendi causa Delphos profecta esset, agnitus, a Xutho autem pro suo habitus Athenasque deductus sit. Haec enim Euripides finxisse ipse videri potest, quo argumentum tragoediae suae aptum faceret. Illud tamen, quod patrem Ionis non eum, qui creditus sit, Xuthum, sed Apollinem fecit, ex communi Atheniensium persuasione sumptum esse apparet[16]. siquidem hi Apollinem propter hanc ipsam

15) Id haud dubie Euripides finxit tragoediae suae consilio serviens. Pausaniae narrationem supra posuimus. Ceterum haec quoque diversa est ab ea, quam ex Philochoro Harpocration retulit, Ionem Atheniensibus auxilio adversus Eleusinios venisse Erechtheo etiamtum regnante. Sed neminem hodie tam stultum fore credo, ut huiusmodi discrepantias in fabulari historia miretur. Ne illud quidem mirabimur, quod alii in illo bello non Ionem sed patrem eius Xuthum opem Atheniensibus tulisse aiunt, quos Meursius, Lectt. Attic. VI c. 21, erroris convincere conatus est.

16) Monstrabant Athenienses etiam ipsum locum, ubi Creusam Apollo compressisset, speluncam ad arcem, ἔνθα προσβόρρους πέτρας Μακρὰς καλοῦσι γῆς ἄνακτες Ἀτθίδος, ut est ap. Euripidem Ion. v. 11. Cf. 296. 505. 952. 1415. Pausan. I, 28, 4 et accuratam Goettlingii disputationem in eius libro: Gesammelte Abhandl. a. d. class. Alterth. p. 100. Hinc tamen haudquaquam consequitur, eos etiam expositum ibi a matre infantem credidisse, id quod propter Euripidem Goettlingius et Hermannus praef. p. XXXIV statuerunt.

8 causam tanquam *πατρῷον* s. patritum coluisse perhibentur, quod pater esset Ionis, a quo nomen Ionum ortum esset. Hoc qua ratione fecerint, alio tempore quaeremus, nunc illud modo considerandum est, quod Euripides commune habet cum ceteris: Xuthum ex Thessalia advenisse regisque filiam in matrionium accepisse. Sic enim omnes memorant: addunt autem nonnulli, etiam possessionem ei datam esse quattuor oppidorum, Marathonis, Tricorythi, Oenoes, Probalinthi, quae uno *Τετραπόλεως* nomine comprehendi solent[17]. Atque haec ipsa locorum definitio pro argumento habenda esse videtur, reapse aliquando advenas quosdam ex Thessalia oriundos illam regionem insedisse. Quodsi ita est, ne illud quidem iure dubitabitur, quin hi de eorum gente fuerint, qui primi Hellenes vocati sunt, quemadmodum fabulae significant, quum Hellenis Xuthum filium faciunt. Et sunt etiam alia, quae fidem rei adstruere posse videantur. Doriensibus enim, quos omnium maxime germanos Hellenes habendos esse constat, quum Peloponneso potirentur, multos se ex Attica tetrapoli comites adiunxisse audimus[18], unde aliquam inter utrosque cognationem fuisse non immerito coniecceris. Herculem porro, qui, licet in fabulari historia Achaici generis fuisse perhibeatur, cultus tamen praecipue a Doriensibus eorumque quasi proprius factus est, primi omnium Marathonii in tetrapoli consecrasse[19], iidemque etiam Heraclidas, quum Eurystheum fugerent, recepisse dicuntur[20]. — Sed Hellenici illi advenae cur Xuthi nomine ac persona repraesentati sint, non satis constat. Fuerunt, qui reapse populum quendam Xuthorum fuisse crederent[21], idque nomen alii cum Scythis et Tschudis compararunt,

17) Strab. VIII p. 383. *Ξοῦθος δὲ τὴν Ἐρεχθέως θυγατέρα γήμας ᾤκισε τὴν τετράπολιν τῆς Ἀττικῆς, Οἰνόην, Μαραθῶνα, Προβάλινθον καὶ Τρικόρυθον.* Conon. narr. 27. *ὁ δὲ νεώτατος (τῶν Ἕλληνος παίδων) Ἀθήναζε ἀφικόμενος κτίζει τὴν Τετράπολιν καλουμένην τῆς Ἀττικῆς καὶ γαμεῖ Κρέουσαν τὴν Ἐρεχθέως.*

18) Strab. VIII p. 371: *τῶν δ' Ἡρακλειδῶν κατελθόντων Ἴωνας αὐτοῖς συνοικῆσαι τοὺς ἐκ τῆς Ἀττικῆς τετραπόλεως συνεπομένους εἰς Ἄργος.* Iones hos dicit, quoniam cum Ionibus Atticis coluerant nomenque eorum in ipsos quoque translatum erat.

19) Pausan. I, 32, 4. De Heracleis, Marathoniorum festo, cf. Boeckh. ad Pind. explic. p. 193, et de Herculis fano Marathonio Herod. VIII, 108, 116. Add. Mueller. Dor. I p. 441 ed. 2.

20) Pherecyd. ap. Anton. Liber. c. 33. Diodor. IV, 57. Strab. VIII p. 377. Aristid. Panath. p. 176.

21) Buttmann. Mythol. II p. 171.

quorum nominibus pariter atque illo mixtam quandam hominum colluviem significari voluerunt[22]), alii contra Xuthos exules s. expulsos interpretati sunt, ab eo scilicet quod est ἐξωθέω[23]), alii denique a vestium colore appellatos esse statuerunt, ut Pictos, Melanchlaenos et, quemadmodum nonnullis visum est, etiam Aeoles[24]). Et sane adiectivum ξουθός colorem significare flavum aut rufum, etiamsi non plane inter omnes constat, vix tamen dubitari potest[25]). Hoc igitur si tenemus, nihil equidem probabilius excogitari posse puto 9
quam quod primus O. Muellerus proposuit, Xuthum re vera non alium esse quam Apollinem, qui ut ξανθός sic etiam ξουθὸς dictus sit[26]). Neque raro hoc in fabulari historia factum videmus, ut e cognominibus deorum, obliterata vera fabularum significatione, heroum personae confingerentur[27]), ex quo genere, ut alios taceam, in Attica historia Aegeum et Erechtheum esse inter peritos constare arbitror. Ducem autem advenarum Xuthum sive Apollinem propterea dictum esse statuemus, quod eius dei ductu atque auspiciis ex Thessalia profecti essent, sacraque eius secum in Atticam attulissent. Nempe fuit Apollo ille Pythius, cuius apud populos inferioris Thessaliae et circa Parnassum antiquam religionem fuisse vel Amphictyonici concilii historia docere potest, quamvis origines eius fabulis involutae sint. Nam Pythii

22) Hüllmann, Griech. Denkwürdigk. p. 95.

23) Pott. in Ersch. et Grub. Encyclop. II tom. 18 p. 65.

24) J. Grimm, Geschichte der deutschen Sprache I p. 296.

25) Praeter eos, qui in H. Stephani thes. tom. V p. 1672 ed. Paris. citantur, cf. Blomfield. gloss. ad Aesch. Ag. v. 1111 et Meinck. Exercitt. in Athenae. spec. II p. 29, qui agilitatis ac celeritatis notionem vocabulo asserit. Non contemnendo est F. Handii disputatio, in prooem. Ind. schol. Ien. ann. 1849—50 p. 15, qui ξουθόν primitus quidem de rebus dictum ait pernicitate quadam et subtilitate penetrabili praeditis, hinc autem, quum ad sonum argutum, tum ad colorem translatum, qui sensum oculorum maxime percellat, ut sit fere i. q. ξανθόν. Et agnoscitur coloris significatio quum ab aliis plerisque, tum a Lobeckio, ut videtur, in Rhematico p. 342, et a Benfeyo, Griech. Wurzellex. I p. 41. Confundi nonnunquam a librariis ξανθόν et ξουθόν non mirum est (cf. Karsten. Empedocl. p. 270) atque hinc factum, ut in Didymi schol. ad Il. XIII, 685 hunc ipsum Hellenis filium, Erechthei generum, Xanthum pro Xutho dici videamus.

26) Mueller, Dor. I p. 241. Proleg. mythol. p. 274. Huic plerique assentiuntur, velut ego in Antiqu. i. p. Gr. p. 44. Loebell. Weltgesch. I p. 453. Preller. Mythol. II p. 141, Curtius p. 34, qui tamen Delium Apollinem intelligendum esse putat, quod mihi secus videtur.

27) Cf. Buttmann. ad Soph. Philoct. p. 58.

Apollinis sacra Amphictyonibus inde ab ultimis temporibus communia fuisse certum est. Atque Apollineae inter advenas illos religionis documentum etiam hoc est, quod Marathon, quae praecipua fuit ex quattuor tetrapolis urbibus, ab Apollinis filio Maratho nomen habere putabatur [28], quodque Pythii Apollinis ara sanctissima Marathone fuit, itemque Pythium in altero tetrapolis oppido Oenoë, ubi auspicia capi moris erat, quum theoriae Delphos mitterentur [29]. Xutho porro, praeter alios liberos statim producendos, filia Diomede data est, quae Deioni s. Deioneo Phocensium regi nupsisse ex eoque Cephalum peperisse dicitur [30]. Is Attici regis Erechthei filiam Procrin uxorem duxit, posterique eius, Cephalidae, quae gens fuit inter Athenienses non ignobilis, in Thorico, Atticae pago, sedem habebant [31], in quo templum Apollinis fuit religiosissimum, et gentilicia etiam eius dei sacra Cephalidis fuisse videntur [32]: quod si verum est, hoc quoque nonnihil faciet ad comprobandum, quod diximus, Apollinis advenas illos, qui Xuthi nomine significantur, cultores fuisse.

Filios Xutho Euripides non eos solum, quos alii quoque memorant, Ionem et Achaeum, alterum privignum, alterum naturalem, sed etiam Dorum dedit, scilicet poetica licentia ad popularium suorum gloriam abusus, ut Doriensium quoque origines ex Attica esse viderentur. Ionem autem et Achaeum constans fama est una cum patre in Peloponnesum abiisse [33]. Nimirum Xuthi eiusque comitum adventu hominum multitudo populique opes sic accrevisse dicuntur, ut, quum capere omnes Attica non posset, multi partim in Aegialum partim in Argolidem ad cognatos suos abirent. Nam cognatos olim Atticis Argivos fuisse et aliunde colligi potest, et a Pausania significatur, quum lib. II c. 37, 3 eodem utrosque sermone usos esse ait. Alii duo Xuthi filii, Aeclus et Cothus, quum in finitima Boeotia tum in Euboea

28) Pausan. I, 32, 4. Suid. s. v. *Μαραθών*. Quamquam ab aliis alium huic parentem datum esse ex ipso Pausania liquet II, 1, 1.

29) Schol. Soph. Oed. Col. v. 1047. Cf. Curtii commentationem praestantissimam, Zur Geschichte des Wegebaues bei den Griechen, in Actis Acad. Berol. ann. 1854, ubi hanc in tetrapoli Oenoen, non alteram, quae prope Eleutheras fuit, intelligendam esse demonstratur p. 236.

30) Apollodor. I, 9, 3.

31) Meier. de gentil. Att. p. 47.

32) Mueller. Dor. I p. 232.

33) Apollodorus quidem I, 7, 3, 2 ita loquitur, ac si in Peloponneso demum nati essent; sed hoc epitomatoris incuriae imputandum videtur.

urbes quasdam aut condidisse aut occupasse dicuntur[34]): videlicet hi quoque propter eandem atque illi alteri causam ex Attica migrasse videbantur, novasque inter cognatos sedes cepisse. Nam Iones antiquitus et in Boeotia et in Euboea fuisse constat.

Permira autem semper et prorsus improbabilis mihi visa est doctissimorum quorundam virorum sententia, qui Ionum nomen Xutho eiusque comitibus assererent, Atticos autem ante horum adventum Iones fuisse negarent[35]), cui sententiae ea certe, quae de Xutho in fabulis traduntur, non modo nihil praesidii praebent, sed manifestissime adversantur. Nam quum Xuthus Ionem, a quo Iones nomen acceperint, in Attica demum ex Creusa, Erechthei, indigenae regis filia, procreasse dicitur, quid aliud dicitur, quam non ipsum Xuthum eiusque comites iam Iones fuisse, sed ortos Iones postea demum ex horum adveuarum cum indigenis Atticis coniunctione? Sic enim huiusmodi fabulas de nuptiis advenarum cum indigenis mulieribus interpretandas esse, ut duorum populorum in unum coniunctionem connubiis effectam significent, dudum alii intellexerunt neque fugere quemquam potest. At, dicat aliquis, haec Ionum origo, quum in Attica demum ex indigenarum advenarumque connubiis prodiisse dicuntur, prorsus incredibilis et contra historiae fidem est. Est profecto, neque nobis aliter esse videtur. Nam professi iamdudum sumus, Ionum gentem nobis inde ab ultimis temporibus ut in Asia, sic in Attica et in aliis Graeciae partibus habitasse videri. Sed nihilo minus tamen illos insigniter a vero aberrare dicimus, qui, quum eam fabulae significationem, quae sola sanae interpretationis legi consentanea est, probari non posse intelligant, aliam ei significationem obtruduut ab ea, quae reapse inest, prorsus diversam eique contrariam. Nempe sic fere argumentum conclusisse videntur: fieri non potuit, ut Xuthi ex Creusa filius Ion diceretur, nisi ipse etiam Xuthus iam Ion fuisset; atqui dicitur Xuthi ex Creusa filius Ion: ergo consequitur Xuthum ipsum Ionem fuisse. Nihil unquam vidi tali argumento vitiosius. Primum enim, cur nihil de Achaeo dicunt, qui non minus quam Ion Xuthi et Creusae filius fuisse perhibetur? Nam eodem argumentaudi genere Xuthum etiam Achaeum

34) Theopomp. ap. Steph. Byz. s. v. *Ἐλευθερίς*. Strab. X p. 447. Plutarch. Qu. graec. c. 22. Scymn. v. 575. Cf. Meinek. ad Scymn. p. 35 et Vindic. Strab. p. 164. — Cothi nomen etiam apud Teios invenimus, in quorum agro *Κόθου πύργον* fuisse docet inscriptio Teia, C. I. I no. 3064.

35) Mueller. Dor. I p. 239.

fuisse evincemus, idque insuper etiam Euripidis testimonio confirmabimus, apud quem v. 64 Mercurius hoc ipsum disertis verbis profitetur. Deinde si quis istam argumentationem ad matrem Ionis Creusam convertat, atque fieri potuisse neget, ut Creusae, indigenae mulieris, filius Ion diceretur, nisi ipsa etiam Creusa Ias fuisset, quid habebunt,
11 cur hoc minus quam illud recte sumptum esse arguant? — Quod autem porro addunt, a Xutho, h. e. ab advenis, quos Iones fuisse volunt, veteres Atticos per vim subactos et maximam partem in servilem quandam conditionem detrusos esse, id quantopere cum iis pugnet, quae et fabulis tradita et a veteribus credita sunt, ne ipsi quidem diffitentur. Sed nimirum fabulas illas veteremque persuasionem Atticorum vanitati imputant, qui veritatem consulto dissimulaverint et difinxerint: sed unum tamen satis manifestum eius vestigium ipsi sibi deprehendisse videntur. Nam quum quattuor Atticorum tribus essent, Geleontes, Hopletes, Argadeis, Aegicoreis, quae nomina ab Ionis quattuor filiis repetuntur, dubitari non posse, quin Hopletes Iones fuerint, Geleontes autem veteres incolae, illorum tributarii, idque altera nominis forma in aliquot codicibus oblata, Teleontes, comprobari volunt, ut quae tributi pensionem significet. Atqui verum tribus illius nomen Geleontes, non Teleontes esse veteribus inscriptionibus, de quarum scriptione dubitari non potest, satis superque testatum est[36]: deinde, si quid ex hac tribuum descriptione effici posse credunt, quo iure Hopletes tantum Iones fuisse statuunt, quum non Hoples solus, sed etiam Geleon, Argadeus, Aegicoreus pariter omnes Ionis filii fuisse dicantur, quod quid est aliud, quam omnes quattuor tribus, non illam unam, Ionicas esse[37])? Ceterum si quis in Hopletum tribu eos maxime eorumque posteros fuisse credat, qui sub Xutho ex Thessalia in Atticam migraverant, hoc non sine ratione sumi concedendum est propterea quod fabulae illos bello strenuos armisque auxilium Atticis ferentes inducunt. — Sed de tribubus, et quam ob causam harum descriptio ab Ione eiusque filiis repetatur, mox dicetur: nunc autem illud maxime adverti velim, quod regnum Atticae non a Xutho aut eius filio occupatum esse, sed apud regiam indigenarum stirpem permansisse

36) Cf. Boeckh. C. I. II p. 933. Ross. d. Demen v. Attica praef. p. VII. Teleontum nomen utrum praepropere spretum, an iusto pertinacius defensum dici debeat, non audeo decernere.

37) Monuit hoc etiam Clinton. F. H. I p. 59 not. d.

dicitur, quod profecto non futurum fuit, si illi advenae sese dominos Atticae fecissent. Quamquam Muellerus quidem etiam in fabulari historia contrariae sententiae argumentum sibi deprehendere visus est[38]). Quippe Pandionis, regis Attici, quattuor filios fuisse audimus, Pallantem, Nisum, Lycum, Aegeum, suam quemque Atticae partem gubernantes, sic tamen ut summam imperii Aegeus haberet, qui quum diu sine liberis esset, sperasse Pallantis filios fore, ut illo mortuo ipsi in eius locum succederent. Eam spem ut frustratam viderunt Thesei adventu, quem ab Aegeo ex Aethra, Pitthei Troezenii filia, generatum et Troezene apud avum maternum educatum adhuc ignoraverant, non ferendum esse fremebant, si Aegei imperium, ab ipso non sine iniuria possessum, ut qui adoptivus, non genuinus Pandionis filius esset, post eius mortem etiam ad filium item aliunde ascitum et peregrinum transferretur: *χαλεπῶς φέροντες*, ait Plutarchus, Thes. c. 13, *εἰ βασιλεύει μὲν Αἰγεύς, θετὸς γενόμενος Πανδίονι καὶ μηδὲν Ἐρεχθείδαις προσήκων, βασιλεύσει δὲ ὁ Θησεὺς πάλιν ἔπηλυς ὢν καὶ ξένος*. Hinc igitur Muellerus non illud modo colligi vult, Aegeum et Theseum non fuisse ex Erechthidarum familia, sed etiam, fuisse eos ex advenarum illorum gente, quos ipsi Iones dicere placuit. Nam eos quidem, quos nos Iones dicimus, atque inde ab ultima antiquitate in 12
Attica habitasse credimus, et quorum ipsi Erechthidae pars erant, Muellerus Iones fuisse non credit, sed hoc nomen iis, quos nos Hellenes fuisse putamus, Xutho eiusque comitibus imponit. Atqui cum Xutho nullam prorsus cognationem Aegeo aut Theseo intercedere in fabulis videmus, neque quisquam est inter illius liberos, unde hi vel longinquissimo gradu descendant, ut, quamvis grave istud Pallantidarum testimonium habeatur, tamen ad illos ficticios Muelleri Iones, qui cum Xutho e Thessalia arcessuntur[39]), Aegeus et Theseus nullo modo pertinere dicendi sint. Ceterum quid illi spectaverint, qui Aegeum Pandionis adoptivum, non naturalem filium esse dixerunt, quum a Plutarcho non edoceamur, divinare tamen possumus Apollodori aliorumque indiciis admoniti. Nam Apollodorus lib. III c. 15 s. 5, 4, *ἔνιοι δέ*, inquit, *Αἰγέα Σκυρίου εἶναι λέγουσιν, ὑποβληθῆναι δὲ ὑπὸ Πανδίονος*. Et Tzetzes ad Lycophr. v. 494 notavit: *Αἰγεὺς ὁ Πανδίονος υἱός, ἢ Σκυρίου κατά τινας, ἢ κατὰ τὸν Λυκόφρονα*

38) Dor. I p. 239 n. 4.
39) Cf. Dor. I p. 11. 12.

Φημίου[40]), *καὶ υἱοποιηθεὶς Πανδίονι.* Fuerunt igitur, qui Aegeum aut Scyrii aut Phemii filium dicerent. Ac de Phemio quidem non habeo nunc quod dicam: Scyrii autem nomen non potest non Scyri insulae nos admonere, quo etiam concessisse Aegei filium Theseum plerique memorant, quum iam senex ab adversariis Pallantidis Atticam relinquere cogeretur, *οὔσης αὐτῷ πρὸς τοὺς ἐκεῖ φιλίας καὶ χωρίων ἐν τῇ νήσῳ πατρῴων*, ut est apud Plutarchum c. 35. Re vera autem Aegeum non alium quam Neptunum esse pro certo affirmare licet: Neptuniarumque religionum sedes praecipua et antiquissima in illa insula fuisse videtur[41]), unde factum, ut ipse deus Scyro oriundus, et postquam ex deo Aegei nomine in hominem transformatus est, Scyrio patre prognatus esse diceretur. Neptuni autem cultum apud Iones, non Muellerianos istos Xuthi comites, sed veteres illos et genuinos, ad quos prisci Attici pariter cum Scyriis, Troezeniis aliisque multis pertinent, maxime viguisse nemo nescit. Erechtheum quoque Neptuni cognomen esse constat[42]). Quod quum et hunc et Aegeum aliquando regnasse Athenis fabulae ferrent, posteriores mythographi, qui quandam regum seriem ex narrationibus variis atque diversis concinnarunt, quum modo Cranaum quendam, modo Cecropem, modo Erechtheum, modo Aegeum regiae stirpis auctores nominari viderent, regnasse quidem hos omnes, sed alium alio tempore statuerunt, eique rationi fabulas accommodarunt, aliis ascitis, aliis reiectis, aliis etiam ex coniectura suppletis, prout res ferebat, ut aliqua, si non vera, non tamen veri dissimilis regum successio et species quaedam historiae evaderet[43]). His igitur fabularum concinnatoribus quum illud debetur, quod nonnullorum personae duplicatae sunt, ut Cranai, Cecropis, Pandionis, tum quod alteri Pandioni Erechtheus, alteri Aegeus filius aut naturalis aut adoptivus est. Sed quamvis futilia haec commenta et ad veram rerum cognitionem inutilia sint, hoc tamen identidem advertendum esse monebimus, quod nemo ex illis mythographis neque regnum a Xutho aut eius filio occupatum, neque Aegeum aut Theseum
13 aliqua cognatione cum his coniunctos esse tradidit. Hinc enim mani-

40) Lycophr. v. 1324.

41) Cf. Preller. Mythol. II p. 191.

42) Erechtheum itidem ut Cecropem et Peteum Ionibus rectissime etiam Curtius attribuit p. 2 et p. 20.

43) Cf. de comitt. Ath. p. 347. Mueller Orchom. p. 117.

festum fieri arbitror, hos duos, si Iones habendi sint, id quod mihi quoque certissimum est, non tamen tales Iones esse, quales Muellerus voluit. Quid? quod is etiam secum ipse pugnat. Nam Dor. tom. I p. 84 Troezenios antiquitus Iones fuisse demonstrat, quod Minervam Apaturiam cum Atheniensibus communem habuerint: hanc autem Apaturiam Minervam alio loco, de Minerv. Pol. sacr. p. 2, priscis Atticis asserit; recte utrumque; sed quum prisci Attici illi sint, qui fuerunt ante Xuthi adventum, quo tandem iure Attici per Xuthum demum ex Pelasgis Iones facti esse dicuntur? — Alii nuper duplex genus Ionum esse maluerunt, alterum eorum, quorum Cecrops et Erechtheus reges fuisse dicerentur, alterum autem eorum, qui post Xuthi adventum extiterint, quos novos Iones appellant [44]). Neque id improbandum est, si quidem Xuthum certe ipsum Ionem fuisse nolunt. Nam sane prisci illi Iones, qui omnium primi Atticam incoluisse videntur, haud dubie admixtis illis sub Xutho ex Thessalia advenis Hellenicis non quidem subacti et oppressi, sed tamen non nihil immutati sunt, extititque sic quodammodo nova Ionum natio ex Hellenibus veteribusque illis, qui Pelasgis accensendi sunt, conflata: et huius novae nationis Ion eponymus factus est, non autem veterum illorum, qui latissime olim et in Graecia et in Asia habitarunt, et iamdudum Iones aut veriore nominis forma Iaones fuerunt.

Iam vero demonstrandum est, quod supra dixi, omnem de hoc Ione fabulam recentiore demum aetate et aliquanto post Doriensium migrationem coloniasque Ionicas in Asiam deductas ortam esse. Primum igitur hoc manifestum est, ortam eam non prius esse, quam omnes Graeciae populi uno communi Hellenum nomine comprehendi coepissent [45]). Neque enim ante hoc tempus fieri potuisse credemus, ut existerent, qui omnes Graecorum nationes, quae ipsis tunc esse viderentur, Dorienses, Aeoles, Iones, ab una communi stirpe Hellenis repeterent. Antiquissimum autem huius studii documentum ex Hesiodeo quodam carmine non certe ante medium VII a. C. saeculum composito servatum habemus [46]), ubi Hellenis filii Dorus, Xuthus, Aeolus

44) Gerhard. Mythol. I p. 40. II p. 105, quamquam hunc in ceteris, quae ibi proferuntur, sequi non possum.

45) Animadverterunt hoc iam alii. Vid. Clinton. l. l. p. 45.

46) Apud Tzetz. ad Lycophr. v. 284. De aetate carminis Hesiodei vid. Marckscheffel. Hesiod. fr. p. 136.

nominantur, neque dubitari potest, quin Xuthi quoque filii Ion et Achaeus nominati fuerint, licet id nullo testimonio probetur. Porro eos, qui primi Ionem in fabularem historiam induxerunt, non alios quam Atticos et Aegialenses eosque qui ex Attica in Asiam et Aegaei maris insulas profecti essent, ab eo denominatos, adeoque ab ipso etiam deductos voluisse, non modo ex Euripide colligi potest, apud quem, v. 74, Mercurius Ionem κτίστορ' Ἀσιάδος χθονὸς fore praedicat, sed confirmatur etiam Velleii et Vitruvii testimoniis, qui quin Graecorum scriptorum auctoritatem sequuti sint nemo facile dubitabit. Alter enim, lib. I c. 4, Iones, inquit, duce Ione profecti Athenis nobilissimam partem regionis maritimae occupaverunt, quae hodieque appellatur Ionia; alter autem lib. VI, 1: Athenienses e responso Apollinis Delphici communi consilio totius Helladis tredecim colonias uno tempore in Asiam
11 deduxerunt, ducesque singulis coloniis constituerunt, et summam imperii partem Ioni, Xuthi et Creusae filio, dederunt, quem etiam Apollo Delphis suum filium est professus: isque eas colonias in Asiam deduxit. Plerique tamen, diligentius subductis temporum rationibus, quum inter Xuthum, qui sub Erechtheo in Atticam venisse dicebatur, coloniasque illas in Asiam deductas aliquot hominum aetates interiectas esse animadverterent, ut non possent eae a Xuthi filio deductae videri, hunc posteaquam Aegiali regnum cepisset atque hinc Atheniensibus auxilium contra Eleusinios tulisset, in Attica fato functum esse maluerunt. Apparet autem in utravis fabulae conformatione, eam tum demum oriri potuisse, quum praeter Atticos eosque qui ab Atticis oriundi credebantur, nulli amplius Iones appellarentur, nominisque olim latius per Graeciam sparsi memoria oblitterata esset [47]). Xuthi autem et Creusae filius Ion propterea

47) Id etiam Achaeis accidit, ut nomen eorum, olim latius sparsum, postea angustis finibus includeretur. Nam ab Homero quidem ceterisque epicis omnes Graecos promiscue Achaeos appellari videmus, scilicet quod ante quam Hellenes praevaluissent, id quod post Doriensium demum migrationem factum est, Achaeorum gens plerasque Graeciae partes habebat. Postea autem nulli amplius Achaei nominabantur praeter Phthiotas eosque, qui Aegialum insederant. Atque illud quoque simile Achaeis cum Ionibus, quod utrisque eponymi dati sunt gentium ipsarum originibus aliquanto recentiores, Ion et Achaeus, Xuthi filii; hoc tantum differt, quod Ionum eponymum nullum antiquiorem demonstrare possumus, Achaeorum autem praeter illum Xuthi filium etiam alter eponymus memoratur longe antiquior

factus est, quod illi, qui olim ex Attica in Aegialum moxque ex hoc rursus in Atticam atque hinc in Asiam migrassent, conflati esse videbantur ex priscis Atticis hisque ex Thessalia advenis, quorum Xuthus dux fuisset. Neque illud iam cuiquam obscurum esse poterit, cur etiam tribus quattuor Ionicae ab Ionis filiis nomina accepisse dicantur. Nam quum communia haec tribuum nomina Atheniensibus et Ionibus Asianis essent, consentaneum erat eas quoque a communi utrorumque eponymo repetere.

Nomen Ionum veteribus quibusdam a verbo *ἰέναι* descendere visum esse Euripides fortasse fidem faciat, apud quem Xuthus adolescentem, gentis eponymum futurum, qui ex templo Apollinis egredienti primus occurrit, sic appellat:

Ἴωνα δ' ὀνομάζω σε τῇ τύχῃ πρέπον,
ὁθούνεκ' ἀδύτων ἐξιόντι μοι θεοῦ
ἴχνος συνῆψας πρῶτος.

itemque alio loco servus Creusae adolescentem appellatum esse ait

Ἴων', ἰόντι δῆθεν ὅτι συνήντετο.

Vix tamen dignam relatu hanc nominis originationem habuissem, nisi eam nuper viris quibusdam doctis, ipsique adeo Curtio, p. 7 et 47, placuisse viderem. Ego quidem iam ante hos undeviginti annos, in censura libelli ab Uebeleno de Ionum historia vetustissima editi [48]), antiquam et genuinam nominis formam non *Ἴων* sed *Ἰάων* esse monui [49]), quam olim etiam cum digamma *ἸάϜων* pronuntiatam esse e Mosaica genesi colligi potest, siquidem qui ibi inter Iapheti posteros memoratur, Iavan, nihil aliud quam Ionum nationem signi-

---

Pelasgi filius (vid. locc. ap. Clinton. p. 16 et 52), scilicet quia Achaei Hellenibus antiquiores et Pelasgicae stirpis esse videbantur.

48) Zur Urgeschichte des Ionischen Stammes, von Dr. G. Uebelen. Stuttgart. 1837. Censura mea extat in diurnis antiquar., Zeitschr. f. d. Alterthumswissensch. ann. 1837 fasc. 8. no. 101.

49) Formam nominis cum *α* vocali apud orientis populos semper servatam fuisse ex Aeschylo colligas, apud quem supplices mulieres ea una utuntur, et Persae in cognominis fabulae locis omnibus praeterquam v. 757, itemque ex Aristophanis Acharnensibus, ubi Athenienses a personato Persa *Ἰαοναῦ* vocantur. Graeci eam in pedestri oratione nunquam usurpant, ne Herodotus quidem, ut apud ipsos Iones in desuetudinem abiisse videatur. Et eponymum quoque gentis omnes, quotquot extant, auctores Ionem, non Iaonem dicunt. Nolui tamen hoc argumento uti ad recentiorem huius fabulae originem probandum: nam intelligo, quid contra dici possit.

ficat. Et Indos quoque, posteaquam Graeci eis innotuerunt, eos Yavanas dixisse constat, quamquam eodem nomine etiam alios populos complures, qui ultra Persas ad occidentem habitarent, adcoque etiam Arabes, ab Indis appellatos esse Schlegelius docet, ad Ramayanam I, 2 p. 169. Iaonum autem aut Iavonum nomen a graeco verbo ἰέναι eiusque participio ἰών derivare neminem facile in animum inducturum esse credidi. Neque hoc Curtius fecit, sed a sanscritica lingua subsidium petiit. In hac enim esse radicem jab, quae eundi significationem habeat, atque hinc javana formatum esse. Nempe hoc, opinor, vult, nomen illud eo tempore natum esse, quum gens ea, unde Graeci aliique complures populi originem habuerunt, sermone uteretur, si minus ipso sanscritico, non multum tamen diverso, id quod fieri potuisse equidem negare non ausim, num autem analogia quadam aut sanscriticae aut cognatarum linguarum comprobari possit, diiudicare ipse non possum, negarunt autem amici, quos consului, et sanscriticae linguae et zendicae ceterarumque eiusdem familiae me peritiores. Sed utut est, valebit tamen etiam sic contra illam nominis interpretationem alterum argumentum item Uebeleno a me oppositum. Namque sic Iones nihil aliud erunt quum Euntes vel Itores: proprium ergo nomen acceperint a re minime omnium ipsis propria, sed communi cum ceteris quotquot vivunt omnibus, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει. Nam eunt profecto omnes non minus quam spirant, edunt, bibunt, vigilant, dormiunt: propria autem populis nomina dari convenit non ab eiusmodi rebus, quas communes habent cum omnibus, sed quibus a ceteris aliquo saltem modo distinguantur. Quodsi quis eo confugiet, ut Iones istos sive Itores propter crebras migrationes et circumvagationes dictos autumet, quasi quosdam Sueuos, — siquidem hi ab eo, quod est swiban (schweben, schweifen) appellati esse creduntur [50]), — demonstrandum ei ante omnia erit, radicem illam jah non illam communem eundi, sed hanc propriam migrandi et circumvagandi notionem habere: quod antequam demonstratum fuerit de veritate istius veriverbii dubitare licebit [51]).

50) Vid. Zeuss, Die Deutschen und ihre Nachbarstämme, p. 55 sq.

51) Aliquid adminiculi sententiae suae Curtius p. 8 et 47 etiam ab Euripide petit, apud quem a choro v. 1104 Ion dicitur ὁ Φοίβειος ἀλάτας: sic enim ab Euripide totius gentis vagae atque erraticae ingenium moresque denotari: „Euripides“ ait „deutet des ganzen Stammes Eigenthümlichkeit an, wenn er den Vertreter desselben einen heerdlos umherschweifenden Apollodiener nennt.“ Nollem

Sed parvi refert, unde nomen ducatur: gravius est, a quibusnam primum usurpatum et cuinam populo inditum sit. Agnoscere autem sibi Ionum nomen viri doctissimi visi sunt in vetustissimis Aegyptio- 16
rum monumentis [52]), idque nunc etiam Curtius confirmat p. 11, Lepsium quoque testem citans p. 48. Et constat sane iam saec. a. C. XIV et XV in monumentis inter eos populos, qui Aegypti regibus pareant, unum esse similibus quibusdam signis hieroglyphicis denotatum, quam quibus in monumento Rosettano Iones s. Graeci in universum significantur*). Suspicatur igitur Curtius p. 12, hos Iones fuisse navibus ad Nili ostia advectos passimque populabundos longius etiam progressos. Eorum alios celeriter ut advenerant reversos, alios autem etiam diutius moratos esse locis quibusdam opportunis in littore occupatis [53]). Hoc idem pro certo etiam p. 20 repetit; quumque multiplicia illis cum Aegyptiis vicinisque populis commercia intercederent, factum esse ait, ut non pauca de horum artibus et cultura per eos ad Graecos cognatos ipsorum transferrentur, ad quos scilicet crebro etiam ex Aegypto navigarent. Atque hinc non illud modo explicandum esse, quod Neptunus, qui deus Ionum fuerit, e Libya h. e. ex Aegypto

---

hoc a praestantissimo viro scriptum: nam qui sic testimoniis abutuntur, causae suae plus officere quam prodesse dicendi sunt. *Φοιβεῖον ἀλάταν* Ionem Euripides a choro cum contempta appellari facit, non quo eum nulla certa sede huc illuc circumvagari putet, — nam sedem suam ac domicilium Delphis habebat neque unquam adhuc mutaverat, — sed quia, ut Mercurius ait v. 53, *νέος μὲν οὖν ὢν ἀμφὶ βωμίους τροφὰς ἠλᾶτ᾽ ἀθύρων*, id quod ipse etiam profitetur v. 336: *βωμοί μ᾽ ἔφερβον οὑπιών τ᾽ ἀεὶ ξένος*. Itaque *ἀλήτης* hactenus erat, quod aras circumibat victumque corrogabat a sacrificantibus et epulantibus, qua in re nunquam tamen templi ambitum excedebat.

52) Vid. Champollion lettr. p. 22. Bunsen. Aegypt. tom. I, p. 60. Ross, Hellenic. tom. I praef. p. IX.

*) Lecta ipsius Lepsii disputatione (vid. Monatsber. d. Berl. Ak. d. W. 1855. Jul. p. 497 sqq.) intellexi omnem hanc de Ionibus coniecturam sic demum stare posse, si hieroglyphica illa signa *nomen* populi exprimere, h. e. si *phonetica* esse statuantur, id quod L. verisimile quidem, haudquaquam tamen certum esse profitetur. Quod si *ideographica* sunt, nihil aliud quam inferioris Aegypti incolas significant, nec mirum videri poterit, etiam Iones, postenquam sub Psammeticho in illa parte Aegypti consederant, similibus signis denotatos esse, quamvis diversae ab illis veteribus nationis essent.

53) Aegyptii tamen exteras nationes non in Aegypto, sed in ipsa Asia minore adeoque in Thracia et Scythia a Sesostri victos esse narrabant, Herod. II, 103 et 106.

Graecis innotuisse dicatur, sed etiam quod Cecrops, Erechtheus, Peteus pro Aegyptiis habiti sint: subesse enim obscuram quandam et confusam memoriam commerciorum inter Iones illos Aegyptiorum accolas et Graecos Europaeos: itemque Aegypti illos quinquaginta filios, qui Danaum patruum in Peloponnesum persequuti esse dicuntur, Iones fuisse ex Aegypto advectos, quumque re vera eorum, ad quos venerunt, cognati essent, postea tamen proclivi et excusabili errore pro barbaris Aegyptiis habitos esse. Neque vero cum Aegyptiis tantum Iones confusos esse, sed etiam cum Phoenicibus, et quae Phoenicum olim coloniae in Graeciam deductae esse narrantur, Ionum colonias fuisse, mixtorum fortasse cum vicini littoris Syriaci populis. Hac ratione igitur et iis satis fieri posse, qui cum O. Muellero civitatum, religionum, institutorum Graecorum origines a barbaris repeti indignentur, et iis, qui tamen plurima ex oriente ad Graecos permanasse non possint non agnoscere. Atque in his quidem ego quoque nomen meum profiteor: quodsi Cecropem, Cadmum aliosque coloniarum ductores plane ad fabulas amandare nefas sit, Iones illos libentius quam Phoenices aut Aegyptios accipiam. Verumtamen horum ipsorum Ionum valde incertam et ambiguam notionem esse video, si quidem omnes, quicumque antiquitus Asiae minoris oram insederant, promiscue illo nomine appellati sunt, quemadmodum hodie, qui ex occidentalibus nostris regionibus in orientem veniunt, uno communi nomine Franci appellantur, nullo nationum discrimine observato. Nam ut aliquid cognationis inter illos Asianos intercesserit, non tamen certe una omnium natio fuit, neque eodem omnes modo cum Graecorum gente cognati. Fuerunt enim in illis Ionibus etiam Leleges, quorum nomen item promiscue omnibus apud Graecos inditum esse legimus, qui huc
17 ex Asia adventasseut [54]), fuerunt Cares, quorum item plurimos olim quum in Aegaei maris insulis tum in continente Graecia consedisse constat, eosque Lydorum et Mysorum cognatos fuisse hinc colligitur, quod Car, Mysus et Lydus fratres fuisse dicuntur [55]): neque sane incredibile est, quod Curtius ait p. 13, hos vel Cares vel Iones passim cum Phoenicibus non modo locorum propinquitate sed etiam sanguine

54) In Laconia tamen Lelex *αὐτόχθων* fuisse dicebatur, Paus. III, 1, 1, Apollod. III, 10, 3, 1; in Locride e lapidibus a Deucalione et Pyrrha coniectis orti credebantur, Hesiod. ap. Strab. VII p. 322, in Boeotia distinguuntur diserte ab advenis cum Cadmo advectis, Strab. IX p. 401.

55) Herod. I, 171.

et cognatione mixtos fuisse. Quamobrem, quidquid Ionibus tribuitur, quaerendum tamen adhuc erit, quinam Iones intelligendi sint. Tribuuntur autem non pauca. Nam non solum Veneris Uraniae, Neptuni, Dionysi maximeque Apollinis religiones inter Graecos propagasse, Sphingem et inferorum portitorem Charontem iis notos fecisse dicuntur, sed etiam vites, palmas, ilices cocciferas aliaque arborum genera serere, campos maritimos et palustres exsiccare, aquarum cursus aggeribus et canalibus regere, vias munire, thunnos denique aliosque pisces capere docuisse: quae omnia si a veteribus Graecis ignorata ac postea demum trans mare advecta esse dicuntur, vereor equidem ne pro argumentis coniecturas accipere iubeamur perquam saltem incertas, et quibus aliae coniecturae non minore iure opponi possint. Neque ego is sum, qui haec, quae Ionibus illis transmarinis tribuuntur, omnia ab iis abiudicare audeam, immo nonnulla satis mihi probabilia esse fateor; certiora tamen quam quae adhuc credidimus haec esse nego, ideoque ad accuratiorem Ionicae gentis cognitionem nihil admodum his coniecturis profici posse arbitror.

Scrib. Gryphiswaldiae non. Febr. ann. MDCCCLVI.

DE PHRATRIIS ATTICIS.

3 In perscrutandis Graecorum Romanorumque scriptorum monumentis indagandisque quae ubique sparsa in iis extant historiae, rerum publicarum, legum et institutorum vestigiis et indiciis quum alias plurimas nobis saepenumero difficultates obiici dolemus, tum unam imprimis molestam, neque eam adeo raram, quod quibus locis, si integri forent, plurimum proficere possemus ad accuratiorem certioremque alicuius rei cognitionem, eos aut lacunis aut aliqua corruptela adeo depravatos videmus, ut omnis illa quam sperabamus utilitas evanescat et quasi de manibus elabatur. Ex hoc genere locus est apud Ciceronem de legibus II, 2, 5, de quo quum nuper in familiari horum librorum interpretatione sententiam nostram breviter tantummodo et summatim protulerimus, nunc hac scribendi opportunitate oblata paullo explicatius disserere libet. Verba Ciceronis, quemadmodum ab Orellio exhibentur, haec sunt: *Ego mehercule et illi* (Catoni) *et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis: ut ille Cato quum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Ita quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris: ut vestri Attici priusquam Theseus eos demigrare ex agris et in astu quod appellatur omnes se conferre iussit, SYMPHRANTIDEM et Attici.*

Manifestum est comparari a Cicerone Atticae incolarum, eorum qui non ἀστικοὶ h. e. ipsius urbis Athenarum essent, conditionem, qualis ante Theseum fuit, aut fuisse Ciceroni videbatur, cum municipibus Romanis, quorum duae quodammodo patriae essent, altera loci altera iuris, vel ut paullo ante dixit, altera naturae altera civitatis. Nam municipibus omnibus et municipium illud, unde quisque oriundus

erat, pro patria fuit, et Roma urbs, in cuius civitatem recepti erant. Itaque apparet in vetustissima Atheniensium re publica Ciceronem sibi visum esse iuvenire aliquid, cuius ad urbem Athenarum similis ratio esset atque municipiorum ad urbem Romam; quidnam vero hoc sit, in tanta librorum depravatione, vix deprehendi posse videtur, plurimique haud dubie Orellio assentiendum iudicabunt, desperatum locum pronuntianti. Attamen si quis monstra illa lectionum, quae e libris enotata sunt, paullo diligentius consideraverit, haud temere, opinor, illos egisse censebit, qui graeci cuiusdam vocabuli vestigia in iis agnoverunt, quod non intellectum a librariis ideoque varie et depravatum 4 et cum latinis quae sequebantur vocabulis coniunctum in varias species pariter omnes monstruosas abierit. Nam quod in plerisque libris extat *symphrantidem* aut *symphratidem* aut *simphrantidem*, *siphratidem*, *sui phrantidem* aliaque non absimilia, in his plerique, ut P. Manutius, I. Camerarius, F. Ursinus, e recentioribus autem Ignarra, Schuetzius, Goerenzius, Handius, Creuzerus, Moserus *phratorum* aut *phratriarum* mentionem oblitteratam esse crediderunt, scriptumque a Cicerone fuisse coniecerunt aut *symphratores erant iidem et Attici* aut *suae φρατρίας erant iidem et Attici,* aut *simul phratores iidem et Attici* aut *Sunii erant phratores iidem et Attici* aut denique *et suae phratriae cives erant iidem et Attici,* ex quibus coniecturis quum aliae manifesto falsae, aliae non quidem improbabiles, nulla tamen eiusmodi sit, ut veram Ciceronis manum restitutam dixeris, nos quidem nunc in his singulatim examinandis immorari nolumus, unum illud accipimus, phratriarum a Cicerone mentionem factam earumque antiquam conditionem qualis ante Theseum fuerit cum municipiis comparatam fuisse. Scripserit igitur Cicero non quidem his ipsis verbis attamen in hanc fere sententiam, quam postrema coniectura expressit: *et suae phratriae cives erant iidem et Attici*, aut quod Schuetzius proposuit: *et suae φρατρίας erant iidem et Attici.* Quod autem Orellius obiicit, non potuisse phratrias commemorari propterea, quod hae etiam post Theseum permanserint, fuerintque Athenienses etiam tum non minus quam ante illud tempus suae quisque φρατρίᾳ adscripti, mirum est non animadvertisse virum doctissimum, idem illud argumentum etiam contra ipsius coniecturam valere *„et Eleusinii et Rhamnusii erant iidem et Attici":* neque enim desierunt etiam post Theseum iidem et Eleusinii et Rhamnusii, sive quem alium δῆμον ponas, et Attici esse. Quodsi phratriarum mentionem ab hoc loco alienam esse voluit, illud

potius demonstrandum erat, non fuisse ante Theseum talem phratriarum conditionem quae cum municipiis comparari posset. Nimirum omnis haec comparatio in eo vertitur, quod quis non unius tantummodo urbis civis esse dicitur eius quam naturalem patriam habet, h. e. in qua natus est et vitam degit, sed etiam alterius, cuius cum patria sua urbe communicata est civitas, quemadmodum Tusculani v. c. et Tusculi cives erant propterea quod ibi orti erant, et Romae urbis propter communicatam cum Tusculanis civitatem Romanam. Atque hoc ipse Orellius recte perspexit, quum *„sensus“* inquit *„hic requiritur: „„ut vestri Attici ante Theseum singulorum Atticae oppidorum vicorumque cives* (*πολῖται*) *erant, v. c. Sunienses, Marathonii, Rhamnusii, Eleusinii, simulque Athenienses s. Atticae universae cives, quum iidem nunc cives* (*πολῖται*) *sint Athenienses duntaxat, δημόται vero sui quisque δήμου.“ “* Videndum igitur nobis hoc unum est, num forte quod Orellius de singulis Atticae oppidis vicisque statuit, de phratriis autem negat, non eodem aut etiam maiore iure de antiquis ante Theseum phratriis statui possit. Goerenzium quidem si audias, res haud dubia esse videatur. Hic enim *„φράτορες“*, inquit, *„ex Cecropis II, ut traditur, instituto ii dicebantur quibus communis in Attica terra habitationis locus, communia sacra et iudicia communesque magistratus essent. Hinc Pollux Onom. III* § 51 *φράτωρ ὁ μετ᾽ ἐμοῦ δημοτευόμενος. cf. omnino Rambachii Archaeologische Untersuchungen p.* 106 *sqq. Habebant igitur ante Theseum φράτορες soli patriam a communi civitatis patria seiunctam, i. e. locum eum, quem in Attica*
5 *seorsim a reliquis Atticis vicatim incolebant. Ex quo vero Theseus Atticos omnes in astu traduxisset, his eadem patria facta est et soli et civitatis ‚Athenae.“* At haec etiamsi ipsa non falsa sunt, argumentis tamen a Goerenzio prolatis magnopere veremur ut quisquam fidem habere velit. Nam quod a Cecrope, sive is primus fuit, sive secundus, phratrias institutas esse narrat, pro certo ponit id ipsum quod demonstrari debebat, non diversas fuisse phratrias a duodecim illis Atticae *πόλεσι*, quarum conditorem Cecropem fabulae ferebant [1]). Pollucis locum nihil ad rem pertinere quilibet intelliget qui totum perlegerit: nihil enim ibi nisi varia coniunctionum et societatum inter homines vocabula enumerantur, *οἰκεῖος, φυλέτης, φράτωρ, μετ᾽ ἐμοῦ φρατριάζων καὶ μετ᾽ ἐμοῦ δημοτευόμενος.* Quid? quod haec

1) Vid. Meurs. regn. Att. II c. 14.

postrema verba ne leguntur quidem in optimo codice. Rambachius denique non magis quidquam affert ad rem probandam idoneum. Melius fortasse ad Ignarram provocari poterat, quandoquidem hic illam de phratriis sententiam data opera tueri conatus est[2]): quanquam quibus et qualibus argumentis usus sit, quum librum eius non viderim, dicere non possum. Eandem sententiam etiam Hüllmannus amplexus est[3]), vir sane ingeniosus, sed pro more suo quaedam admiscuit tam mirifica tamque incredibilia, ut etiam eorum, quae recte ac vere dixit, fidem et auctoritatem ipse elevasse videatur. Unus omnium Buttmannus rem ita ut par erat h. e. gravibus et ad persuadendum idoneis argumentis subtiliter et accurate probavit[4]), neque tamen ita ut omnibus persuaderet. Obloquuti certe Buttmanno et alii sunt, et qui unus multorum instar est, C. F. Hermannus in antiquitatum graecarum compendio[5]). Quamobrem operae pretium fortasse fuerit, si Buttmanni argumentis vim suam et pondus denuo asserere, et quae contra eum dicta sunt, refutare conemur. Proficiscendum autem hac in re ab eo est, quod omnes pro certo et confesso habent, fuisse quoddam tempus quo qui Atticam incolebant nondum plane in unius civitatis corpus coniuncti iisdem omnes magistratibus, eodem publico consilio, iisdem iudiciis uterentur, sed alios alii regulos ac principes haberent et suam quique rem publicam a ceteris discretam, eo tamen inter se vinculo continerentur, ut unum e regulis, eum qui Athenis regnabat, tanquam communem omnium Atticorum principem colerent, eoque praeside de maioribus quibusdam rebus et quae ad omnes pertinerent in commune consulerent[6]). Nec dubitare licet, quin omnes etiam connubium inter se et commercium (*ἐπιγαμίαν καὶ ἔγκτησιν*)[7])

---

2) Nic. Ignarra comm. de phratriis primis Graecorum politicis societatibus. Neap. 1797. 4.

3) Urgeschichte des Staates p. 82 sqq.

4) Ueber den Begriff des Wortes *φρατρία*. In Comm. Acad. Berol. ann. 1818. 19. p. 12 sq.

5) Lehrbuch der griech. Staatsalterth. §. 98, 11. 12. [§. 97, 11 ed. 4.]

6) Quamquam testes in re notissima citare vix opus est, adscribam tamen Thucyd. II, 15: *ἐπὶ γὰρ Κέκροπος καὶ τῶν πρώτων βασιλέων ἡ Ἀττικὴ ἐς Θησέα ἀεὶ κατὰ πόλεις ᾠκεῖτο πρυτανεῖά τε ἔχουσα καὶ ἄρχοντας, καὶ ὁπότε μή τι δείσειαν οὐ ξυνῄεσαν βουλευσόμενοι ὡς τὸν βασιλέα.* Isocrat. Encom. Helen. c. 17: *Θησεὺς τὴν πόλιν σποράδην καὶ κατὰ κώμας οἰκοῦσαν εἰς ταὐτὸν συνήγαγεν.*

7) Tanquam singulare commemoratur exemplum Pallenensium et Hagnusio-

6 omniaque ea iura habuerint, quae ἰσοπολιτείας nomine a Graecis, municipii, si verum Niebuhrius vidit[8]), a Romanis veteribus significabantur. Itaque et unus erat populus, una res publica, unus omnium Atticorum rex, et rursus plures populi, pluresque res publicae et plures reguli, v. c. Cecropiorum, Eleusiniorum, Phalereorum, Epacriorum, Aphidnaeorum etc. Partes autem hoc modo et coniunctae inter se et discretae duodecim fuisse perhibentur, Cecropia, Phalerus, Eleusis, Aphidna, Decelia, Cephisia, Cytherus, Tetrapolis, Epacria, Brauron, Thoricus, Sphettus[9]), quae Thesei demum aetate, sublatis singulorum regulis ac prytaniis, magistratibus, iudiciis, plane in unius eiusdemque civitatis corpus coaluisse dicuntur. Iam vero quum etiam post Theseum populum Atticum in duodecim phratrias, totidem quot olim urbes fuerant, divisum inveniamus, neque ullam praeterea populi in duodecim partes divisionem, casune phratrias cum urbibus numero congruere, reapse autem diversas fuisse credemus? quum praesertim phratrias constet certis quibusdam gentibus compositas fuisse, gentes autem suam quamque regionem incoluisse et res ipsa vincat et tam multa locorum nomina demonstrent a gentibus ducta, ex quo consequitur phratrias quoque suam quamque agri Attici regionem habuisse. Quod quum phratrias regionatim divisas fuisse appareat, illud prorsus incredibile videri debet, agrum Atticum dupliciter in duodenas regiones divisum fuisse, ita ut altera divisio ad urbes, altera ad phratrias pertineret, essentque phratriarum regiones ab urbium regionibus diversae, ut unius phratriae pars v. c. ad Eleusinem, alia ad Athenas, alia ad Phalerum pertineret, rursusque in Eleusiniorum aut Phalereorum agro diversarum phratriarum partes inessent. — Ita quum easdem et phratriarum et urbium regiones fuisse his rationibus propemodum cogi videatur, tum quod Hermannus tanquam contrarium huic sententiae argumentum opposuit, meo quidem iudicio nequaquam eiusmodi est, ut eam convellere possit. Nam quum in inscriptione quadam phratriae nomen extet Ἀχνιαδῶν[10]), neque tamen in duodecim illis

rum, quibus non erat inter se connubium. Plutarch. Thes. c. 13. De fundorum in alieno pago ἐγκτήσει et vectigali ἐγκτητικῷ conf. Boeckh. oecon. rei p. Ath. tom. I p. 319 (408 edit. secund.)

8) Histor. Roman. tom. II p. 64 sqq. edit. secund.

9) Strab. IX, c. 1, p. 242 Tauchn.

10) Boeckh. Corp. Inscr. I p. 465 no. 463: Ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἑβδομείου φρατρίας Ἀχνιαδῶν.

urbibus ulla sit huius nominis, ex hoc Hermannus manifestum fieri putat diversas ab urbibus phratrias fuisse. Esset autem hoc tum demum manifestum, si probatum foret, non potuisse phratrias aliis nominibus appellari, quam urbium et regionum in quibus incolebant. Nunc autem quid impedivisse dicamus, quominus etiam a gentibus quibusdam appellarentur, iis videlicet, quae in quaque phratria maxime illustres essent? quemadmodum tribus Romanorum plurimas non a locis, ut Pomptinam, Ufentinam, Velinam, sed a gentibus, ut Fabiam, Claudiam, Papiriam, appellatas esse constat. Itaque neque Achniadarum nomen illi, quae nobis probatur, sententiae obstat, neque Titacidarum et Thyrgonidarum, si recte Grammatici haec non gentium modo, sed etiam phratriarum nomina fuisse tradunt[11]).

Tenendum igitur hoc erit, easdem terrae populique Attici partes 7
et *πόλεις* illas veteres fuisse, quas Theseus demum in unam civitatem contraxit, et phratrias: in quo illud unum fortasse ambigi potest, phratriarum nomen utrum iam ante coniunctionem harum partium fuerit, an postea demum inditum, ubi *πόλεις* esse desierant. Haec fortasse eorum fuit sententia, qui in Ciceronis loco supra posito pro *priusquam Theseus eos demigrare ex agris — iussit*, quae omnium librorum lectio est, *postquam* scribendum esse censuerunt, in quibus fuerunt P. Manutius et Schuetzius. At hac mutatione admissa loci sententiam perverti omnemque illam phratriarum cum municipiis comparationem corrumpi apparet. Coniunctis enim in unam ac solam omnibus civitatem non iam suae quisque phratriae, sed universae tantummodo Atticae civis erat et habebatur: quum praesertim Theseus, ut Ciceroni quidem visum esse ipsius verba ostendunt, non solum res publicas singularum phratriarum sustulerit civitatesque in unam omnes conflaverit, sed etiam incolas earum, si minus omnes, at certe plerosque relictis pristinis sedibus in astu migrare iusserit: ut iam nullo plane modo cum Romanorum municipibus comparari potuerint. Neque vero intelligo quid obstet, quominus phratrias illas civitates etiam ante coniunctionem appellari potuisse concedamus, aut, si quis hoc neget, quoniam demonstrari sane non potest, cur non licuerit tamen Ciceroni nomen illud ita usurpare.

De Ciceronis loco satis dictum est; sed quoniam de phratriis disserere et Buttmanni sententiam tueri coepimus, libet nunc etiam

---

11) Vid. quae a Meiero citantur de gentil. Att. p. 10, not. 83.

illam eius partem defendere, quae est de phratiarum cum tribubus quattuor veteribus coniunctione, quam quidem Buttmannus quum initio in dubium vocari posse iudicasset, ut quae nullis nisi grammaticorum haud sane gravibus testimoniis niteretur, postea tamen mutato iudicio nullam causam esse intellexit, cur grammaticos errasse credamus. Nimirum tribus quoque illae dubitari non potest, quin non stirpe magis et vitae genere quam locis discretae fuerint. Et erat sane terra Attica ipso situ ac soli natura in quattuor partes divisa, quarum una, quae Acte appellari solet, a Megaridis finibus ad Hymettum montem et promontorium Zosterem porrigitur, altera, cui Paraliae nomen, a Zostere et in adverso littore a Cynosura promontorio ad Sunium usque procurrit, tertia, quae Diacria dicitur, supra Cynosuram a montibus Pentelico et Parnethe ad mare Euboicum descendit et Oropiae finibus terminatur, quarta denique ab iisdem montibus versus Acten ad Brilessum fere pertinet[12]). Harum autem partium una quaeque tres habet ex duodecim illis urbibus, quarum paullo ante nomina posuimus. Et in Acte quidem sunt Cecropia, Phalerus, Eleusis. De Cecropia, quae post Athenae facta sunt, non opus est nunc plura dicere. Phaleri nomen a Phalero ducitur, Alconis filio, Erechthei nepote[13]): coniuncti autem in unam cum Phalereis civitatem Thymaetadae, Xypeteones et Piraeenses fuisse videntur, quandoquidem hi quattuor etiam postea *τετραχώμων* nomine comprehendebantur[14]).
8 Regulorum in hac parte imperantium memoriam aliquam servarunt fabulae de Munycho rege, a quo Munychiam dictam perhibent[15]). Eleusinis plures regulos simul imperantes hymnus Homericus commemorat, Celeum, Triptolemum, Dioclem, Polyxenum, Eumolpum, Dolichum: addi potest Crocon, a quo etiam Pausaniae tempore *Κρόκωνος βασίλεια* appellata fuit, in confinio Eleusinii et Attici agri prope *ῥειτούς*[16]). — Quae ab Actae finibus ad Parnethis et Pentelici radices porrigitur regio urbes habet Aphidnam, Deceliam, Cephisiam. Aphidnae Titacum, Deceliae Decelum regulos agnoscimus apud Herodotum in iis quae de indicata ab altero Dioscuris Helena, prodita ab

12) Conf. O. Mueller in Ersch. et Gruberi Encyclopaed. tom. VI, p. 216 sq. Krosii Hellas. II, 1, p. 67.

13) Schol. ad Apollon. Rhod. I, 96.

14) Pollux IV, 105. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 123.

15) Harpocrat. s. v. Diodor. tom. IV, p. 15 Bip. cf. Mueller. Orchom. p. 392.

16) Pausan. I, 38, 2.

altero Aphidna tradit [17]). Et Titacidarum gens etiam postea permansit, neque pago solum nomen dedit [18]), sed, ut videtur, etiam phratriae illi, quae circum Aphidnam incolebat [19]). De Cephisiae veteribus regibus nihil quod sciam in fabulis traditum est: nomen urbi a flumine inditum apparet, cuius in propinquo fontes erant, et cuius aut filia aut neptis Praxithea Erechtheo nupsisse dicitur [20]). — Sequitur tertia pars, Diacria, in qua sunt Cytherus, Tetrapolis, Epacria. Ex his Cytheri obscurior est memoria, ut ne situs quidem oppidi satis certo definiri possit. Tetrapolis quattuor constabat oppidis in unam civitatem coniunctis, Marathone, Oenoe, Probalintho, Tricorytho, quorum conditores fama satis constans advenas fuisse tradit illos, qui Xutho duce e priscis Hellenicae gentis sedibus circa Oetam et Parnasum in Atticam immigrarint, regionemque, quae olim Hyttenia dicta sit, ab Erechtheo rege habitandam acceperint [21]). Xuthum vero, quem Hellenis filium perhibent, reapse non alium intelligi debere, quam Apollinem, gentilicium illorum advenarum deum, facile Muellero credimus [22]): atque hinc etiam illud explicandum est, quod Marathonem, caput tetrapolis, ab Apollinis filio, Maratho, conditam dicebant [23]). Tetrapoli contermina fuit Epacria [24]) cum tribus oppidis s. pagis, Plothea, Semacbidis alioque cuius nomen ignoramus [25]): neque dubitari posse videtur quin hanc quoque iidem qui tetrapolin advenae occupaverint. Quid? quod etiam Paraliae aliquam partem ab his possessam esse multis indiciis colligi potest. Namque Ionem Xuthi s. Apollinis filium in Potamo sepultum ferunt [26]), qui pagus fuit in hac Atticae parte inter Thoricum et Prasias [27]). Prope Thoricum etiam Ionidarum gens 9
et pagus fuit [28]), quos ab Ioue genus repetiisse nomen demonstrat.

17) Lib. IX, cap. 73.

18) Harpocrat. et Steph. Byz. s. v.

19) Etym. M. p. 760, 32. Lex. rhet. p. 308, 16.

20) Lycurg. in Leocrat. c. 24, §. 98. Apollodor. III, 15, 2.

21) Strab. VIII, c. 7, p. 218. Tauchn. Conon. narrat. 27. Steph. Byz. s. v. τετράπολις.

22) Dor. I, p. 239. Prolegg. mythol. p. 274.

23) Suid. s. v. Μαραθών.

24) Lex. rhetor. p. 259, 9.

25) Boeckh. Corp. Inscr. I, p. 123.

26) Pausan. I, 31, 2.

27) Strab. l. l., p. 244.

28) Hoc colligi potest e Schol. Plat. Apolog. p. 332: Λύκων μέντοι πατὴρ

Thoricum ipsum Cephalus habuit, Xuthi ex filia nepos[29]), cuius posteri, Cephalidae, gentiliciis sacris Apollinem colebant[30]). Neque vero Dianae, coniuncti cum Apolline numinis, sacra, sollemnia Braurone et a Philaidarum, qui ibi habitabant, gente pagoque celebrata[31]) aliunde quam ab illis Xuthi advenis repetenda esse iudico. Ceterum universae Paraliae itidem ut ceteris Atticae partibus reges ex Erechthidarum stirpe praefuisse fabulae significant, quum in divisione regni inter Pandionis filios facta Paraliam Pallanti contigisse ferant[32]); itaque Pallantidas etiam Thesei aetate Sphetti imperantes videmus[33]). In eadem autem divisione Diacria Lyco, Acte Aegeo, Megaris Niso assignatae dicuntur. Quod quum Nisi portio extra illas quattuor partes sit, de quibus nunc agimus, e reliquis tribus fratribus unum duas partes accepisse apparet. Is autem haud dubie Aegeus fuit, utpote ceterorum princeps, qui et Acten habuit cum urbe Athenis, et mediterraneam regionem inter Acten Diacriamque interiectam. Ita unum habemus Actae et mediterraneae partis regem Athenis habitantem simulque summum totius Atticae imperium tenentem: huic subditos Paraliae et Diacriae reges: praeterea etiam minores singularum urbium regulos, uni ex his tribus subiectos. Sed Diacriae regem, Lycum, brevi post tempore regno spoliatum narrant[34]), ita ut duo relinquerentur, Aegeus et Pallas. Pallantis autem filios Aegei imperium detrectantes Theseus devicisse hosque et quicunque praeterea in singulis oppidis reguli erant regno exuisse dicitur.

Iam quum quattuor terrae Atticae partes videamus in ternas quamque phratrias s. civitates divisam, itemque quattuor fuerint populi Attici tribus, quas et ipsas Grammatici in ternas phratrias descriptas fuisse testantur, necesse est aut coniunctam cum terrae divisione tribuum descriptionem fuisse statuamus, aut, hoc si nolimus, grammaticorum testimonia certis argumentis refellamus. Hoc Meierus nuper facere conatus est, sed frustra, meo quidem iudicio. Quae enim

---

ἢν Αὐτολύκου, Ἴων γένος, δῆμον Θορίκιος, ubi Ἰωνίδης scribendum esse quilibet Meiero assentietur de gentil. Att. p. 47.

29) Apollodor. I, 9, 3. III, 15, 1.

30) Pausan. I, 37, 4.

31) Conf. Mueller. Orchom. p. 309. Dor. I, p. 380.

32) Strab. IX, 1, p. 234, cf. de comit. Athen. p. 344.

33) Plutarch. Thes. c. 13.

34) Herodot. I, 173. Pausan. IV, 2, 4.

obiicit grammaticis pleraque ad eos tantum refutandos pertinent, qui phratrias non modo quattuor veterum tribuum, sed etiam decem illarum, quas Clisthenes instituit, partes fuisse volunt [35]). Hos quidem errasse nemo non concedet: neque causa erroris in obscuro est. Sed qui quattuor veteres tribus in ternas phratrias divisas esse dicunt hi testem habent locupletissimum Aristotelem, citatum a Schol. ad Platon. Axioch. p. 253: *Ἀριστοτέλης φησὶ τοῦ ὅλου πλήθους διῃρημένου Ἀθήνησιν εἴς τε τοὺς γεωργοὺς καὶ τοὺς δημιουργοὺς* [36]) *φυλὰς αὐτῶν εἶναι τέσσαρας, τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστης μοίρας εἶναι τρεῖς, ἃς τριττύας τε καλοῦσι καὶ φρατρίας, ἑκάστης δὲ τούτων τριάκοντα εἶναι γένη, τὸ δὲ γένος ἐκ τριάκοντα ἕκαστον ἀνδρῶν συνεστάναι.* Hanc divisionem fuerunt qui ad similitudinem anni factam dicerent, ut tribuum numerus tempestatibus, phratriarum mensibus, gentium diebus aequaretur; qui ut luserint nugasque egerint, non tamen propterea ipsam illam divisionem temere confinxisse putandi erunt. „At", inquit Meierus, „tribuum Ionicarum ex vitae generibus distinctarum phratriae ne poterant quidem partes esse, si quidem probabile est et phratriarum et antiquorum oppidorum Atticorum

---

35) „Primum", inquit Meierus de gentil. Att. p. 9, „phratriae si tribuum partes fuissent, mirandum esset nunquam ob oratoribus tribules et curiales, raro paganos et curiales, atque ne hos quidem ita coniungi, ut eorum inter se propinquitatem coniici liceat." Nimirum qui tribules erant oratorum tempore, decem erant tribuum Clisthenearum, quarum partes phratriae sane non erant, dudum abolitis quattuor illis veteribus, quarum illae partes fuerant: quemadmodum apud Romanos curiae partes fuerunt tribuum Romulearum, Servianorum autem non fuerunt. — „Neque vero", addit, „credibile est Clisthenem phratriarum si numerum et rationem immutasset, Ionica nomina et instituta relicturum fuisse: Apaturia autem phratriarum sollemnia Ionica omnia prae se ferunt etc." Hoc quoque apparet ad eos tantum pertinere, qui phratrias Clisthenearum etiam, non solum veterum tribuum partes fuisse volunt.

36) Non dubito quin aliquid de Aristotelis verbis exciderit sive librariorum sive ipsius grammatici culpa. Nam sive ordines civium significare Aristoteles voluit, addendi fuerunt eupatridae, quos cur omitteret causa nulla esse potuit; sive, id quod verius arbitror, vitae genera (nam ordinum illa descriptio ad tribus nihil pertinebat) quattuor non duo commemoranda erant, quemadmodum a Strabone VIII, c. 7, p. 219 et a Plutarcho Solon. c. 23 factum videmus. Exciderit igitur fortasse tale quid: *καὶ τοὺς ἱεροποιοὺς καὶ τοὺς φύλακας*, (hos enim Strabo addit *γεωργοῖς* et *δημιουργοῖς*, fortasse Aristotelem secutus,) aut *καὶ τοὺς ὁπλίτας καὶ τοὺς ποιμένας*, quos Plutarchus habet. Sed veterem esse illam lacunam ostendit Moeris s. v. *γεννηταί* p. 99 ed. Koch.

duodenarios numeros ita inter se cohaesisse, ut phratiae singulae singulorum oppidorum essent incolae; nam habitari oppidum non poterat ab hominibus, qui omnes idem vitae genus sequerentur, sed necesse erat omnia comprehenderet. Multa quidem Buttmannus subtiliter, uti solebat, commentus est, quibus eam difficultatem removeret; videri quattuor tribus quattuor diversas coluisse regiones, unam Diacrida sive littus orientem versus spectans inter Cynosuram et Sunium [37]), alteram Cranaida sive montana Atticae loca, tertiam Atthida s. littus australe, quartam Mesogaeam s. mediterranea loca habitasse; regionum diversam naturam etiam incolis diversum vitae genus commendasse; probabile esse qui Mesogaeam habitarent agros coluisse, qui Cranaida pastoriciam rem fecisse, qui Diacrida, opifices, qui Atthida, hoplitas fuisse; ab vitae autem genere, quod maior tribulium pars sequeretur, tribum esse dictam, et quattuor illis regionibus debuisse XII oppida contineri. Haec ille; sed uni rei non advertit animum, qua omnia evertuntur, ante quam haec oppida in unam civitatem coniungerentur, ne
11 potuisse quidem divisionem institui, quae sive Atticae totius sive incolarum omnium esset." Ego vero quam haec obiectio vim habeat et quomodo omnia evertat, plane non intelligo. Etiamsi enim tribus eo quidem sensu, ut partes sint unius civitatis, esse non possunt ante quam civitas ipsa coaluerit, possunt tamen profecto populi etiam ante quam in unam civitatem coniungatur partes quaedam esse ex quibus postmodum tribus existant. Ita igitur fieri haud dubie potuit ut in Attica, quemadmodum terrae, sic etiam incolarum quattuor essent partes diversae, quarum in alia plurimi ὅπλητες, in alia plurimi ἀργαδεῖς, in alia plurimi αἰγικορεῖς, in alia denique plurimi γελέοντες essent, quicunque demum sint qui hoc nomine appellantur. Iam posteaquam in unam omnes civitatem coaluerunt, quum ex discretis antea partibus unius civitatis tribus fierent nominaque sua cuique inderentur, non absonum sane fuit unam quamque tribum eo nomine appellari, quo hominum, qui inessent, plurimorum vitae genus et conditio significaretur. Itaque si statuas γελέοντας nobiles esse veteris Cecropiae gentis, eamque nobilitatem in Acte pleramque sedes habuisse, potuit sane γελεόντων tribus ea vocari, quae Actae incolas complectebatur, licet nequaquam hi omnes nobiles essent, sed multi etiam plebeii opifices et agricolae: porro si Xuthi populi nobilitas bellicosa, quae

37) Haec de Diacridis situ opinio falsa est. Vid. de comit. Athen. p. 343.

ὁπλήτων nomine significari videtur, in una terrae parte v. c. in Diacria, maxime frequens erat, poterant Diacriae incolae omnes, quum in unam tribum coniungerentur, ab iis qui praevalebant ὅπλητες appellari, licet non omnes ὅπλητες veri nominis essent: eodemque modo de aegicorensium et argadensium tribubus statuendum est, in harum utraque non pastores solum et agricolas sed etiam diversi generis homines fuisse, sed praevaluisse illos, a quibus nomina indita sunt. Ceterum veteres, quum huius tribuum descriptionis Ionem auctorem faciunt, more suo certo cuidam homini tribuunt rem sua magis sponte et rerum conditione ita ferente ortam, quam humano consilio institutam: reapse autem fundum illius narrationis hunc esse arbitror, quod divisionis illius initium eo tempore ortum sit, quo occupata ab Ionibus Atticae parte quattuor illa hominum genera exstiterunt, quorum nomina postea tribubus imposita sunt.

Haec si probabiliter disputata sunt, nullam causam esse apparet, cur grammaticorum vel potius Aristotelis de phratriarum cum tribubus coniunctione testimonium respuamus. Simul etiam illud apertum est, non satis recte eos statuere, qui recentiores tribus decem Clistheneas a vetere Ionicarum tribuum descriptione hac potissimum re diversas fuisse autumant, quod alterae γενικαὶ tantum essent h. e. secundum stirpem et originem hominum descriptae, alterae τοπικαὶ e sedibus et domiciliis. Nam illa quoque vetus quattuor tribuum divisio quum γενική haud dubie esset, tamen propter hanc ipsam rem non poterat non etiam τοπική esse, quandoquidem qui eiusdem stirpis erant etiam domicilia habebant coniuncta. Clisthenes autem hoc unum egit, ut veteres hominum coniunctiones dissolveret, quippe illi, quam ipse probabat, formae rei publicae non accommodatas; novam autem tribuum descriptionem ita instituit, ut neque stirpis rationem haberet et locorum quoque situm saepenumero mirum quantum negligeret. Nam et coniunxit in eandem tribum homines nec stirpe nec domiciliis coniunctos et diremit qui maxime inter se et vicini et cognati erant. Id paucis nunc sed certis exemplis demonstrabo. Tetrapolis quattuor oppida dubitari non potest quin et vicina inter se et ab eiusdem stirpis hominibus habitata fuerint: et tamen ex his tria tantum, Maratho- 12
nem, Oenoen, Tricorythum, unius tribus Clisthenes fecit, Aeantidis, quartum autem, Probalinthum, Pandionidis. Item e duobus quos novimus Epacriae pagis unus, Semachidae, Antiochidis, alter, Plothea Aegeidis fuit. Ex tetracomis unus, Phalerus, Aeantidis, duo, Piraeeus

et Thymaetadae, Hippothontidis, quartus, Xypete, Cecropidis fuit. Rursus unius tribus fuerunt Piraeeus et Decelia, oppida centum et sexaginta fere stadiorum intervallo disiuncta, multisque diversarum tribuum pagis interiectis. Item Halimus et Sunium unius tribus fuerunt, Leontidis, quum alter pagus proxime Athenas esset, alter in ultima Paralia, et qui interiecti erant alii ad Cecropidem pertinerent, ut Aexone, alii ad Erechtheidem, ut Anagyrus et Lamptrae, alii ad Antiochidem, ut Thorae, Aegilia, Anaphlystus. Porro Phalerus et Marathon unius tribus fuerunt Aeantidis, centum octoginta fere stadiorum intervallo, in quo Cydathenaeum Pandionidis, Melite Cecropidis, Alopece Antiochidis, Athmonum Cecropidis, Peleces Leontidis, Hephaestiadae Acamantidis, Cephisia Erechtheidis, Triuemenses rursus Cecropidis fuerunt. Plura afferre non opus est. Posui autem ea tantummodo de quibus constare videretur: nam plurimorum pagorum situs incertus est, non satis adhuc omnibus antiquitatis in Attica reliquiis et ruderibus exploratis. Clariorem autem et his rebus et aliis maioribus lucem intra paucos annos affulsuram speramus, postquam depulsa barbarorum dominatione Musae nostrae tanquam ex diuturno exilio in antiquam suam patriam reverti coeperunt.

Scrib. Gryphisvaldiae Id. August. MDCCCXXXV.

DE ORGEONIBUS.

Fuerunt olim Athenis praeter publica sacra, quae vel ab universo 3
populo vel a singulis tribubus, pagis et curiis celebrabantur,[1] etiam privata permulta, partim gentium familiarumque propria et a maioribus ad posteros religiosissime propagata, quae sine summa impietate omitti non possent, partim a sodalitatibus quibusdam, *θιάσοις*, *συνόδοις*, *ἐράνοις*, sua sponte suscepta et in honorem huius vel illius numinis, cuius se tutelae sodales commendassent, statis temporibus peragi solita.[2] In privatis autem sacris fuisse etiam, quae ab orgeonibus orgeonica dicuntur, satis constat; sed hi orgeones quum et rarius apud veteres scriptores commemorentur nomenque eorum significationem habeat satis indefinitam longeque patentem, ut omnes omnino sacrorum sodales designare possit,[3] operae pretium fuerit, de uno quodam orgeonum genere, cuius apud Isaeum oratorem mentio fieri videtur, paullo accuratius disputare. Nam in oratione de Meneclis hereditate is cui scripta est oratio, adoptivus Meneclis filius,

---

1) Universi populi sacra sunt *ἱερὰ δημοτελῆ*, pagorum *δημοτικά*, Lex. rhet. in Bekk. Anecd. I p. 240, 28. Hesych. et Harpocr. in *δημοτελῆ ἱερά*. Ad hanc analogiam tribuum sacra *φυλετικὰ* dicta oportet, sicut *δεῖπνα φυλετικὰ* sunt apud Athenaeum V, 185 C, quamquam illius appellationis exemplum non exstat. Habebant autem singulae tribus Eponymorum suorum sacra, sacerdotes et fana. Vid. Boeckh. Corp. Inscriptt. I p. 175. Osann. Syll. Inscr. p. 98.

2) Cf. Ant. van Dale Diss. antiquitt. et marmm. illustr. p. 728 sqq. Boeckh. Corp. Inscriptt. I p. 160—173.

3) Harpocrat. et Suid. in *ὀργεῶνες* coll. Vales. ad Harpocrat. p. 315 et Ruhnk. ad H. in Cer. v. 496. Add. *Δικῶν ὀνόμ.* in Bekk. Anecd. I p. 191. coll. Ruhnk. hist. crit. O. G. p. XCII. (Reisk. O. G. VIII p. 167.)

4 ubi de adoptione sua exponit, §. 14 Bekk., non curialibus solum et paganis, sed orgeonibus quoque patris adoptivi se adscriptum esse narrat: *ποιησάμενος*, inquit, *εἰσάγει με εἰς τοὺς φράτορας — καὶ εἰς τοὺς δημότας με ἐγγράφει καὶ εἰς τοὺς ὀργεῶνας.* Hos orgeones fuerunt qui non alios esse statuerent quam gentiles, *γεννήτας*,[4]) quandoquidem aliis locis, in quibus item de adoptivorum inscriptione agitur, praeter paganos ac curiales, sicut nostro loco orgeones, ita ibi gentiles commemorantur. Isaeus de Apollod. hered. §. 13: *ὡς δὲ ἐμὲ ἐποιήσατο — — καὶ εἰς τοὺς γεννήτας καὶ εἰς τοὺς φράτορας ἐνέγραψε.* Ibid. §. 15: *καὶ ἐπειδὴ Θαργήλια ἦν, ἤγαγέ με ἐπὶ τοὺς βωμοὺς εἰς τοὺς γεννήτας τε καὶ φράτορας.* §. 27: *ἔλεγε πρὸς τοὺς δημότας Ἀπολλόδωρος ὅτι πεποιημένος εἴη με υἱὸν καὶ ἐγγεγραφὼς εἰς τοὺς συγγενεῖς*[5]) *καὶ φράτορας — καὶ διεκελεύεθ' ὅπως ἐγγράφωσί με εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον.* Praeterea grammaticorum quoque veterum auctoritate utuntur,[6]) ex quibus nonnulli *γεννήτας* etiam *ὀργεῶνας* dictos esse testantur, velut Iulius Pollux III, 52: *ἐκαλοῦντο δὲ οὗτοι* (h. e. *οἱ ἐν ἑκάστῳ γένει ἄνδρες*) *καὶ ὁμογάλακτες καὶ ὀργεῶνες.* Etymol. M. p. 226, 16 et Lex. rhet. p. 227, 12: *ὥσπερ οἱ δημόται καὶ οἱ φράτορες ἐκαλοῦντο νόμων κοινωνίαν τινὰ ἔχοντες, οὕτω καὶ οἱ γεννῆται συγγενικῶν ὀργίων ἢ θεῶν, ἀφ' ὧν ὀργεῶνες ὠνομάσθησαν.* Iidem p. 629, 23 et p. 286, 11: *ὀργεῶνες σύνταγμά τι ἀνδρῶν ὁσωνδὴ, ὡς*

---

4) Schneiderus Lex. in *γενῆται.* Hac enim ille scriptura per simplex *ν* utitur, quae nobis quidem falsa videtur. Neque enim a *γένος* hoc vocabulum derivatum est, a quo *γενέτης* potius, ut *φυλέτης*, *δημότης*, formatur, sed a *γέννα*, quo nomine non solum poetae et Ionici, sed etiam Attici scriptores usi sunt, inter quos Isaeus orator, teste Polluce III, 6. Magis etiam peccant, qui *γεννηταί* scribunt ὀξυτόνως, id quod Taylorus suadet ad Demosth. or. adv. Eubulid. p. 1305 in App. crit. tom. V. p. 441. Schaef., neque minus qui *γεννηταί*, quandoquidem *γεννητής* a *γεννάω* genitorem designat, velut ap. Platonem Legg. XI, p. 929 D, quamquam ibi in plerisque editt. contrario modo peccatur, quum *γεννήτας* exhibeant. Cf. Poll. III, 9. Quodsi etiam Minerva apud Graecos ut tutelare gentium numen colebatur, hanc non *γεννητιάδα* appellatam esse oportet, ut Creuzerus censet Melett. I, p. 25, sed aut *γεννητιάδα* aut *γενετιάδα.* Atque haec posterior forma extat in Codice Palatino, ex quo nonnulla a Creuzero excerpta proponuntur, eamque intactam relinqui oportuit.

5) *Συγγενεῖς* h. l. et alibi passim in eadem oratione non alii sunt quam *γεννῆται*, id quod iam a veteribus magistris observatum est. Vid. Harpocrat. in *γεννῆται.*

6) Platnerus, Beitr. zur Kenntniss des Attischen Rechts, p. 83.

τὸ τῶν γεννητῶν καὶ τῶν φρατόρων· ὠνομάσθη δὲ οὕτως ἀπὸ τοῦ κοινῇ ὀργιάζειν. Neque nos infitiamur, qui proprie γεννῆται vocantur, potuisse eosdem etiam ὀργεῶνας dici et dictos fortasse nonnunquam ab ipsis veteribus esse, non minus quam φράτορας et θιασώτας,[7]) quandoquidem nomen illud generale est et iu omnes convenit, quicunque sacrorum communione coniuncti sunt, quales fuisse γεννήτας nemo ignorat. Tamen Isaeum nostro loco ὀργεῶνας 5
pro γεννήταις dixisse nobis quidem parum credibile videtur, quum nulla probabilis causa excogitari possit, quamobrem proprio ac legitimo nomine spreto, improprio ac minus diserto uti maluerit. Neque enim obsoletum minusque usitatum illa aetate γεννητῶν nomen fuit, sed omnium usitatissimum et nusquam alias ab oratoribus, quorum quidem reliquiae supersunt, cum illo altero commutatum; et quum omnino in foro et apud iudices legitima ac forensia vocabula requirantur, tum in nostra oratione res agitur eiusmodi, in qua vel maxime videndum erat oratori, ut plane et perspicue loqueretur. Multo igitur verisimilius videri debet, non γεννήτας, sed aliud quoddam sodalitium ab Isaeo significari, cuius aliud proprium nomen non esset, sed quod esset tamen eiusmodi, ut, quamquam generali tantum nomine designatum, nihilo secius statim a iudicibus sine errore agnosceretur. Id autem tum demum fieri necesse erat, si unum aliquod erat sodalitii genus prae ceteris maxime vulgatum ac frequens, cuius aut nemo aut pauci essent expertes, idque si erat cum familiarum ac cognationum nexu coniunctum, ut, ubi de adoptione h. e. de transitu ex alia familia in aliam ageretur, huius quoque sodalitii cogitatio non posset non auditorum animis obversari. Fuisse autem tale sodalitii genus apud Athenienses, ex eorum sacrorum, quae πατρῷα dicebantur, ratione manifestum fiet.

Erant igitur ἱερὰ πατρῷα in eorum numinum honorem instituta, quorum sub tutela gentes ac familiae esse credebantur, qui θεοὶ vocantur πατρῷοι.[8]) Hi vero θεοὶ πατρῷοι partim ab omnibus ci- 6

7) Lex. rhet. p. 264, 23: Θιασώτης. ὁ κοινωνὸς τῶν θυσιῶν. ἐκαλοῦντο δὲ καὶ οὗτοι ὀργεῶνες.

8) Differunt igitur πατρῷοι θεοὶ a πατρίοις. Illi sunt gentium ac familiarum quasi quidam di penates, quibuscum etiam a veteribus saepenumero comparati sunt, hi vero nil nisi antiquitus in civitate recepti, quemadmodum in universum πατρῷος ad gentem et familiam, πάτριος ad vetusta civitatis instituta pertinet. Vid. testimon. ap. Baehr. de Apoll. patr. p. 7. 8. et Neumann ad Aristot.

vibus, sed privatis caerimoniis colebantur, partim sui cuique genti ac familiae proprii erant. Ab omnibus colebantur **Ζεὺς ἑρκεῖος** et **Ἀπόλλων πατρῷος**, et primum quidem a gentilibus, gentiliciis sacris, quae *γενικὰ ἱερὰ* ab Harpocratione dicuntur,[9]) id quod vel ex eo manifestum, quod *Διὸς ἑρκείου καὶ Ἀπόλλωνος πατρῴου γεννῆται* appellantur a Demosthene in orat. adv. Eubulid. p. 1319, 26. Sed iis quoque, qui nulla in gente essent, quales non paucos Athenis fuisse constat, nihilo tamen minus et Iovem suum *ἑρκεῖον* et Apollinem *πατρῷον* fuisse, quos privatis sacris colerent, nobis quidem vix dubitari posse videtur. Nam Iovis *ἑρκείου* religio cum ipsa aedium privatarum possessione coniuncta erat, quas qui proprias haberent, eos necesse erat etiam Iovis aram in impluvio collocatam habere,[10]) ad quam suo familiaeque suae nomine sacra facerent. Apollinem autem *πατρῷον* si a gentilibus solis cultum existimemus, necesse erit etiam ad archontum dignitatem et ad heliastarum munus solis gentilibus aditum patuisse. Nam et illi, quum probationem (*δοκιμασίαν*) subirent, interrogari in *ἀνακρίσει* solebant, haberentne Iovem *ἑρκεῖον* et Apollinem *πατρῷον*,[11]) et heliastas quoque, postquam sorte capti erant, per Apollinem *πατρῷον* iurare oportebat.[12]) Quodsi neque ar-

rerumpubl. fragmm. p. 65. Ita apud Herodotum I, 172: *θεῶν πατρίων* caerimoniae opponuntur *ἱροῖς ξενικοῖς*, et apud Thucyd. II, 16 sunt *ἱερὰ πάτρια, ἃ ἦν αὐτοῖς ἐκ τῆς κατὰ τὸ ἀρχαῖον πολιτείας*. Apparet autem, quae sunt *πατρῷα*, eadem nonnunquam recte etiam *πάτρια* dici posse, si solam antiquitatem spectemus, quandoquidem sunt etiam e *πατρῴοις* nonnulla, quae ab omni civitate celebrentur; atque ex hac ratione iudicandum erit de iis locis, ubi confusa haec nomina videntur quorum a multis multi congesti sunt. Sed *πατρῷα* dici, quae non ad gentem v. familiam, sed tantummodo ad civitatem pertineat, nos quidem nobis persuaderi nunquam patiemur. *Ἀρχὴ πατρῴα* recte dicitur, quippe quae regiae domui a patribus tradita sit; recte *πάτριος πολιτεία* apud Appian. Mithrid. p. 650. 651 Schw., quae *πατρῴα* dici non potuit, non magis quam *πατρῷα ἔθη*, quae hodieque leguntur apud Lycurg. p. 155, *πατρῷα νόμιμα* apud eundem p. 180, *πατρῷοι νόμοι* apud Dinarch. p. 46, 7. Talia etiam contra codicum auctoritatem corrigi debent, quae quam exigua sit in huiusmodi rebus, neminem fugit. Laudandi itaque, qui ap. Demosth. in Macart. p. 1072, 23 *κατὰ πάτρια* reposuerunt pro *κατὰ πατρῷα*, et in Lex. rhet. p. 292, 3 et 5 pro *πατρίῳ* Apolline ecquis dubitabit *πατρῷον* restituere?

9) Harpocr. in *δημοτελῆ ἱερά*.

10) Harpocr. et Suid. in *ἑρκεῖος Ζ.* Lex. rhet. p. 256, cf. Taylor. ad Demosth. adv. Eubul. 1319.

11) Pollux VIII, 68.

12) Idem VIII, 122. cf. Schol. ad Aeschin. or. in Timarch. p. 131.

chontes neque heliastas ex iis solis, qui gentem haberent, captos esse statuimus, id quod statui sane non potest, etiam Iovem *ἑρκεῖον* et Apollinem *πατρῷον* iis, qui nulla in gente essent, concedi oportebit. — Alios autem *θεοὺς πατρῴους* suos cuique genti vel familiae proprios fuisse vel unum Andocidis oratoris exemplum demonstrare potest. Huius enim Mercurium *πατρῷον* fuisse legimus apud Lysiam in Andoc. p. 207, propterea haud dubie, quod Andocides e Cerycum erat gente,[13]) quae originem suam a Mercurio repetebat.[14]) De Isagora, Clisthenis adversario, Herodotus V, 66 memoriae tradidit, familiam eius Iovi Cario sacra factitasse; quippe Isagorae maiores e Caria in Atticam migraverant, et quum in civitatem recepti essent, dei tamen patrii cultum retinuerunt sacraque in eius honorem peragebant, quae 7
πατρῷα huic stirpi fuisse apparet; quemadmodum apud Aristophanem in Avibus v. 1534 Execestides quidam, natione peregrinus, sed civis ut videtur *παρέγγραπτος*, irridetur ut qui *πατρῷον* habeat ex barbaria advectum, eodemque modo qui Athenis in alias terras habitatum concedebant, *πατρῴους* suos secum avehere solebant.[15])

Sed cum *πατρῴοις ἱεροῖς* nonnunquam etiam deorum manium honores ab oratoribus coniungi solent, velut in hac ipsa oratione de Meneclis hereditate §. 46: *ἄπαιδα δὲ τὸν τελευτήσαντα καὶ ἀνώνυμον βούλεται καταστῆσαι, ἵνα μήτε τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα ὑπὲρ ἐκείνου μηδεὶς τιμᾷ, μήτ' ἐναγίζῃ αὐτῷ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν.* et de Astyphili hered. §. 36: *τοὺς ἐχθίστους Ἀστυφίλου ἐπί τε τὰ μνήματα ἰέναι καὶ ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἐκείνου ποιήσετε.* Solebant enim quotannis non parentibus solum defunctis, sed omnino maioribus, *τοῖς προγόνοις*, inferiae, *χοαὶ* et *ἐναγισμοί*, a posteris offerri,[16]) quod officium cum *θεῶν πατρῴων* cultu quam maxime coniunctum fuisse apparet. Utrumque enim a maioribus ad posteros

13) Pseudo-Plutarch. vitt. X oratt. p. 834.

14) Pausan. I, 38, 3. Pollux VIII, 104. Harpocrat. in *κήρυκες*. — De Andocidis stirpe a Mercurio oriunda cf. praeterea Hauptmann. de Andoc. in Reisk. O. G. VIII p. 535. Ruhnkeo. hist. crit. O. G. ib. p. 133. Sluiter Lectt. Andocidd. p. 7.

15) Lycurg. in Leocrat. p. 155.

16) Isaeus de Astyph. her. §. 7: *ἐπὶ τοὺς βωμοὺς τοὺς πατρῴους οὗτος βαδιεῖται, καὶ τελευτήσαντι αὐτῷ καὶ τοῖς ἐκείνου προγόνοις τὰ νομιζόμενα ποιήσει.* Cf. de Menecl. hered. §. 10 et 46, de Cleon. her. §. 10, de Philoct. her. §. 51 et 65, de Apollod. her. §. 30 et 32. Plat. Legg. IV, 717 E.

per manus traditum propagabatur, et qui ab iisdem maioribus oriundi erant, eos necesse erat et ἱερὰ πατρῷα eadem habere, et ad eosdem maiorum tumulos debitos dis manibus honores persolvere. Ita v. c. quum apud Demosthenem or. in Macart. p. 1055 Buselus quidam commemoretur, ex quo plures per filios familiae (οἶκοι) exortae sint, has omnes, sicut sepulcra habebant communia,[17]) ita etiam communi progenitori eiusque maioribus inferias tulisse, et sacra eiusdem πατρῷα coluisse oportet. Hinc fit, ut, si οἶκος aliquis intereat nullo neque naturali neque adoptivo filio relicto, non manes solum maiorum, sed etiam θεοὶ πατρῷοι laedi videantur, velut in hac nostra oratione adversarius, qui adoptionem a Menecle factam impugnat adeoque eius οἴκῳ interitum afferre conatur, deos πατρῴους contemnere dicitur (§. 1), quorum honores etiamsi non plane interituri erant, quippe quum adversarius ipse, Meneclis frater, eosdem necessario πατρῴους haberet, aliqua tamen ex parte imminui oportebat, si in Meneclis locum nemo succederet eiusque in colendis deorum πατρῴων religionibus partes susciperet (τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα ὑπὲρ ἐκείνου μηδεὶς τιμᾷ).

8 Iam vero hos, qui, quum plurium essent familiarum, iisdem tamen communium maiorum manibus inferias ferrent eorundemque ἱερῶν πατρῴων a maioribus acceptorum cultu coniuncti essent, quo tandem nomine appellatos existimamus? Dubitari profecto non potest, quin orgeones fuerint, neque aliud nomen inveniri potest, quod ad designandum illud, quo maxime coniuncti erant, communium sacrorum vinculum magis accommodatum sit. Nam si cognatio sola respiceretur, etiam συγγενεῖς eos dici potuisse manifestum est; ipsa tamen illa cognatio, a vetustissimo aliquo progenitore per multas aetates derivata, fieri non potuit quin plerumque temporis longinquitate magis magisque obscuraretur, ita ut oblitteratam fere eius memoriam nil nisi sacrorum illa communio aliquatenus conservaret. Apparet autem vix ullum civem Atticum fuisse, qui non tali cuidam ὀργεώνων sodalitio esset adscriptus, et fuisse his sodalitiis permagnam cum gentibus similitudinem. Nam sicuti gentes illae veteres, quae proprie dicuntur, quarum CCCLX fuisse constat, etiamsi legibus non minus aut etiam magis quam naturali cognatione constitutae, tamen et iisdem quaeque maioribus se ortas putabant, et sacro-

17) Demosth. in Macart. p. 1077.

rum a patribus acceptorum communionem habebant, ita haec quoque orgeoneum sodalitia et a maioribus iisdem exorta et sacrorum communium vinculo coniuncta erant; et sicuti, qui ab aliquo adoptabantur, in gentem patris adoptivi, si quidem gentem haberet, necessario transibant, ita eosdem etiam in orgeones patris adoptivi transire oportebat, potuitque haec inter orgeones non minus quam illa inter gentiles inscriptio una cum inscriptione inter curiales et paganos pro argumento esse ad ipsam adoptionem probandam.

Sed haec hactenus. Vos autem nunc, Commilitones, aliorum Vos et magis augustorum sacrorum orgeones esse mementote, quibus qui rite initiati sint, non, ut veteres illi, thure et victimis offerendis, sed omni vita ad pietatis et sapientiae leges conformanda rem se divinam facere existiment. His igitur sacris ut Vos quoque initiatos appareat, strenue et omni virium contentione elaborate, neque sordibus istis et nugis, quas imperitorum vulgus magni aestimet, remorari Vos patiamini a veri honestique studiis, quorum quae Vobis subsidia atque adiumenta provisa sint, ex hoc quem nunc Vobis proponimus scholarum indice cognoscetis.

Scrib. Gryphisvaldiae d. X. m. April. MDCCCXXIX.

DE AREOPAGO ET EPHETIS.

2 Obscurissimus in fori Attici historia locus est de antiqua eorum iudiciorum conditione, quae de caedibus omnique illo causarum genere cognoscebant, quod communi τῶν φονικῶν nomine comprehendi solet; eaque obscuritas quum ipsa per se propter rerum vetustatem ac testimoniorum paucitatem satis magna sit, tum augetur etiam quodammodo doctissimorum quorundam virorum conatibus, qui in antiquis historiis explicandis suo potius ingenio quam veterum scriptorum auctoritate confisi commenta quaedam sagaciter excogitata speciosisque rationibus exornata in antiquae traditionis locum substituere coeperunt. Nimirum de huiusmodi rebus vestutis ut quisque est ingenio promptissimus ita facillime speciem quandam atque imaginem animo suo informat, de cuius veritate postquam ipse sibi persuasit, quidquid obstat in veterum monumentis ac testimoniis, id aut negligit aut tanquam falsum et incredibile reiiciendum esse contendit. Tale quid nobis factum esse videtur a viro primario, Odofredo Muellero, qui quam olim in histor. stirp. et civit. Hell. tom. 2 p. 333 et tom. 3 p. 137 de Areopagitarum et Ephetarum iudiciis sententiam proposuerat, hanc nuper in egregio Eumenidum Aeschyleae commentario subtiliter sane et ingeniose, sed ita tamen probare conatus est, ut nobis quidem sanae ac sobriae criticae leges non semel neglexisse videatur. Est autem universa eius de illis iudiciis sententia haec fere.

Fuisse statuit inde ab antiquissimis rei publicae Atheniensium temporibus consilium quoddam principum, qui et de re publica consultarent et de φονικοῖς iudicarent[1]). Id consilium initio videri fuisse

1) Comment. in Aeschyl. Eumenid. p. 153. 154.

virorum duodecim, ex una tribu nobilissima, quam Hopletum fuisse
censet [2]), sumptorum. Postea, quum etiam reliquae tribus illi aequari
iure ac dignitate coepissent, factos esse octo et quadraginta. Po-
stremo, post decem tribus institutas quinos e singulis tribubus sum-
ptos esse, ut fierent quinquaginta; quibus quum unus ex Archontum
collegio, is qui *βασιλεὺς* vocabatur, accenseretur, factum esse ut
quinquaginta unus a scriptoribus numerari soleant [3]). Atque hoc
consilium ubi de *φονικοῖς* indicaret *ἐφετῶν* nomine appellatum esse,
παρὰ τὸ ἐφιέναι τῷ ἀνδροφόνῳ τὸν ἀνδρηλάτην [4]). Reapse autem
hos Ephetas non diversos fuisse ab iis, qui ab Areopago nomen ha- 3
bent [5]), et Solonis demum legibus institutum esse senatum quendam
Areopagiticum ex iis qui Archontum magistratu functi essent, ab
Ephetis, qui nunquam non ex Eupatridis sumebantur, discretum, ei-
que senatui potiores *δίκας φονικὰς* mandatas, minoribus tantum-
modo iisque in quibus non supplicium sed *ἀπενιαυτισμὸς* et expia-
tio decernenda esset, vetusto illi Ephetarum collegio relictis; cuius rei
hanc causam fuisse, quod iuris illius sacri, ex quo in caedibus vel in-
stis vel involuntariis expiationum ritus perficiendi essent, interpreta-
tio Eupatridis adeo propria fuerit, ut ab iis divelli et ad Areopagum,
in quo multi etiam plebeii homines erant, transferri non posse vide-
retur: de voluntaria autem caede caeterisque causis eiusmodi, quae
non sacris quibusdam ritibus expiandae, sed supplicio luendae essent,
in quo nulla opus esset sacri iuris scientia, nihil obstitisse quominus
etiam plebeii iudices, quales permulti in Areopago erant, cognoscerent:

2) Histor. stirp. et civ. Hell. tom. 1. p. 308.

3) Comm. in Eumenid. p. 160. not. 17.

4) Ibid. p. 154.

5) Ephetas eosdem fuisse atque Areopagitas etiam Luzacus statuit, cuius sententia primum e lectionibus domesticis ab auditore eius Sluitero prolata, Lectt. Andocidd. p. 131 sq., mox ab ipso exposita est Exercitatt. Acad. specim. III p. 181; quem librum nobis haec scribentibus non ad manum esse eo magis dolemus, quod Sluiterum magistri sententiam non satis accurate et diligenter reddidisse censemus. Loquitur enim ita, quasi Luzacus ne post Solonem quidem Ephetas ab Areopagitis diversos agnoverit, id quod prorsus incredibile est. — Ceterum Platnerus quoque de litt. et actt. ap. Atticos tom. 1 p. 21 sq. unum olim Areopagitarum et Ephetarum collegium fuisse statuit, sed in decurias quasdam divisum, ex quibus ea, quae in Areopago iudicaret, etiam alios quosdam, imprimis Archontes, habuerit assessores.

quamobrem ut Eupatridarum auctoritas frangeretur, hoc genus causarum Ephetis a Solone ereptum et Areopagitis commissum esse.

In his non infitiamur plurima sagaciter excogitata esse et admodum probabiliter disputata. Unum antiquitus principum collegium fuisse, quod et regibus olim et post regium imperium abolitum iis qui in eorum locum successerant magistratibus quum in re publica administranda tum in iudiciis capitalibus exercendis adesset, nos ipsi dudum statuimus; idque et ipsa quodammodo rei natura et aliarum civitatum exemplis comprobatur, veluti Lacedaemoniorum, apud quos senatus ille duodetriginta virorum, ἡ γερουσία, non solum rem publicam moderabatur sed etiam de φονικοῖς iudicabat [6]), et Corinthiorum, quorum γερουσίαν de caedibus ἐν τῷ βουλευτηρίῳ iudicasse Diodorus auctor est [7]). At vero nullum Athenis ante Solonem Ephetarum collegium fuisse ab Areopagi senatu diversum, id quidem ut crederemus impetrare a nobis nunquam potuimus propter contraria eaque disertissima veterum scriptorum ac monumentorum testimonia. Ex his unum Pollucis Muellerus refutare conatus est, satis leviter, nostro quidem iudicio. Grammatici verba haec sunt [8]): *Ἐφέται τὸν μὲν ἀριθμὸν εἷς καὶ πεντήκοντα. Δράκων δ' αὐτοὺς κατέστησεν ἀριστίνδην αἱρεθέντας· ἐδίκαζον δὲ τοῖς ἐφ' αἵματι διωκομένοις ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις. Σόλων δ' αὐτοῖς προσκατέστησε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν.* Ex his manifestum est Pollucem aut eum quem Pollux auctorem habuit Ephetas a Dracone demum institutos credidisse: auctorem autem constat Polluci in plerisque eorum quae isto libro Onomastici de re publica Atheniensium exponit unum omnium gravissimum fuisse Aristotelem, id quod ipse Muellerus agnoscit [9]). Praeter Aristotelem etiam Theophrastum adhibuit *ἐν τῷ περὶ νόμων*, Philochorum, Androtionem, Crateri *ψηφισμάτων συναγωγήν* [10]). Horum quisquis est, cui de Ephetarum institutione Pollux fidem habuit, errare in nonnullis potuisse non negamus, errasse in hac re ut concedamus, graviora argumenta expectamus, quam

---

6) Aristot. Politic. III, 1, 7.

7) Diodor. XVI, 65.

8) VIII, 10, 125.

9) Comment. in Eumenid. p. 155. — Atque in hac ipsa parte de iudiciis Aristotelem Polluci ad manum fuisse apparet ex lib. VIII, §. 63.

10) Vid. Poll. VIII, 52. 67. 121. X, 71.

quae adhuc a Muellero prolata sunt, qui quidem hanc erroris causam fuisse opinatur, quod quum in Draconis legibus frequentissima Ephetarum mentio fieret, propterea coniecturae locus datus sit, ut institutionem huius collegii Dracoui tribuerent. Quasi vero cuiquam mirum videri potuerit, qui de *δίκαις φονικαῖς* leges ferret, eum etiam de iudicibus frequenter loqui oportuisse, sive hi ab ipso demum instituti essent sive dudum in re publica fuissent. — At, inquit, Pollux ipse Ephetas *ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις* iudicasse narrat: sunt autem haec *τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ, τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ, τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τὸ ἐν Φρεαττοῖ* et *Areopagus*. Quod quum Ephetas in Areopago iudicasse videamus, nonne hos etiam Areopagitas habendos esse ápparet? Iam vero quum Areopagitas multo antiquiores Dracone fuisse constet, nonne etiam Ephetas, qui ipsi sunt Areopagitae, ante Draconem fuisse oportet? — Nobis eiusmodi ratio nequaquam recte concludi videtur. Potuerint enim sane Areopagitae Dracone antiquiores esse, et tamen Ephetis quoque recens institutis iudicia quaedam in Areopago exercenda mandari, ita ut et illi veteres senatores in Areopago consessus haberent, et hi novi iudices de certis quibusdam causis in eodem loco iudicarent, sive has olim ab iisdem illis senatoribus, sive ab aliis iudicibus quibuscunque iudicatas esse statuamus. — Praeterea diversum iam ante Solonem Areopagitarum collegium ab Ephetis fuisse etiam lex quaedam vetusta demonstrat ab Solone archonte lata, qua restitutio capite deminutis ante Solonem damnatis impertitur, exceptis iis qui *aut* ab Areopago *aut* ab Ephetis *aut* in Prytaneo damnati sint[11]). *Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν ἢ ἐκ Πρυτανείου δικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε.* Apparet, opinor, horum verborum nullam aliam interpretationem esse, nisi ut tria dicamus collegia inter se distingui Solonis legibus antiquiora, Areopagum, Ephetas, Prytaneum, neque ullo modo fieri posse, ut in Areopago etiam et in Prytaneo iidem illi iudices intelligendi sint, qui Ephetarum nomine seorsim commemorantur, licet hos ipsos de quibusdam causis etiam in Areopago et apud Prytaneum non minus quam apud Palladium, apud Delphinium et in Phreatto iudicasse sciamus. Atque ita hanc legem etiam Plutarchum accepisse videmus, qui eam pro ar-

11) Plutarch. Solon. cap. 19.

gumento citet, vetustius Solone Areopagitarum fuisse collegium; Ephetas autem antiquiores fuisse non opus erat probari, quum id quidem a nemine unquam in dubium vocatum sit. Nam quod addit Plutarchus: *εἰ μὴ νὴ Δία γέγονέ τις ἀσάφεια τοῦ γράμματος ἢ ἔκλειψις, ὥστε τοὺς ἡλωκότας ἐπ' αἰτίαις ἃς κρίνουσιν οἱ Ἀρεοπαγῖται καὶ Ἐφέται καί πρυτάνεις ὅτε ὁ θεσμὸς ἐφάνη ὅδε, μένειν ἀτίμους, τῶν ἄλλων ἐπιτίμων γενομένων.* h. e. Solonem non eos dixisse, qui ante se ab Areopago, Ephetis, Prytaneo damnati essent, sed qui damnati essent eorum criminum, quae ex ipsius legibus ad Areopagitas, Ephetas, Prytanes pertinerent: hanc rationem neque ipsum Plutarchum probasse apparet neque hodie quemquam probaturum esse confidimus.

Ex his iam satis manifestum est, testimoniis veterum Muelleri sententiam adversari: restat igitur ut videamus, num quae causae sint satis graves, quae nos illis testimoniis fidem habere vetent. Huiusmodi nihil a Muellero prolatum esse video, nisi fortasse hoc unum, quod ait [12]) Ephetas a Dracone demum institutos propterea credi non posse, quod Draconem veterem rei publicae formam non immutasse Aristoteles testetur, illa autem novi iudicii institutio non possit non permagna videri rei publicae immutatio. Aristotelis unum hac de re testimonium novimus, a nobis ipsis dudum prolatum [13]), quod extat Politicorum lib. II, cap. 9, §. 9 (pag. 68, 31 Goettl.): *Δράκοντος δὲ νόμοι μέν εἰσι, πολιτείᾳ δ' ὑπαρχούσῃ τοὺς νόμους ἔθηκεν.* Est autem hic locus eiusmodi, ut generatim modo Aristotelem loqui appareat, neque singula accuratius definire. Et sane qui nihil aliud in re publica novavit, nisi ut de certis quibusdam criminibus, iisque haud dubie et rarioribus et plerumque haud magnopere ad summam rem publicam pertinentibus, iudices quosdam proprios constitueret, hic in eiusmodi quidem loco recte dici potuit rei publicae formam qualis fuerit reliquisse. Nam neque magistratuum descriptionem, neque ordinum iura et summum in re publica imperium, neque finem civilis societatis alium fecit atque antea fuerat; quibus potissimum rebus *ἡ πολιτεία* continetur. Est enim *πολιτεία*, ut Aristoteles ait IV, 1, 5, *τάξις τῆς πόλεως ἡ περὶ τὰς ἀρχὰς, τίνα τρόπον νενέμηνται, καὶ τί τὸ κύριον τῆς πολιτείας, καὶ τί τὸ τέλος ἑκάστης τῆς κοινωνίας ἐστί. Νό-*

12) Comm. in Eumenid. p. 153. not. 5.

13) De comit. Ath. p. VIII. De ord. iud. p. 15.

μοι δὲ, κεχωρισμένοι τῶν δηλούντων τὴν πολιτείαν, καθ' οὓς δεῖ τοὺς ἄρχοντας ἄρχειν καὶ φυλάττειν τοὺς παραβαίνοντας αὐτούς.

Itaque quum neque institutos a Dracone Ephetas negare, neque diversos ab Ephetis Areopagitas a Solone demum factos credere liceat propter diserta antiquitatis testimonia, quae plus haud dubie valere debent, quam recentiorum vel ingeniosissimae coniecturae, postulabitur fortasse a nobis, ut exponamus, qualem nos ipsi trium illorum collegiorum, quae Solonis lege commemorantur, rationem fuisse censeamus. Est sane haec res eiusmodi, in qua prudentissimus quisque ignorantiam confiteri, quam scientiam affectare maluerit, quae nulla esse potest. Tamen coniectandi periculum non defugiemus; cavebimus autem ne quid ponamus, nisi quod certa aliqua vel ratione vel auctoritate probari posse videatur.

Primum igitur dubitari non potest, quin, ut cetera iudicia capitalia, ita haec *φονικὰ* antiquitus penes regem fuerint eosque principes, qui tamquam Homerica *βουλὴ γερόντων* regi in consilio erant. Hi de 6
variis *φονικῶν* generibus in variis locis iudicabant, antiqua haud dubie religione sacratis, Areopago, Palladio, Delphinio, Phreatto, Prytaneo, quorum quum unus et sanctissimus esset et causarum magnitudine caeteris praestaret, Areopagus, factum est ut ab hoc potissimum loco illud consilium Areopagitarum appellaretur. Neque tamen uno iudicandi officio hi Areopagitae fungebantur, sed de summa re publica cum regibus iisque qui in regum locum successerant archontibus consultabant; quamobrem Senatus potius, *ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλή*, quam iudicium, *δικαστήριον*, vocari solent. Non enim a Solone demum illud senatorium munus Areopagitis mandatum esse etiam Aristoteles arbitratus est [14]): neque, opinor, postea duo illa munera, iu-

14) Aristot. Polit. II, 9, 2: *Εἶναι γὰρ (οἴονται) τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ὀλιγαρχικὸν, τὸ δὲ τὰς ἀρχὰς αἱρετὰς ἀριστοκρατικὸν, τὰ δὲ δικαστήρια δημοτικόν. Ἔοικε δὲ Σόλων ἐκεῖνα μὲν ὑπάρχοντα πρότερον οὐ καταλῦσαι, τήν τε βουλὴν καὶ τὴν τῶν ἀρχῶν αἵρεσιν κτλ.* Haec ad senatorium Areopagi munus spectare manifestum est. Nescio igitur qua ratione Boekhius nuper in Comment. de Philochoro p. 12, Senatum Areop., non iudicium, a Solone demum institutum esse contenderit. — Goettlingius quidem Comment. in Aristot. p. 345 totum hoc caput nonum libri secundi pro spurio reiiciendum contendit, rationibus usus non admodum validis. Neque enim sermonis genus, neque repetitiones rerum iam alibi dictarum, quae Goettl. magnopere offenderunt, eiusmodi sunt in hoc capite, ut non similia exempla ex universo opere satis multa proferri possint, si quis

diciale et senatorium, eidem collegio mandata forent, nisi id antiquitatis exemplo factum esset. Ceterum quo magis regio imperio abolito summi magistratus potestas paullatim imminui coepit, eo maiores et ampliores senatus illius partes in administranda re publica factas esse oportet; quamobrem Draco alteram officii partem, iudicia de *φονικοῖς*, ab Areopagitas ad novum quoddam collegium transtulit, ut senatorio tantum munere, et si qua erant iudicia publicorum delictorum cum hoc munere coniuncta, Areopagitae fungerentur; scilicet quo et negotiorum multitudo senatui minueretur et iudiciale munus diligentius ab iis servaretur, qui huic uni rei intenti essent. Hos iam inde a Draconis tempore unum et quinquaginta fuisse Pollux testari videtur; qui numerus, si verus est, ita fortasse potest explicari, ut quadraginta octo iudicibus tributim lectis, duodenis scilicet e singulis tribubus, tres exegetas assedisse statuamus, h. e. iuris sacri interpretes, quorum
7 consiliis illi non poterant non saepissime indigere [15]). Ephetae cur dicti sint, variae sunt sententiae. Nobis non improbabile videtur nomen propterea inditum esse, quod cognita causa *ἐφίεσαν* v. *ἐφίεντο* h. e. praecipiebant, quid de reo faciendum esset, utrum supplicio affici, an exulare, an expiari deberet [16]).

---

hoc ogere velit: unus autem locus, qui merito offendit, p. 67, 20 Goettl., haud dubie corruptus est, sed ut facile glossatoris monum ognoscas.

15) De his exegetis vid. quos laudavimus ad Isaeum p. 398, quibus nunc addi poterit Muellerus comm. in Eumenid. p. 192. — Ceterum obiter hoc quoque commemorandum videtur, quum a levissimis quibusdom auctoribus etiam Areopagitae aliquando unus et quinquaginta fuisse perhibeontur, hoc errore satis monifesto Platnerum tamen pro orgumento usum esse, ut probaret Areopagitas olim eosdem atque Ephetas fuisse. Quid illis auctoribus tribuendum sit, statim apparebit, si verba eorum ex Meursii libro de Areop. (Gronov. thesaur. A. G. tom. V, p. 2088) adscripsero. Maximus in Dionys. Areop.: *Ἐκ γὰρ τῶν ἐννέα καθισταμένων ἀρχόντων Ἀθήνησι τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἔδει συνεστάναι δικαστάς, ὥς φησιν Ἀνδροτίων ἐν δευτέρᾳ τῶν Ἀτθίδων. ὕστερον δὲ πλειόνων γέγονεν ἡ ἐξ Ἀ. π. βουλή, τούτεστιν ἐξ ἀνδρῶν περιφανεστάτων πεντήκοντα καὶ ἑνός.* Georg. Pachymer. in paraphr. Dionys.: *Ἐκ τῶν ἐννέα καθισταμένων ἀρχόντων Ἀθήνησιν ἔδει τοὺς Ἀρεοπαγίτας εἶναι, ὧν ἀριθμὸς εἰς ἕνα καὶ πεντήκοντα ἐποσοῦτο.*

16) *Ἐφιέναι* v. *ἐφίεσθαι* praecipiendi signif. satis notum est. — Muelleri sententia, cuius supra mentionem fecimus, minus placet propterea, quod iudicia *φονικὰ* eo potius consilio instituta erant, ut obsisterent ultioni privatae *τοῦ ἀνδρηλάτου*, quam ut hunc immitterent in adversorium. Neque enim illi quidquam relictum erat, nisi ut accusaret: condemnatum reum aut supplicio afficiebat aut

Tertium quoddam collegium, ab Areopagitis pariter atque ab Ephetis diversum, in Prytaneo fuisse apparet e Solonis lege quam paullo ante adscripsimus: de quo collegio vix habemus quod addamus iis, quae dudum alibi a nobis proposita sunt. Primum a Prytanibus Prytaneum dictum esse apparet: prytanes autem quinam Athenis illo tempore fuerint obscurum est, nisi quod ab Herodoto lib. V, cap. 71 commemorantur *οἱ πρυτάνεις τῶν ναυκράρων*, quorum in opprimenda Cylonis factione praecipuam operam fuisse ex Herodoti narratione videmus. Porro qui in Solonis lege commemorantur *καταδικασθέντες ἐπὶ τυραννίδι* hos non alios nisi Cylonis in occupanda tyrannide socios esse nemo facile dubitabit, quamobrem ne hoc quidem dubitari posse videtur, quin eosdem a quibus oppressam factionem novimus, etiam in Prytaneo ius de factiosis dicentes agnoscere debeamus. Erant igitur hi *τῶν ναυκράρων πρυτάνεις*; naucraros autem Grammatici docent naucrariarum praefectos fuisse, non multum ab iis qui postea demarchi dicti sunt diversos [17]). Naucrariae enim partes erant tribuum quattuor illarum veterum, curiatim ut videtur et regionatim descriptae, ita ut duodenas singulae tribus, quaternas curiae s. phratriae haberent [18]). Ex his naucrariis munera publica in

exulare iubebat non accusatoc sed iudicium, neque accusatori quidquam licebat nisi ut supplicium, si vellet, praeseas ipse adspiceret: exulem autem persequi, dummodo hic exilii sui legem secvaret, nullo modo ei fas erat. Cf. de hoc uaiverso iure Matthiae diss. de iudiciis in Miscell. philolog. part. II, p. 167 sq. et classicum locum Demosthenis in Mid. p. 524, 10.

17) Vid. Pollux VIII, 108. Harpocr. s. v. *Ναυκραρικά*. Schol. Aristoph. Nubb. v. 37. cf. Boeckh. de oecoa. r. p. A. I, p. 274. II, p. 87. Platner. symb. ad I. A. p. 157; 161.

18) Regioaatim naucrarias descriptas fuisse apparet quum ex eo, quod cam *δήμοις* comparantur, tam e Lex. Seguer. p. 275, 20: *Κωλιάς τόπος Ἀττικῆς. ἦν δὲ καὶ ναυκραρία.* Quamquam baec dixerit aliquis ad mutatam a Clisthene naucrariarum descriptionem pertinere. Tamea etiam olim regioaum simul et tribuum ac phratriarum rationem baberi potuisse noa negabit qui probaverit quae de tribuum et phratriarum veterum ratione a nobis proposita sunt in Anaal. ccit. Berol. a. 1827 no. 85. 86. p. 675 sq., quae nobis quidem adhue satis probabilia videntur. [cf. diss. de phratriis p. 10 sqq. et Antiquitt. i. p. Gr. p. 165 sq.] — Ceterum Meierus nuper in Prooem. Ind. lectt. Hal. p. aest. 1833 babead. p. X naucrarias secuadum phratrias s. trittyes descriptas fuisse negavit, Photium auctorem laadans, qui s. v. *Ναυκραρία*, *φυλαὶ*, iaquit, *ἦσαν τέσσαρες. ἐκ δὲ τῆς φυλῆς ἑκάστης ἦσαν νενεμημέναι τριττύες μὲν τρεῖς, ναυκραρίαι δὲ δώδεκα καθ' ἑκάστην.* Sed borum verborum ambiguam explicatioaem esse apparet. Alterum

pecuniis conferendis, militibus conscribendis, navibus apparandis ordinata erant; quarum rerum curandarum causa praefectos quosdam s. naucraros habebant. Hi utrum singuli an plures fuerint dubitari
8 potest: probabilius tamen videtur plures fuisse propter id ipsum, quod prytanes eorum commemorantur, quos ceterorum in sua quemque naucraria principes fuisse crediderim. Quod enim Muellerus Herodoteos hosce naucrarorum prytanes non alios quam *φυλοβασιλεῖς* fuisse statuit [19]), perquam nobis incredibile videtur vel qui tribuum praefecti essent, non tamen a tribubus sed a naucrariis appellatos, vel iisdem magistratibus bina nomina sive ab ipsis Atheniensibus sive ab Herodoto indita esse: nam hic quidem in eadem libri parte, paullo ante quam prytanum illorum mentionem fecit, tribuum praefectos *φυλάρχους* appellavit [20]). — Itaque sicut postea, quum per symmorias munera illa publica ordinari coepissent, fuerunt e singulis symmoriis locupletissimi, qui ceteris praeessent et praestandorum munerum rationem inter se ordinarent, ita simile quiddam etiam olim fuisse coniicimus, hosque qui suarum quique naucrariarum principes

---

Meieri argumentum inde ductum est, quod etiam in Clisthenis naucrariis, quae quinquaginta fuerunt, nullam appareat vel duodecim vel triginta trittyum rationem habitam esse. Nimirum hoc ipsum Clisthenes novavit, ut naucrariarum cum veteribus phratriis s. trittybus coniunctionem dissolveret: triginta autem novae trittyes non dubito quin post Clisthenis demum aetatem institutae sint, abolitis naucrariis et symmoriarum descriptione facta. — Sed aliam Photius difficultatem obiicit hanc, quod Aristotelem auctorem sequutus illam naucrariarum descriptionem a Solone demum repetit. *Ναυκραρία μὲν ὁποῖόν τι ἡ συμμορία καὶ ὁ δῆμος, ναύκραρος δὲ ὁποῖόν τι ὁ δήμαρχος, Σόλωνος οὕτως ὀνομάσαντος, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης φησίν.* Cautius Grammaticus ad Aristoph. Nubb. v. 37: *οἱ πρότερον ναύκραροι, εἴτε ὑπὸ Σόλωνος κατασταθέντες εἴτε καὶ πρότερον.* Nam naucraros etiam ante Solonem fuisse ex Herodoto manifestum est; quamobrem Aristoteles nihil nisi servatam a Solone hanc descriptionem et nonnihil fortasse immutatam dicere potuit. Cf. Boeckh. l. l. p. 274.

19) Comment. in Eumenid. p. 157. Hist. stirp. et civ. Hell. t. 3, p. 137.

20) Lib. V, c. 69 de Clisthene: *δέκα τε δὴ φυλάρχους ἀντὶ τεσσέρων ἐποίησε.* Possint haec ita accipi, quasi Herod. quattuor veteres tribuum praefectos a Clisthene plane sublatos dicat; quae si fuit eius opinio, erravit profecto. Sed potest etiam ut nihil aliud nisi in quattuor illorum munus et officia decem successisse velit; quod sane verum est, quum illis nihil nisi sacra quaedam et cum sacris coniuncta officia relicta sint. Vid. Meier de ord. iud. p. 115. 116., et de decem quos Herodotus dicit phylarchis, qui non diversi ab *ἐπιμεληταῖς τῶν φυλῶν* videntur, cf. C. F. Hermann. de iure et auct. magistrat. p. 42.

essent, *naucraros*, ipsorum autem rursus praefectos *prytanes* dictos esse. Atque horum prytanum etiam in summa re publica administranda aliquas et satis quidem magnas partes fuisse admodum probabile est, ut recte eos Herodotus *νέμειν τότε τὰς Ἀθήνας* dixerit, imprimis si quid incidisset cum re militari ac bellicis et pecuniariis rei publicae rationibus coniunctum. Et fuerunt fortasse *βουλῆς* cuiusdam instar, quemadmodum apud Epidamnios aliquando ante *βουλὴν* institutam tribuum praefectos senatorio munere functos esse novimus [21]); ita ut Athenis ante Solonis leges eodem fere loco essent, quo postea senatus quadringentorum, similiterque diviso cum Areopagitis munere. Huic autem prytanum senatui praefuisse consentaneum est quum novem Archontes tum quattuor *φυλοβασιλεῖς*; quandoquidem qui in Solonis lege apud Plutarchum commemorantur *βασιλεῖς* non videntur ab illis *φυλοβασιλεῦσιν* diversi esse: atque hinc factum est ut posteris quoque temporibus vetere illa rei publicae forma plane immutata prytanibusque longe aliis factis tamen in uno quodam rerum genere, quum *περὶ ἀψύχων* vetusto ritu ius dicendum erat, *φυλοβασιλεῦσι* munus suum in Prytaneo relinqueretur.

Scrib. Gryphiswaldiae Calend. August. MDCCCXXXIII.

21) Aristot. Polit. V, c. 1. Cf. de comit. Ath. p. XII.

DE

SORTITIONE IUDICUM APUD ATHENIENSES.

1 Cap. I. Norunt omnes, qui in cognoscenda Atheniensium republica aliquid studii collocarunt, ex quam turbidis saepe fontibus haec cognitio hauriri debeat, quamque difficile sit, iis scriptoribus, qui duces nobis in hoc quaestionum genere sequendi sunt, bene et prudenter uti, fidem eorum recte aestimare, vera a falsis discernere, repugnantia inter se conciliare. Sed omnium maxime lubrica et laboriosa est Scholiastarum et Lexicographorum tractatio, ad quos, quum e multis atque egregiis scriptoribus, qui olim de Atheniensium legibus et institutis data opera accurate et copiose exposuerant, nemo aetatem tulerit, nimis saepe nobis confugiendum est. Quam multa enim illi tradere solent, etsi e bonis fontibus derivata, tamen pessimis additamentis ita corrupta et temerata, vix ut minimo usui sint; quam multa manifesto falsa, neque aliunde nisi ex male intellecto alicuius scriptoris loco hausta; quam multa denique, quae statim intelligas ab ipsis temere conficta esse, ne inscitiam suam faterentur. Atque haec omnia etiam in bonam partem illorum Scholiorum cadunt, quae ad Aristophanis comoedias e variorum Grammaticorum commentariis a
2 Thoma Magistro, Triclinio aliisque collecta sunt, in quibus, quamquam plurima erudite et subtiliter tradi non nego, haud multo tamen minorem eorum numerum esse arbitror, quae aut nullius aut perexigui pretii aestimanda sint, neque sine multa cautione in usum nostrum converti queant. Ex hoc genere etiam illa sunt, quae ad Pluti v. 277 de iudicum sortitione traduntur, de qua nobis hoc loco disputandum statuimus.

Cap. II. Constat autem inter omnes, a Solone ad omnia iudicia, iis exceptis, quae *φονικὰ* dicebantur, omnibus civibus Atticis, nullo

census et ordinum discrimine, aditum concessum esse, ita ut ex universo civium numero, qui quidem non minores triginta annorum et fama seu statu integri (*ἐπίτιμοι*) essent, iudices sorte caperentur. Sed e sortitis iudicibus alii erant arbitri s. *διαιτηταί*, de quibus hoc loco non agimus, alii peculiari nomine *δικασταί*, nonnunquam etiam *ἡλιασταὶ* dicuntur, (vid. Append.) de quorum sortitione haec disputatio instituta est. Porro in eo quoque plerique omnes nunc consentiunt, Heliastarum numerum fuisse sex millium, eosque in singulos annos sorte ductos, deinde autem, quoties causa aliqua in iudicium deducenda esset, rursum ex his legitimum numerum a Thesmothetis eductum esse ad illam causam iudicandam. Atque de isto sex millium numero testis est Aristophanes, Vesp. v. 661, ubi Bdelycleon haec ait:

> *Ἀπὸ τούτων νυν μισθὸν κατάθες τοῖσι δικασταῖς ἐνιαυτοῦ*
> *ἓξ χιλιάσιν, κοὔπω πλείους ἐν τῇ χώρᾳ κατένασθε.*

Nam quod Petitus Legg. Att. p. 412 opinatur, pro *ἓξ χιλιάσιν* 3
rescribendum esse *πέντε χιλιάσιν*, satis iam refutatum est a Matthiaeo, de Iudiciis Atheniensium, in Miscell. philolog. P. II, p. 252. — De annua autem sortitione dubitare nonnulli videntur, velut Hudtwalkerus de arbitris p. 11; et possit fortasse aliquis Aristophanis locum ita interpretari, ut sex millia numerentur non eorum, qui soli e reliquis civibus selecti essent, ut per annuum tempus iudicum heliasticorum munere fungerentur neque quisquam praeter eos alius, sed eorum, qui iudicare vulgo solerent et ad quotidianas sortitiones profiteri, aut rei ipsius studio, aut quaestus cupiditate prae caeteris inducti. Attamen annuam quoque iudicum sortitionem fuisse patet Isocratis loco, *περὶ τῆς ἀντιδόσεως*, p. 8 ed. Orell., ubi dicit: *καὶ γὰρ αἰσχρὸν - - παρ' ὑμῖν* (alloquitur autem iudices) *μηδὲ τῶν ἴσων τυγχάνειν τοὺς κινδυνεύοντας τοῖς συκοφαντοῦσιν, ἀλλ' ὀμνύναι μὲν καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν, ἦ μὴν ὁμοίως ἀκροάσεσθαι τῶν ἀπολογουμένων κτλ.* Nam iusiurandum annuum sine annua sortitione esse non potuit. Etiam Iulius Pollux duobus locis, VIII, 87 et 88, de duabus diversis iudicum sortitionibus loquitur. Altero enim loco in communibus novem Archontum officiis numerat *τὸ κληροῦν δικαστάς*, iudices sortiri; altero autem Thesmothetarum proprium fuisse ait, ut unicuique eorum magistratuum, qui iudiciis praeerant, iudicium suum h. e. legitimum iudicum numerum sorte assignarent. *Ταῖς ἀρχαῖς*, inquit, *ἐπικληροῦσι τὰ δικαστήρια τὰ ἴδια καὶ τὰ*

δημόσια. Atque prior illa sortitio, quam omnes novem Archontes
4 peragebant, quin annua fuerit, mihi quidem non dubium esse videtur. Adde quae a Matthiaeo l. l. p. 253 satis probabiliter dicuntur de loco orat. in Aristogit. I. p. 778, quae hic repetere non libet [1]).

5 Cap. III. His itaque positis iam videamus, numquid de sortiendi modo et ratione ex iis, quos supra dixi, interpretibus Aristophanis ad Plut. v. 277 disci possit. Quattuor ad hunc versum scholia in editionibus nostris distinguuntur, omnia inter se diversa, duo autem ita manifestis erroribus plena, ut iis refellendis supersedere liceat. Nam quis non statim sua sponte intelligat, quanta fides habenda sit istis hominibus, quum eos audiat decem haud amplius iudices nobis narrantes, totidem quot dicasteria Athenis fuisse volunt, ita ut in singulis dicasteriis singuli viri etiam de capite et fortunis civium iudicarent. Haec enim ille, cuius scholion quarto loco legitur, apertis verbis docet [2]); et primi quoque scholiastae non aliam esse sententiam attentus lector facile perspiciet, quamquam Sigonius de Republ. Ath. III, 3 verba eius aliter accepit et in Ephetarum creationem explicandam transtulit. Sed contra hunc iam a Krebsio, diss. de Ephet. §. 5, et a Matthiaeo, de Iudic. p. 158, satis disputatum est. Missis igitur istis

1) Antiquitus iusiurandum a iudicibus in Ardetto datum esse Grammatici docent. Erat autem is locus extra urbem ad Ilissum prope stadium Panathenaicum. Vid. Poll. VIII, 122. Harpocr., Hesych. et Suid. h. v. Lex. rhet. in Bekkeri Anecd. I. p. 207. *Συναγ. λεξ. χρησ.* ib. p. 443. Etymol. M. p. 147, ubi falso *Ἄρδιττος* scribitur. Quod autem Harpocr. et auctor *συναγ. λ. χ.* dicunt: *ἐν τούτῳ δημοσίᾳ πάντες ὤμοσαν Ἀθηναῖοι τὸν ὅρκον τὸν ἡλιαστικόν*, ex eo apertum esse arbitror, annuum ibi iusiurandum dari solitum, quamquam Pollux hoc confundere videtur cum alio, quod quotidie, vel potius quoties iudicia habendo erant, a iudicibus dabatur, qua de re alio loco dicendum erit. Vid. d. Att. Proc. p. 135 not. 20. Ceterum illud *πάντες Ἀθηναῖοι* apud Harpocrationem et illum alterum Grammaticum haud dubie minus accurate dictum est. Nam etiamsi ab omnibus, quotquot ad sortiendum convenerant, ante sortitionem hoc iusiurandum datum esse statuas, iurabant tamen nonnisi qui triginta annorum, non minores, erant, id quod ipsa iurisiurandi verbo docent ap. Demosth. in Timocr. p. 747: *καὶ γέγονα οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντ' ἔτη*. Fortassis autem hoc iusiurandum idem est *ὅρκος τοῦ δήμου*, cuius meminit Andoc. in Alcibiad. p. 112. — Sed si iusiurandum illud annuum in Ardetto dari solebat, coniici potest, eodem loco etiam sortitionem annuam peractam esse, quamquam de hac Grammatici tacent. Verum posteris temporibus morem istum abolitum esse Theophrastus testatur apud Harpocr. l. l.

2) Conf. et Schol. ad Plut. v. 973, Suid. in *ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες*, et Apostol. Proverb. cent. II, n. 85 apud Hemsterhus. ad d. l.

nugatoribus ad reliquos duos nos convertamus. Alterum autem ex his,
qui secundum in illa collectione locum obtinet, Petitus, Legg. Att. p.
392, et eius asseclae unum sibi ducem in huius rei tractatione elege- 6
runt, altero prorsus neglecto, quod quo iure fecerint, lectorum esto
iudicium. Nunc quidem ante omnia hominem ipsum audiamus.

Cap. IV. *Ἐν ταῖς Ἀθήναις πολλὰ ἦν δικαστήρια, καὶ ἔν τισι
μὲν ἐδίκαζον περὶ φονικῶν πραγμάτων, ἔν τισι δὲ περὶ δημοτι-
κῶν. Καὶ ἕκαστον δὲ τούτων εἶχεν ἕν τι τῶν στοιχείων εἰδικὸν
ὄνομα· οἷον, ἦν τι τῶν δικαστηρίων λεγόμενον Ἄλφα, ὁμοίως
ἄλλο λεγόμενον Βῆτα, ἄλλο Γάμμα καὶ ἑξῆς τὸ Δ καὶ τὸ Ε καὶ
ἕως τοῦ Κ. δέκα γὰρ ἦν τὰ δικαστήρια ἐν Ἀθήναις. Καὶ πρὸ
θυρῶν δὲ ἑκάστου δικαστηρίου ἐγέγραπτο πυῤῥῷ βάμματι τὸ
στοιχεῖον, ᾧτινι τὸ δικαστήριον ὠνομάζετο.* Hic parumper sub-
sistamus. Decem haud amplius Athenis dicasteria fuisse dicit, in
quorum aliis de caede similibusque criminibus, veneficiis puta, vul-
neribus occidendi animo inflictis atque incendiis (haec enim vulgo
τῶν φονικῶν nomine designari solent), in aliis autem de causis civili-
bus iudicaretur; nam has esse arbitror quae *δημοτικὰ* a Grammatico
nostro dicuntur. Quid igitur? num Areopagum quoque et quattuor
Ephetarum dicasteria hoc numero comprehendit? In his enim, iam
inde ab antiquissimis temporibus, iudicia de caede exercebantur ab
Areopagitis et Ephetis. Sed scholiastes noster, ut e sequentibus patet,
in omnibus decem dicasteriis heliasticos iudices sedisse vult, id quod
in Areopagum non cadit. Hunc igitur ex illo numero eximendum esse
iam Petitus iudicavit. Sed quid de Epheticis statuamus? Constat sane,
in uno dicasterio *τῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ*, quod antiquitus Ephetarum
proprium fuerat, Demosthenis quidem aetate ab heliasticis iudicibus 7
de caede iudicatum esse. De reliquis tribus, *ἐπὶ Πρυτανείῳ*, *ἐπὶ
Δελφινίῳ* et *ἐν Φρεαττοῖ*, admodum incerta res est, neque, meo
iudicio, probabilis, nisi de uno, *τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ*. Nam in hoc non
minus quam in Palladio Heliastas iudicasse facile crediderim. Ponamus
igitur in decem dicasteriis haec duo numeranda esse, *τὸ ἐπὶ Παλλα-
δίῳ* et *τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ*: restabunt octo, neque difficile est, tot di-
casteriorum nomina e veteribus scriptoribus colligere. Quin aliquanto
plura Meursius protulit, in Areopag. c. XI, quamquam sunt in his
nonnulla, de quibus dubitari merito possit. Plura tamen fuisse, quam
scholiastes noster arbitratur, mihi quidem haud dubium videtur: quot
fuerint, liquido demonstrari nunquam poterit. Est autem omnis haec

quaestio longior et difficilior, quam quae obiter hoc loco tractari possit; quamobrem in appendicem libelli reiiciendam putavi. Scholiastae autem opinio unde orta sit, videor mihi satis manifesto deprehendisse, qua de re post suo loco exponam. Quod autem de litteris dicit, quibus singula dicasteria notata fuerint, dubium esse nequit propter Aristotelis auctoritatem apud Schol. ad Plut. v. 278 (cf. infra Cap. VII); quamquam quo iure istae litterae *εἰδικά ὀνόματα* vocentur, haud perspicio.

Cap. V. Reliqua Scholii pars haec est: *Ὅσοι δὲ δικασταὶ ἦσαν ἐν Ἀθήναις, ἕκαστος καθ' ἕκαστον δικαστήριον εἶχε δέλτον, τουτέστι πινακίδιον, ἐν ᾧ ἐγγεγραμμένον ἦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τοῦ δικαστηρίου. εἶχε δὲ καὶ ῥάβδον ἅμα τῷ πινακιδίῳ· καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥάβδῳ ἦν τὸ ὄνομα τοῦ δικαστηρίου ἐγγεγραμμένον. Ὅτε οὖν συνέβαινε καιρὸς τοῦ δικάζειν, ἤρχοντο πάντες οἱ δικασταὶ εἰς τὴν ἀγορὰν, κἀκεῖ κλήρους ἔβαλλον· καὶ ὅστις ἂν ἐκληροῦτο κλῆρον ἔχοντα τὸ Α, ἀπήρχετο εἰς τὸ Α δικαστήριον· ὁμοίως εἰς τὸ Β καὶ τὰ ἐφεξῆς ἀπήρχοντο. καὶ πρῶτον μὲν ἐδείκνυε τῷ κήρυκι τοῦ δικαστηρίου τὸν κλῆρον τοῦ στοιχείου· ὁ δὲ κήρυξ λοιπὸν ἐδίδου αὐτῷ τὸ πινάκιον αὐτοῦ καὶ τὴν ῥάβδον, εἶτα οὕτως ἐδίκαζεν. εἰ δέ τις δικαστὴς εἰσῄει μὴ κληρωθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, διαφόρως ἐζημιοῦτο.* Haec, nisi perversissime scholiastes noster locutus est, non aliam sententiam habere possunt, nisi hanc: Unumquemque iudicem denas habuisse tabellas, pro dicasteriorum numero, singulas in singula, sui ipsius nomine et dicasteriorum notis inscriptas; item scipiones totidem, iisdem notis insignitos. Utrumque non ab ipsis domi suae, sed publice a magistratibus asservatum esse oportebit, quum dicat, post peractam sortitionem eos, quibus alicuius dicasterii sors obtigisset, tabellas suas et scipiones a praecone accepisse, eos nimirum, quibus illius dicasterii nota inscripta erat. Iam finge tibi aliquot millia tabellarum et scipionum, e quibus sua cuique seligenda essent; neque amplius dubitabis, quanti aestimanda sit Scholiastae nostri auctoritas. Sed Petitus p. 393 longe aliter eius verba accepisse videtur; ait enim: „Athenienses qui vellent iudiciis reddundis vacare, nomina sua dabant tabellae inscripta, adscripto patris populique nomine: totidem quoque erant tabellae, quarum aliae aliis harum decem litterarum (ab A ad K) essent notatae, pro numero scilicet eorum, qui in hoc vel illo foro essent iudicaturi. Atque ita fiebat, ut prout quisque hanc aut illam

litteram sortiretur, ita huic aut illi foro iudex traderetur. Quicunque 9
autem litterae sortem nactus erat, fori illius praeconi ostendebat. Praeco tabellam ei dabat, in qua nomen illius itemque fori inscriptum, itemque virgam cum eodem fori nomine, quibus potestatem iudicandi adipiscebatur *καὶ τὸ δικαστικόν*." Sed haec quonam interpretandi artificio ex illo Scholio exsculpserit, viderint acutiores. Quodsi quis alius praeter Petitum tale artificium calleat, dubium non est, quin multa adhuc incognita neminique perspecta et ex hoc scholiaste et ex aliis eius similibus erui possint. Ceterum, ne diutius his tricis immoremur, omissis singulis, quae in aliam ab aliis sententiam torqueri possint, in universum quod sentio proloquar. Nimirum, utcunque scholiastae verba acceperis, haec tamen semper erit sententia: in quotidianis sortitionibus iudicum, quotquot professi erant, omnium nomina in sortem coniecta ac singillatim educta esse, donec suus cuique dicasterio numerus expletus esset; quod quam operosum fuisset quantumque temporis absumpsisset in tanta iudicum multitudine, sua quisque sponte intelligit. Et sequebantur haud dubie Athenienses aliam rationem aliquanto et breviorem et faciliorem, cuius quaedam vestigia et alibi deprehendi, et apud tertium scholiasten, ad quem nunc iam progrediemur.

Cap. VI. *Ἔρχεται ἕκαστος εἰς τὸ δικαστήριον, πινάκιον ἔχων ἐπιγεγραμμένον τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ πατρόθεν καὶ τοῦ δήμου, καὶ γράμμα ἕν τι μέχρι τοῦ Κ, διὰ τὸ πάλαι δέκα φυλὰς εἶναι Ἀθήνησιν· διῄρηντο γὰρ κατὰ φυλάς.* Hic primum illud probe 10
animadvertendum est, quod ab hoc scholiaste docemur, iudices in decem partes distributos fuisse, pro tribuum numero, ita, opinor, ut e singulis tribubus singulae essent partes, qua de re post pluribus disseremus. Dein litteras, quibus istae tabellae inscriptae erant, non fuisse dicasteriorum, ut prior scholiastes voluit, sed partium illarum notas. Neque igitur denas sed singulas singulis iudicibus fuisse tabellas, easque non post sortitionem a praecone aut magistratu aliquo iis datas, sed ab ipsis, quum ad sortiendum convenirent, allatas esse. Quodsi verum de his tabellis dicit, res in hunc fortasse modum comparata erat: Post annuam iudicum sortitionem, quum et universus numerus sortitus et in partes decem distributus erat, tradebantur iudicibus istae tabellae, quas, quum ad quotidianas sortitiones in forum [3])

3) In foro quotidianas iudicum sortitiones peragi solitas Schol. 2. diserte

venirent, secum afferrent, ut ex iis cognosci posset et sortitos eos esse in hunc annum Heliastas et cuinam Heliastarum parti adscripti essent. Haec si ita fuerunt, necesse est, diversas has tabellas fuisse a *συμβόλοις* sive tesseris, quae iudicibus post sortitionem dicasterium intrantibus a magistratibus dabantur, quibus post iudicatam causam prolatis mercedem acciperent. Et sane si certum esset, postremam nostri
11 scholii partem eiusdem auctoris esse, atque priorem, quod equidem valde dubito, videremus satis diserte *πινάκιον* a *συμβόλῳ* distingui. Leguntur enim ibi haec: *τοῖς λαχοῦσι δικάσαι εἰςελθοῦσιν ἑκάστῳ σύμβολον δίδοται παρὰ τῆς ἐπὶ τούτων εἰληχυίας ἀρχῆς, ἵνα ἐξιόντες καὶ τοῦτο προςφέροντες λαμβάνοιεν τὸν δικαστικὸν μισθόν. Πινάκιον* autem iam ante sortitionem scholiastes noster iudicibus tribuit. Etiam Iulius Pollux VIII, 16 inter *σκεύη δικαστικὰ* seorsum nominat *πινάκιον* et *σύμβολον*; quamquam non satis certa est illius loci lectio. Nam quum vulgo ibi legatur: *Σκεύη δὲ δικαστικά, σύμβολον, βακτηρία, πινάκιον, πινάκιον τιμητικόν*, in uno codice prius illud *πινάκιον* omittitur, ut *τιμητικὸν* tantum *πινάκιον* relinquatur, ab hoc, de quo nunc agimus, diversissimum. Ceterum de isto *συμβόλῳ* conf. etiam Aristot. ap. schol. ad Arist. Plut. v. 278, Jungermann. ad Polluc. l. l., Demosth. de coron. p. 298, et qui ibi a Tayloro laudantur, Boeckh. de oecon. publ. Athen. pag. 253, Lex. rhetor. pag. 301 init. Mercedis autem iudicialis, quam post peractum iudicium his tesseris prolatis accipiebant, dispensatores fuisse Colacretas non ignotum est. Vid. Boeckh. l. l. pag. 187. Verum ipsae tesserae utrum ab his an ab iis magistratibus, qui cuique iudicio praeerant, distributae sint, non docent Grammatici; sed hoc tamen verisimilius videtur.

Cap. VII. Pergit scholiastes noster hoc modo: *Εἶτα οἱ Θεσμοθέται καὶ ἐνδέκατος ὁ γραμματεὺς ἐκλήρουν τὰ γράμματα μέχρι τοῦ Κ. καὶ τὸν λαχόντα ἴσα τὸν ἀριθμὸν τοῖς μέλλουσι κληροῦ-*
12 *σθαι δικαστηρίοις ὑπηρέτης φέρων ἐτίθει καθ' ἕκαστον δικαστήριον ἕν.* Hic primum pro *ἐνδέκατος* rescribendum arbitror *δέκατος*, cum Matthiaeo de Iudic. p. 255. Eodem modo loquitur Schol. ad Vesp. v. 772: *Ἐπειδὴ Θεσμοθέται καὶ δέκατος ὁ γραμματεὺς*

testatur et res ipsa per se verisimillima est. Cf. Arist. Ecclesiaz. v. 681. Falso igitur scholiastes noster dicit: *ἔρχεται ἕκαστος εἰς τὸ δικαστήριον* pro *εἰς τὴν ἀγοράν*.

κληροῦσι τοὺς δικαστὰς τοὺς τῆς αὐτῆς φυλῆς ἕκαστος. Solent autem nonnunquam Thesmothetarum nomine omnes novem Archontes designari, qua de re vid. quae disputat vir doctus, qui sub Freimundi nomine latet, in Fascicul. Philolog. I, pag. 101. Dein ordinem verborum turbatum esse restituendumque in hunc modum puto: *οἱ Θεσμοθέται καὶ δεκ. ὁ γρ., κατὰ φυλὴν ἕκαστος, ἐκλήρ. κτλ.* Ita demum Grammatico nostro ratio constare videtur; quamquam hoc ipsum haud dubie falsum est, quod quotidianam iudicum sortitionem a toto Archontum collegio peractam dicit, quae a solis Thesmothetis peragebatur. (Vid. Cap. II.) Sed quam facile in errorem induci potuerit, cuivis patet, quum propter generaliorem nominis Thesmothetarum significationem, tum propterea, quod annua quidem iudicum sortitio a novem Archontibus eorumque scriba peragebatur, et quidem haud dubie *κατὰ φυλάς*, h. e. ita ut decem illi viri Heliastas eius anni e singulis tribubus singuli sortirentur. — Denique pro *τὸν λαχόντα* ap. Schol. non dubito quin legi oporteat *τὰ λαχόντα*, sc. *γράμματα.* Iam omnis loci sententia haec erit: In urnam s. sitellam coniiciebantur decem istae litterae, quibus iudicum partes denotabantur, ab A ad K; ex his tot educebantur, quot eo die iudicia futura erant: *ἴσα τὸν ἀριθμὸν τοῖς μέλλουσι κληροῦσθαι δικαστηρίους.* Has minister quidam publicus ad dicasteria singula singulas ablata proposuit. Nam aliter 13
equidem postrema scholii verba explicari non posse arbitror. Et fortassis solebant tabulae maiores litteris istis, quae sortiendo eductae erant, inscriptae pro dicasteriis proponi; quamquam ne hae quidem cui usui fuerint perspicio, nec libet hariolari. — Reliqua scholii verba facillima sunt: *εἶτα πάλιν ἀπεκληροῦντο οἱ τὰ εἰληχότα γράμματα ἔχοντες, τίνες δικάσουσι καὶ τίνες οὔ.* Fiebat autem id non semper, sed tum demum, quum non tota iudicum pars iudicatura erat, qua de re paullo post disseremus [4]). — Ceterum omisit scholiastes noster *τῶν βακτηριῶν* seu scipionum mentionem facere, quae post sortitionem iudicibus dabantur, simul ut pro

4) Quae post haec in Scholio nostro leguntur: *ἐγράφοντο δὲ ὅτι, ἐπεὶ ἦν πέντε δικ. κτλ.*, ea mihi neque integra esse videntur, sed aliquot verbis in principio mutilata, neque eiusdem auctoris, cuius sunt priora, neque vero ullius pretii. Quamobrem his immorari nolo. Rursus melioris notae haec sunt: *τὸ δὲ ὁ Χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσι κτλ.*, pessimae autem, quae his subiunguntur: *δέον δὲ εἰπεῖν κτλ.* Haec omnia e diversis auctoribus nullo iudicio consarcinata sunt.

insignibus essent iudiciariae potestatis, et ut eorum ope facilius suum quisque dicasterium, cuius sortem nactus erat, inveniret neque alio aberraret. Nam quum dicasteria omnia et coloribus et litterarum notis inter se distinguerentur, iisdem et coloribus et litteris
14 etiam scipiones isti, aliis alii, insigniti erant, ut vel ex his ipsis cognosci posset, in quo quisque dicasterio sedere deberet. Atque de coloribus quidem dicasteriorum et scipionum multi testantur, velut auctor Lex. rhet. p. 220, 17: *Ὁμόχρωμοι τοῖς δικαστηρίοις ἐδίδοντο βακτηρίαι, ἵνα ὁ λαβὼν οἵου δὴ χρώματος βακτηρίαν εἰς τὸ ὁμόχρωμον εἰςέλθῃ δικαστήριον καὶ μὴ εἰς ἕτερον πλανᾶται, διὰ τὸ πολλὰ εἶναι τὰ δικαστήρια.* Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1105: *ἐδίδοντο δὲ καὶ βακτηρίαι τοῖς δικασταῖς, ὁμόχροοι τοῖς δικαστηρίοις, ὅπου ἑκάστους εἰςελθόντας δικάζειν ἔδει, ἵνα τὸν ἁμαρτάνοντα ἀπελέγξῃ τὸ χρῶμα.* Cf. Jul. Pollux VIII, 16. *Λεξ. ὀνόμ.* in Bekkeri Aneed. I. p. 185. Taylor. ad Demosth. de cor. 289. De litteris autem scipionibus quoque inscribi solitis testatur non solum schol. 2 ad Arist. Plut. v. 277, qui ait: *καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥάβδῳ ἦν τὸ ὄνομα τοῦ δικαστηρίου ἐγγεγραμμένον:* nam *ὄνομα* ibi nil aliud est nisi littera, qua dicasterium denotabatur; sed, nisi ego valde fallor, etiam Aristoteles ap. schol. ad v. 278: *τοῖς γὰρ δικαστηρίοις χρῶμα ἐπιγέγραπται ἐφ' ἑκάστῳ ἐπὶ τῷ σφηκίσκῳ τῆς εἰςόδου. ὁ δὲ* (*δικαστὴς* scil.) *λαβὼν τὴν βακτηρίαν βαδίζει εἰς δικαστήριον τὸ ὁμόχρουν μὲν τῇ βακτηρίᾳ, ἔχον δὲ τὸ αὐτὸ γράμμα, ὅπερ ἐν τῇ βαλάνῳ.* Rectissime Hemsterhusius in principio pro *χρῶμα* rescribi vult *γράμμα*, id quod vel adiunctum verbum postulat. „Quis enim," inquit, „Graece sciens dicat *ἐπιγράφειν χρῶμα;*" Sed quid sit *ὁ σφηκίσκος τῆς εἰςόδου*, neque Hemsterhusius explicat, neque ego intelligo. *Σφηκίσκον* Grammatici dicunt lignum oblongum et in acutum desinens; *τὰ γὰρ μικρὰ τῶν ξύλων καὶ εἰς ὀξὺ συνηγμένα*
15 *σφηκίσκους καλοῦσιν.* Schol. ad Plut. v. 301 et Suid. h. v. Sed haec significatio h. l. non quadrare videtur. Apud Polyb. V, 89 *σφηκίσκοι* sunt ligna ad aedificandum aptata; sed qualia fuerint, non apparet eo loco. Mihi in mentem venit, pro *σφηκίσκῳ* ap. Aristot. rescribendum esse *σφηνίσκῳ**), dictumque id vocabulum esse pro eo, quod vulgo *ἀέτωμα* s. *ἀετός* dici solet, s. pro fastigio supra fores, cuius forma

[*) Abstinendum fuit hac coniectura, siquidem *σφηκίσκον* interpretari licet *supercilium* ianuae. Vid. H. Steph. Thes. ed. Paris. VII p. 1606.]

cuneo comparari potest. Sed exempla huius significationis frustra quaesivi. Illud quidem notum est, insigna aedium in fastigio plerumque collocari solita esse, quamobrem etiam litteras istas eodem loco pictas fuisse dubitari vix potest. — *Τὴν βάλανον* autem, quam scholiastes commemorat, glandem sive globulum esse arbitror, in summa scipionis parte pro ornamento impositum, de quo ornamenti genere conf. Herodot. I, 195; et exstant bodieque, praecipue in vasis, quae dicuntur, Etruscis, scipionum in hunc modum ornatorum exempla. Huic igitur scipionis glandulae iuscripta erat dicasterii nota. Hemsterhusius quum hanc scholii nostri partem non intelligeret, correctionem proposuit, quam nunc refellere nihil attinet. — Ceterum erant hae iudicum *βακτηρίαι* ex eo genere, quae *ὀρθαὶ* dicuntur, diversae ab iis, quas rustici et pastores gestabant, quae *καμπύλαι* seu *σκολιαὶ* erant. Vid. Etym. M. v. *βακτηρία* et Casaub. ad Theophrast. Char. p. 76 ed. Fischer. Neque illud silentio praetermittam, quod monet Feithius Antiq. Homer., istum iudicialium scipionum morem ex ultima antiquitate repetendum videri, quum iam apud Homerum iudices *σκήπτροις* instructi sint, e. c. Iliad. XVIII, 505.

Cap. VIII. Iam vero, priusquam reliqua persequar, de iudicum divi- 16
sione in decem partes, quas, quum aliud commodius vocabulum non occurrat, *decurias* vocare licebit [6]), paullo accuratius disputandum est, quum praesertim nemini adhuc eorum, qui de re iudiciaria Atheniensium scripserunt, haec res cognita fuerit. Dico igitur, scholiastae auctoritatem secutus, decem fuisse iudicum decurias, litterarum notis ab A ad K distinctas: has, quum iudicia habenda essent, in sortem a Thesmothetis coniectas ex iisque totidem eductas esse, quot iudicia eo die futura essent. Ita facillimo negotio et brevissimo tempore suos cuique causae iudices sortitos esse. Haec ita generatim posita post accuratius definienda, nonnihil etiam restringenda erunt; in universum autem quam sint verisimilia, quilibet etiam me tacente intelligit. Sed sunt etiam loci aliquot Aristophanei, qui, nisi rem ita se habuisse statuas, commode explicari nullo modo possunt. Ex his primum afferam eum, cui illustrando ista, de quibus egimus, scholia conscripta sunt, Plut. v. 277:

---

6) Nemini ignotum esse arbitror, decurias iudicum ap. Romanos non denorum sed multo plurium fuisse. Vid. Casaub. ad Sueton. Octavian. c. 32.

Ἐν τῇ σορῷ νυνὶ λαχὸν τὸ γράμμα σου δικάζειν,
σὺ δ' οὐ βαδίζεις, ὁ δὲ Χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσιν.

17 Verba haec sunt Carionis servi, qui senibus, quos alloquitur, ut decrepitis et capularibus illudens, capulum dicit pro dicasterio, Charontem autem, per *ἀναγραμματισμόν*, pro Archonte. Atque hunc quidem lusum interpretes omnes facile assecuti sunt; illud autem *τὸ γράμμα σου*, littera tua, quid sibi vellet non perspexerunt. Nam omnes ita fere statuunt: totidem quotidie sortes, aliam alia littera inscriptam, in sitellam coniectas esse, quot iudices essent sortiendi, h. e. aliquot millia; ex his singulas a singulis iudicibus eductas, ut in eo quisque dicasterio iudicaret, quod eadem littera atque sors ab ipso educta inscriptum esset. Verum hanc opinionem non opus erit multis refellere. (Cf. quae dixi Cap. V. ad fin.) Neque vero ipsa Aristophanis verba hanc explicationem admittunt. Nam si *τὸ γράμμα σου sors esset a te educta*, non potuit dici: *τὸ γράμμα λαχὸν δικάζειν*, h. e. *εἰ καὶ ἔλαχε τὸ γρ.*, sed debuit *λαχὼν τὸ γράμμα*, h. e. *εἰ καὶ ἔλαχες τὸ γρ.*, (*ὥστε*) *δικάζειν*. Nam *λαγχάνειν* non est: *sorte obvenire*, sed *sortiri, sortito aliquid nancisci*, ut docet Dawesius, Miscell. Crit. p. 123. Atque hanc ob causam Brunckius legi vult:

Ἐν τῇ σορῷ νυνὶ λαχὼν τὸ γράμμα σου δικάζειν.

Sed, si me audias, nihil hac correctione inutilius est. Neque bene graecum esse arbitror illud: *λαχὼν τὸ γράμμα σου*. Melius certe pronomen abesset. Retinenda igitur est codicum et plurimorum et optimorum lectio, quam ego ita interpretor: *τὸ γράμμα σου, littera*
18 *tua*, nil aliud est nisi *nota eius decuriae, cui tu adscriptus es. Huic litterae h. e. huic decuriae sortito obvenit, ut iudicaret ἐν τῇ σορῷ.* Nam illud quidem neminem offendet, quod littera metonymice dicitur pro *decuria*, cuius ea nota est. De constructione autem absoluta, *τὸ γράμμα λαχόν* pro *τοῦ γράμματος λαχόντος*, bene disseruit Kusterus ad h. l. Cf. Matthiae Gr. gr. §. 562. Neque adversativa particula *δέ* in apodosi Fischerum offendere debebat. Vid. Werfer. in Act. Philol. Monac. I, p. 90. Ex locis ab eo allatis huic nostro maxime similes sunt Isocr. de permut. p. 26: *δέον αὐτοὺς τὴν φρόνησιν ἀσκεῖν — οἱ δὲ χεῖρον πεπαίδευνται.* Plutarch. de malign. Herod. c. 2: *ὥςπερ εἰ θειασμῷ προςκείμενον ἄγαν ἐξὸν εἰπεῖν τὸν Νικίαν, ὁ δὲ θεόληπτον προςείποι.* Addam alium ex eodem genere, Plutarch. vit. Demosth. cap. 26: *εἰ δυοῖν προκειμένων ὁδοῖν ἀπ' ἀρχῆς, τῆς μὲν ἐπὶ τὸ βῆμα — τῆς δ' εἰς τὸν ὄλεθρον, ἐτύγχανε δὲ προειδὼς τὰ*

κατὰ τὴν πολιτείαν κακά — ἐπὶ ταύτην ἂν ὁρμῆσαι τὴν εὐθὺ τοῦ θανάτου φέρουσαν. Apparet nexum membrorum hunc esse, ut *εἰ* coniungatur cum *ἐτύγχανε*, hoc autem opponatur genitt. absoll. *δυοῖν προκ. ὁδοῖν.* Itaque *δέ* abesse debebat; sed additum est per quandam anacoluthiae speciem, quae eadem est in omnibus huius generis exemplis.

Cap. IX. Alter locus Aristophanis est eiusdem fabulae v. 1167. Inducitur ibi Mercurius querens, posteaquam Plutus oculorum usum recuperaverit, ceterorum Deorum cultum ab hominibus plane neglectum esse, omissa sacra, desertas aras, templa desolata, coelum omne summa inopia premi; se autem, diuturnae famis impatientem, relictis deorum sedibus in terram descendisse, hominibus ministeria sua ob- 19
laturum, ut eo modo victum quaereret. Recenset igitur munera omnia, quibus fungi possit. Primum *Στροφαῖον* se offert, dein *Ἐμπολαῖον*, post *Δόλιον*, *Ἡγεμόνιον*, denique, quum nihil horum Carioni placeat, *Ἐναγώνιον*. Haec demum conditio accipitur; *ὡς ἀγαθόν*, inquit Cario,

ὡς ἀγαθὸν ἔστ᾽ ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν!
οὗτος γὰρ ἐξεύρηκεν αὑτῷ βιότιον.
οὐκ ἐτὸς ἅπαντες οἱ δικάζοντες θαμὰ
σπεύδουσιν ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν.

Ex interpretibus unus est Fischerus, cuius explicationem commemorare pretium sit. „*Γράμματα*,“ inquit, „accipienda videntur de albis, indicibus, catalogis iudicum; nam quia Athenis erant multa iudicia, erant etiam multa iudicum alba. Qui igitur id agit, ut nomen suum referatur in multa iudicum alba, is vult iudex sedere in multis iudiciis, ut victum eo certius inveniat.“ Sane de albis iudicum accipienda est ea locutio, *ἐν πολλοῖς γράμμασι γεγράφθαι*; sed illud non satis perspicio, quam vim habeat, quod dicit, quia multa erant iudicia, multa etiam iudicum alba fuisse. Iudicia Fischero sunt dicasteria, loca, ubi iudices considunt. Num igitur hoc voluit, suos cuique dicasterio iudices in totum annum assignatos fuisse, alios Heliaeae, alios Parabysto, alios Trigono itemque reliquorum aliis alios, horumque indices ab Aristophane designari? Id quidem manifesto falsum est, quum constet quotidiana sortitione iudices in dicasteria distributos esse, ut iidem modo in hoc modo in alio dicasterio sederent. An 20
fortassis quotidie, post sortitionem, tales catalogos confectos esse credidit? Id nemini, opinor, persuadebit; neque fieri potuit, ut unus iu-

dex eodem die in pluribus dicasteriis sederet. Cur igitur pluribus se catalogis inscribi curaret? Sed omnia planissima sunt et expeditissima, si meam rationem amplectaris. Nimirum loci sententiam hanc esse dico: haud stulte agunt iudices, qui operam dare solent, ut non uni sed pluribus decuriis adscribantur, quo, si forte uni ex his causa nulla iudicanda obvenerit, ipsi tamen propterea triobolo ne careant, sed in alia decuria, cui felicior sors fuerit, iudices sedeant. Atque talem fraudem haud raro factam esse ab hominibus supra modum *φιληλιασταῖς*, quales ab Aristophane in Vespis traducuntur, verisimillimum est.

Cap. X. Sed hic incurrimus in aliam difficultatem, ex qua nos, antequam reliqua persequamur, expedire conabimur. Docet enim scholiastes ille, cui hanc de iudicum divisione notitiam debemus, fuisse eam *κατὰ φυλάς*, tribuum divisioni accomodatam, ita videlicet, ut e singulis tribubus singulae decuriae conscriberentur. Atque huius sententiae etiam alium adstipulatorem producere possum, auctorem Lexici rhetorici in Bekkeri Anecd. I, p. 262, 10: *Ἡλιαία, μέγα δικαστήριον Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ τὰ μέγιστα τῶν δημοσίων πραγμάτων ἐκρίνετο. ἦν δὲ χιλίων πεντακοσίων καὶ ἑνός. συνῄεσαν δὲ οἱ μὲν χίλιοι πεντακόσιοι ἐκ τριῶν φυλῶν.* Vides hic quoque *φυλὰς* iudicum commemorari, virorum quingenorum. Quodsi verum hi Grammatici
21 dicunt, non sane intelligo, quomodo potuerit unquam fieri, ut aliquis pluribus simul decuriis adscriberetur, nisi si tribum suam dissimularet atque, postquam inter veros tribules suos scriptus esset, aliam tribum mentiretur, ut etiam in huius decuriam irreperet; qualis fraus haud scio an nunquam vel tantillum temporis latere potuerit, quum, etiamsi forte non omnes tribules, at certe *δημόται* noti inter se essent, ut alienum statim a multis agnosci oporteret. Num igitur hi fraudem silentio texissent? Num quisquam tam exigua aut nulla potius fallendi spe deliquisset? quod quin haud impune convicto fuerit, dubitari non potest. Attamen non ita raro istam fraudem factam esse Aristophanis verba ostendunt. Quid igitur statuamus? Nihil equidem calidius dictum velim; sed hoc certum est, aut frigidissime iocatum esse Aristophanem et temere iecisse, quod in neminem caderet, aut aliter decurias iudicum descriptas fuisse, atque grammatici nostri crediderunt; qui quidem quam facile in istum errorem induci potuerint, quum et idem esset tribuum ac decuriarum numerus, et annua sortitio tributim haud dubie fieret (v. Cap. VII.), non opus est multis verbis demonstrare. Etiam senatorum divisio *κατὰ φυλὰς* confundi cum iudicum

divisione facillime potuit, quum praesertim etiam illorum tribus litteras suas haberent, quibus notarentur. (Schol. ad Aristoph. Plut. v. 973 et Petit. Legg. Att. p. 276.) Neque illud mihi leve contra istam sententiam argumentum esse videtur, quod neque apud eos grammaticos, quorum maxima in hoc rerum genere et diligentia est et fides atque 22
auctoritas, quidquam de tribubus iudicum legitur. Nam Pollux quidem et Harpocration, quum de duplicibus aut triplicibus in Heliaea iudiciis loquuntur, non e pluribus *φυλαῖς* sed e pluribus *δικαστηρίοις* ea conflata esse dicunt. Pollux VIII, 124: *Ἡ Ἡλιαία ἦν πεντακοσίων· εἰ δὲ χιλίων δέοι δικαστῶν, συνίσταντο δύο δικαστήρια· εἰ δὲ πεντακοσίων καὶ χιλίων, τρία.* Harpocrat. in *Ἡλιαία: συνήεσαν δὲ οἱ μὲν χίλιοι ἐκ δυοῖν δικαστηρίοιν, οἱ δὲ χίλιοι πεντακόσιοι ἐκ τριῶν.* Apparet *δικαστήρια* ab his dici easdem illas iudicum partes, quae *φυλαὶ* ab auctore Lexici rhetorici vocantur, decuriae a nobis dictae sunt. Atque eodem modo etiam Demosthenes loquitur, de duplici iudicio narrans, orat. in Timocrat. p. 702, 24: *πρῶτον μὲν τῆς βουλῆς κατεγνωκυίας, εἶτα τοῦ δήμου μίαν ἡμέραν ὅλην ἐπὶ τούτοις αὐτοῖς ἀναλώσαντος, πρὸς δὲ τούτοις δικαστηρίοιν δυοῖν εἰς ἕνα καὶ χιλίους ἐψηφισμένων κτλ.* Nam ne de duobus diversis iudiciis accipias, in quibus eadem causa acta sit, quum universa rei iudiciariae apud Athenienses ratio vetat, tum Demosthenis ipsius verba paullo post sequentia, p. 703, 3: *τὰ γνωσθέντα ὑπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ τοῦ δικαστηρίου,* quae ostendunt duo illa, quae supra dixit, *δικαστήρια* in unum iudicium coniuncta fuisse. Ita hunc locum explicandum esse apertissimum est; neque igitur audiendus Taylorus, qui illam omnium codicum, uno excepto, lectionem sollicitat, quam bene defendit Reiskius. — His igitur me rationibus adduci fateor, ut *φυλὰς* illas sive partes iudicum *κατὰ φυλὰς* descriptas pro grammaticorum commento habeam, et decurias, quae *δικαστήρια* a Demosthene, Polluce, Harpocratione dicuntur, etiamsi pari cum tribubus numero, plane tamen ab 23
iis seiunctas fuisse credam, ita ut qui eiusdem essent decuriae, tribuum diversarum, qui unius tribus, diversarum decuriarum esse possent.

Cap. XI. Ceterum docent nos isti, quos adscripsimus, Demosthenis et grammaticorum loci, quantae fuerint decuriae, sive quot unaquaeque viros habuerit. Nam quum duplex iudicium, h. e. ex duabus decuriis conflatum, mille virorum fuisse dicant, triplex autem mille quingentorum, manifestum est singulas decurias viris quingenis con-

stitisse. Sed quum in decem haud amplius decurias iudices sexies mille distribuerentur, necesse erat mille superesse, quos illae decuriae non comprehenderent. De his, quoniam veterum scriptorum testimoniis plane destituimur, coniecturam afferre licebit, quae mihi quidem verisimillima esse videtur. Arbitror enim hos reliquorum quasi vicarios fuisse ad complendam, si opus esset, iudiciorum frequentiam. Non raro enim accidere oportebat, ut infrequentiores decuriae in foro adessent, et propter morborum mortisque casus, et propter privata singulorum negotia, et reipublicae denique causa, imprimis propter militiam. Tunc igitur quot illis deessent, tot ex his assumtos esse coniicio, ut legitimus numerus evaderet. Eadem fere est Matthiaei sententia, de iudic. p. 253, quamquam is illam decuriarum descriptionem non agnovit, sed *iudicia* (h. e. dicasteria) decem omnino fuisse statuit, in quorum singulis quingeni fere iudi-
24 carent, ex universa Heliastarum multitudine sorte capti. Atque de iudiciorum quidem numero auctorem sequitur Schol. 2 ad Arist. Plut. 277 (vid. Cap. IV) cuius opinio ex quo fonte fluxerit nunc iam nemini obscurum erit. Nam quum nesciret *δικαστήριον* non solum locum iudicii designare, sed etiam iudicum decuriam, fieri non potuit, quin, quae de decuriarum numero scripta alicubi legerat, in dicasteria, quae proprie dicuntur, transferret atque ita omnia perturbaret.

Cap. XII. Quod autem Matthiaeus dicit quingenos fere iudices in singulis iudiciis iudicasse, id ego ita verum esse concedo, ut tamen haud raro aliquanto vel plures vel pauciores fuisse contendam. Atque de maiore iudicum numero testes laudare non opus est, quum et ante iam e Demosthene et grammaticis duplicia et triplicia iudicia cognoverimus, et Matthiaeus ipse hanc rem non ignoret. Unus est locus, apud Andocidem de Myster. p. 9, ubi sex millia iudicum in unum iudicium coniuncta memorantur, h. e. omnes, qui illo anno Heliastae sortiti erant. Sed etiam pauciorum quam quingentorum numerum non raro iudicasse patet Iulii Pollucis testimonio, VIII, 48: *εἰςήγοντο δὲ τὰ μὲν ἐντὸς χιλίων* (suppl. *δραχμῶν* et *πράγματα*) *εἰς ἕνα καὶ διακοσίους· τὰ δὲ ὑπὲρ χιλίας εἰς ἕνα καὶ τετρακοσίους.* Loquitur autem Pollux de eo publicarum causarum genere, in quo *φάσεις* locum habebant. (De his conf. quae dicta sunt de comit. Ath. p. 177.) Quodsi in his tot iudices sufficiebant, quis de minutioribus privatorum controversiis
25 plures iudicasse credat? Apparet autem, opinor ex his, quo iure apud Demosthenem in Mid. pag. 585, 25 Pettingalius et Matthiaeus pro vulgata omnium codicum lectione *διακοσίους* rescribi velint *πεν-*

ταχοσίοις. — Ceterum quemadmodum in minoribus istis iudiciis unum supra ducentos aut unum supra quadringentos sedisse Pollux testatur, ita in duplicibus quoque et triplicibus iudiciis singulos supra millenos aut quingenos et millenos a Demosthene et Lex. rhetor. auctore numerari vidimus; ex quo colligi potest, simili modo etiam in ceteris omnibus imparem factum esse iudicum numerum, ut, ubicunque parem scriptores commemorant, veluti quingentos, mille, bis mille etc., minus accurate locuti videri debeant. Cavebatur autem ita, ne paria fierent condemnantium et absolventium suffragia; quamquam nonnunquam de ἴσαις ψήφοις legimus, veluti in Leocratis causa ap. Aeschin. in Ctesiph. p. 643, ubi conf. Taylor. Sed fieri saepissime poterat, ut e sortitis iudicibus aliqui aut non adessent, aut sero venirent atque excluderentur (vid. de comit. Ath. p. 153), itaque par numerus existeret.

Cap. XIII. Iam vero illud quilibet intelligit, quam facilem et expeditam sortitionem fuisse oporteat, si integrae decuriae aut singulae singulis dicasteriis aut etiam binae, trinae pluresve assignandae essent. Neque illud multum difficultatis et molestiae habere potuit, siquando infrequentes decuriae e vicariis illis, de quibus Cap. XI diximus, supplendae essent, aut etiam aliquot extra numerum assumerentur, id quod nonnunquam factum esse videtur, velut in Socratis iudicio. (Vid. Matthiae p. 253.) Sin autem aliquando integris decuriis aliarum aut dimidiae, aut tertiae, aut quantaecunque demum partes assumendae 26
essent, aut si omnino non integrae decuriae, sed minor iudicum numerus requireretur, tunc accidere oportebat id, quod schol. 3 ad Plut. v. 277 dicit, ut, posteaquam suum cuique decuriae dicasterium assignatum esset, iterata sortitione ex quibusdam decuriis tot viri caperentur, quot opus essent [7]). Potuit autem huius quoque sortitionis negotium aliquo compendio levari; de quo tametsi haud ineptam

7) Haec sortitio fortasse pro foribus eorum dicasteriorum peragebatur, quae cuique decuriae assignata erant. Isocrates certe, Areopagit. c. 20 de sortitione πρὸ τῶν δικαστηρίων loquitur, quod huc pertinere arbitror. Vid. Coraes et Bergman. ad h. l. Nam priorem illam omnium decuriarum sortitionem pro foribus singulorum dicasteriorum fieri non potuisse, quilibet sua sponte intelligit. Cf. Cap. VI, not. Atque fortassis ad hunc morem respexisse videri possit auctor or. I. in Aristogiton p. 778, de quo loco disserit Matthiae p. 253. Nimirum ἐλάχετε de sortitione decuriarum, ἐκληρώθητε de altera sortitione accipi possit. Ceterum illud πάντων ἄρτι κληρουμένων Ἀθηναίων hyperbolice dictum esse, non opus est monere.

fortasse coniecturam afferre possim, tamen, in testimoniorum defectu, tacere malo, ne cui videar vaticinari. — Sitellas, quibus in sortitione utebantur, *κληρωτήρια* dictas esse patet Aristophanis loco, Ecclesiaz. v. 681, ubi nulla nisi haec significatio apta est. (Cf. Schol. et Suid. in
27 *κληρωτήρια.*) Apud alium neminem e veteribus Atticis hoc vocabulum legere memini [8]); sed a Iulio Polluce X, 61 affertur ex alia Aristophanis fabula, quae *Γῆρας* inscribebatur, quamquam ambigit Pollux, num sitellam ibi significet, an locum illum, ubi sortiri solerent. De loco etiam Phrynichus accepisse videtur, *προπαρασκ. σοφιστικῇ*, in Bekkeri Anecdot. I, p. 47, 13: *κληρωτήρια, ἔνθα κληροῦνται οἱ δικασταί.* Alio loco, IX, 44, Pollux ipse *κληρωτήριον* explicat: locum, *ἵνα οἱ κληρωταὶ* (sortitores) *συνεκάθιζον.* Sed loquitur ibi in universum de urbium aedificiis, non de Athenis solum; quamobrem incertissimum mihi videtur, num locus aliquis hoc nomine Athenis fuerit. — Sortes autem erant tabellae, aliae decuriarum aliae dicasteriorum litteris notatae; nam haec quoque litteras suas habuisse supra Cap. VII demonstratum est. Itaque dicasteria quoque metonymice *γράμματα* dici possunt, non minus quam decuriae, et *ἔν τινι γράμματι δικάζειν*, in aliquo dicasterio iudicem sedere. — Post peractam sortitionem indicebatur a praecone iudicibus, quorum quibusque dicasteriorum sortes obvenissent. Haec omnia docet ille Aristophanis locus, quem supra indicavi. Inducitur ibi Praxagora, muliebris reipublicae princeps, cum Blepyro, marito suo, novarum legum institutorumque consilia communicans.

Τὰ δικαστήρια, inquit, *καὶ τὰς στωὰς ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω.*

Βλεπ. *Τὰ δὲ κληρωτήρια ποῖ τρέψεις;* *Πρ.* *Ἐς τὴν ἀγορὰν καταθήσω,*

κᾆτα στήσασα παρ' Ἁρμοδίῳ κληρώσω πάντας, ἕως ἂν

28 *εἰδὼς ὁ λαχὼν ἀπίῃ χαίρων ἐν ὁποίῳ γράμματι δειπνεῖ·*

καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ Βῆτ' ἐπὶ τὴν στωὰν ἀκολουθεῖν

τὴν Βασίλειον δειπνήσοντας· τοὺς Θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην·

τοὺς δ' ἐκ τοῦ Κάππ' ἐς τὴν στωὰν χωρεῖν τὴν Ἀλφιτόπωλιν.

Βλεπ. *Ἵνα κάπτωσιν;* *Πρ.* *Μὰ Δί', ἀλλ' ἵν' ἐκεῖ δειπνῶσιν.*

Βλεπ. *Ὅτῳ δὲ τὸ γράμμα*

---

8) Extat etiam in Eubuli versibus ap. Athenae XIV, 46 p. 640.

μὴ 'ξελκυσθῇ, καθ' ὃ δειπνήσει, τούτους ἀπελῶσιν
ἅπαντες.

Πρ. *Ἀλλ' οὐκ ἔσται τοῦτο παρ' ἡμῖν.*
πᾶσι γὰρ ἄφθονα πάντα παρέξομεν. κτλ.[9]).

Cap. XIV. Hac igitur ratione, quae quam fieri potuit accuratissime 29
a me exposita est, vulgo Athenienses in sortiendis iudicibus uti sole-
bant. Tamen accidebat nonnunquam, ut ea deserenda esset, quum in
quibusdam causis non quosvis nullo discrimine Heliastas iudices sor-
tiri liceret, sed certae conditionis homines requirerentur. Ex hoc
causarum genere erant *γραφαὶ δειλίας, λιποταξίου, ἀστρατείας*
et fortassis aliorum eiusmodi delictorum militarium, de quibus non
nisi *οἱ στρατιῶται* iudicare poterant, h. e. ii, qui illo bello milita- 30
verant, ad quod ista delicta pertinebant. Docet hoc Lysias or. in Alcib.
p. 520 extr.: *τὸν δὲ νόμον κελεύειν, ἐάν τις λίπῃ τὴν τάξιν εἰς τοὐπίσω δειλίας ἕνεκα, μαχομένων τῶν ἄλλων, περὶ τούτων τοὺς στρατιώτας δικάζειν. ὁ δὲ νόμος οὐ περὶ τούτων κελεύει μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁπόσοι ἂν μὴ παρῶσιν ἐν τῇ πεζῇ στρατείᾳ.* Quod enim

---

9) Paullo obscurius sortiendorum iudiciorum mori alludit Aristophanes Plut. v. 973. Prodit ibi in scenam vetula quaedam ab amasio quondam paupere, nunc divite, deserta, Plutum accusans eumque sibi malorum non ferendorum causam esse querens. *Quid igitur*, Chremes ait, *num tu fortassis inter mulieres sycophantria eras, ideoque communem malorum hominum fortunam experta es, qui, quum antea, dum Plutus caecus esset, divitiis affluerent, nunc visu illi restituto, in paupertatem delapsi sunt?* Quum neget anus, pergit ille: *Ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι;* h. e. ad verbum: *Num forte non sortita bibebas secundum sortis ordinem?* ubi tacite quivis supplet: *sed absque sorte bibebas, etiam quum non liceret?* Moris autem fuisse videtur apud veteres, ut conviviis de ordine bibendi sortirentur, quo spectat illud Ovidianum, Art. amand. v. 581:

Huic, si sorte bibes, sortem concede priorem,

— et ni fallor, etiam alios Aristophanis versus, Lysistrat. 208, ubi, quum mulieres apud vini calicem coniurent, una earum primo loco iurare et bibere cupit, altera autem intercedit:

Μὰ τὴν Ἀφροδίτην, οὔκ, ἐάν γε μὴ λάχῃς.

(Conf. Suid. in *πρὶν λαχεῖν*.) Igitur proprie ille Pluti versus significat: *num forte bibosa fuisti et vini cupida?* quod vitium in mulieribus saepe notat Aristophanes: sed facile spectatoribus, quum de *sortiendo* et de *littera* audirent, iudicum sortitio occurrit, senseruntque omnes oblique perstringi a poeta pravam illam *φιληλιαστῶν* cupiditatem, qua incitati omni ratione etiamsi, non sortiti essent, iudices sedere studebant, quamquam id gravissimae poenae obnoxium fuisse docet Schol. ad Plut. v. 277: *εἰ δέ τις δικαστὴς εἰσῄει μὴ κληρωθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, διαφόρως ἐζημιοῦτο.*

Schottus et Marklandus hoc loco pro *τοὺς στρατιώτας* rescribendum censent *τοὺς στρατηγούς* aut *τοὺς στρατηγοῦντας*, merito respuit Meierus noster, de bon. damnat. p. 124. Strategi enim in his causis *ἡγεμονίαν τοῦ δικαστηρίου* s. iurisdictionem habebant, neque igitur ipsi iudicare, *δικάζειν*, poterant. Et, quo magis mireris istam coniecturam, in hac ipsa oratione et in altera, quae hanc excipit, multis locis apertissime *στρατηγοὶ* a *δικασταῖς* distingnuntur, imprimis p. 557, secundae orationis initio: *Ἐγὼ μὲν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ ὑμᾶς αἰτοῦμαι τὰ δίκαια ψηφίσασθαι, καὶ τῶν στρατηγῶν δέομαι, ἐπεὶ καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ ἀρχῇ πολλοῦ ἄξιοι τῇ πόλει γεγόνασι, καὶ περὶ τῶν τῆς ἀστρατείας γραφῶν κοινοὺς εἶναι τῷτε διώκοντι καὶ τῷ φεύγοντι.* Atqui hic locus etiam Marklando scrupulum iniecit; quaerit enim: „Quinam sunt hi *ἄνδρες δικασταί*, iudices, qui tam clare distinguuntur a strategis?“ Sed pessime respondet: „Hi, qui in hac causa sedebant iudices, et quorum per leges erat iurisdictio, (quasi vero *iudicem sedere* et *iurisdictionem habere* idem sit;) strategi erant anni currentis, prout loquimur: isti alteri vero strategi, qui Alcibiadi in hac causa favebant, et qui distinguuntur a iudicibus, strategi fuerunt istius anni, in quo hoc crimen admiserat Alcibiades.“ Hoc quam fal-
31 sum sit, quivis intelliget, qui vel proximas paginas attente perlegerit, e quibus manifestum sit, hos ipsos strategos, quorum aequitatem orator implorat, non advocatos Alcibiadis esse, sed iudicii praesides ac moderatores, neque igitur munere abiisse, sed quum maxime fungi. Omnis enim oratoris argumentatio in eo versatur, ut ostendat, quam iniquum sit, eos, qui iudicio praesint, advocatorum et deprecatorum personam suscipere, id quod nunc isti faciant. Contra Marklandum igitur illi *στρατιῶται* locum suum facile tuentur; sed etiam Meieri correctionem, etsi dubitanter propositam, *οἱ ἐστρατευκότες*, (aut *ἐστρατευμένοι*, quae forma usitatior est apud Atticos,) supervacaneam esse arbitror. Quidni enim *στρατιῶται* dicantur non quidem in universum ii, qui aliquando stipendia fecerunt, quem sensum nescio cur Meierus nostro loco requirat, sed ii, qui tunc militabant, quum ista delicta committerentur, de quibus iudicium habendum est? Haec explicatio verisimillima mihi videtur, in illo praesertim contextu; et similiter etiam apud Demosth. or. in Polycl. p. 1206 extr. iudices appellantur: *ὅσοι μὲν τῶν στρατιωτῶν ἐστὲ καὶ παρῆτε ἐκεῖ*, ubi *στρατιῶται* non alii sunt, quam nostro loco, ii nimirum, qui militarunt illo bello, in quo iniuriam sibi a Polycle factam esse queritur

orator[10]). Ad hoc sunt in utraque oratione Lysiaca loci nonnulli, qui ostendunt eos iudices, apud quos hae orationes habentur, ipsos participes illius expeditionis fuisse, in qua Alcibiades deliquerat, e. g. p. 522: *οὐκ ἐξῆλθε μεθ' ὑμῶν στρατοπεδευομένων.* p. 526: *οὐκ ἐτολμᾶτε ἀπολιπεῖν τὰς τάξεις οὐδὲ τὰ ἀρεστὰ ὑμῖν αὐτοῖς αἱρεῖσθαι κτλ.* pag. 570: *ὅτε ᾤεσθε πρὸς τοὺς πολεμίους κινδυνεύειν.* 32
Haec omnia sufficient, opinor, et ad tuendam et ad explicandam loci Lysiaci lectionem. Sed si *στρατιῶται* tantum de eiusmodi causis iudicare poterant, manifestum est quod dixi, in sortiendis iudicibus ordinarium modum deserendum et cum alio commutandum fuisse, quum fieri saepissime posset, ut in omnibus Heliastarum decuriis paucissimi essent *στρατιῶται*, iique per omnes dispersi, ideoque decuriatim sortiri non possent, sed ex omnibus eos secerni, et, si iusto numero pauciores essent, alios fortassis assumi oporteret. Simile quiddam etiam tum fieri necesse erat, quum ad iudicandam aliquam causam non alios adhiberi liceret, nisi qui mysteriis initiati essent, cuius generis exemplum exstat apud Andocidem de myst. pag. 14: *Ἔδοξεν οὖν τῷ δήμῳ, ἐν τῷ τῶν Θεσμοθετῶν δικαστηρίῳ τοὺς μεμυημένους, ἀκούσαντας τὰς μηνύσεις, ἃς ἕκαστος ἐμήνυσε, διαδικάσαι.* Etiam hanc ipsam Andocidis orationem apud initiatos iudices habitam esse docent haec verba, p. 16: *πρὸς δὲ τούτοις μεμύησθε καὶ ἑωράκατε τοῖν θεοῖν τὰ ἱερά.* Neque dubitari potest, quin omnes eiusmodi causae, quae ad mysteria arcanaque sacra pertinerent, apud initiatos iudices agendae fuerint. Vid. Pollux VIII, 123.

[10) Cf. et Andoc. de myst. §. 75.]

APPENDIX DE DICASTERIIS,

AD CAP. IV.

33 De numero dicasteriorum quamquam certi aliquid et explorati afferri posse despero, tamen haud abs re fore duco, veterum scriptorum locos, ex quibus omnis haec quaestio pendet, paullo accuratius examinare, quum praesertim sint in iis nonnulli, de quorum vel emendatione vel explicatione sententiam meam doctorum iudicio proponere cupiam. Ac primum de scholiaste Aristoph., qui in decem dicasteriis sortitos iudices sedisse tradit, quid statuendum mihi videatur, supra exposui §. XI. Petitus autem, hunc unum sibi auctorem sequendum putans, in congerendis decem Heliasticorum dicasteriorum nominibus varie erravit. Primum enim quod quattuor Ephetica hoc numero comprehendit, probare non possum. In Palladio quidem de caedibus inconsulto factis Demosthenis aetate Heliastas iudicasse non
34 nego [1]); quodsi de his illi iudicarunt, probabile est etiam in Delphinio eosdem iudices fuisse, quum quis occisum a se hominem fateretur, sed iure caesum esse defenderet. Quamquam sunt quidam apud Demosthenem loci, qui ostendant ne haec quidem in Delphinio et Palladio iudicia Ephetis plane adempta fuisse (or. in Aristocrat. p. 632, in Macartat. p. 1069); unde difficillima exsistit quaestio, quaenam Ephetarum officia quaque ratione cum Heliastis communicata aut plane in hos translata sint. Huic nodo solvendo imparem me esse ingenue fa-

---

1) Cf. Isocrat. in Callimach. c. 21, ubi septingenti iudices in Palladio de caede non voluntaria iudicasse narrantur. Non meminit huius loci Matthiaeus.

teor; experiantur alii, quid efficere possint. Sed in eo dicasterio, quod vocabatur *ἐπὶ Πρυτανείῳ*, Heliastas iudices sedisse non credo, quum ea, quae ibi haberi solebant, iudicia dicis tantum causa instituerentur, ne piaculum in civitate resideret, (vid. qui a Matthiaeo laudantur pag. 152 sqq.) neque igitur causa ulla esset, cur haec quoque populus ad se traheret. In dicasterio autem *ἐν Φρεαττοῖ* causam dicebant ii, qui, quum ob caedem non voluntariam exsilio annuo multati essent, necdum a propinquis occisi veniam impetrassent, novae caedis eiusque consulto factae accusati erant. (Matth. p. 155.) Eiusmodi causas rarissimas esse, neque unquam fere, nisi in maximis civitatibus incidere, iam Aristoteles monuit, Polit. IV, 17; itaque has quoque Ephetis relictas esse non est quod dubitemus.

Praeter Ephetica quattuor dicasteria[2]) Petitus haecce enumerat: 35
Heliaeam, Trigonum, Parabystum medium, Parabystum maius, Dicasterium ad Lycum et Dicasterium Metichi, quorum omnium meminit Iulius Pollux VIII, 121. Sed de his singillatim disputandum est.

De Heliaea non attinet multis disserere. Frequens eius mentio est et apud ipsos veteres et apud Grammaticos, qui omnium, praeter Areopagum, iudiciorum hoc maximum fuisse testantur, in quo et iudices plurimi sederint, et maximae gravissimaeque causae iudicatae sint. Qui autem in Heliaea iudices sedent, proprie *Ἡλιασταὶ* vocantur, et iudicare in Heliaea *ἡλιάζειν* est aut *ἡλιάζεσθαι*. Saepissime tamen horum verborum significatio etiam latius patet et in alios quoque iudices, qui quidem sortiti erant, transfertur. Ita v. c. apud Aristophanem Vesp. v. 206 Philocleon *Ἡλιαστὴς* dicitur et v. 88 *φιληλιαστής*, ubi de propria significatione cogitari non potest. Neque enim erant Heliastae a reliquis iudicibus ita discreti, ut nusquam nisi in Heliaea iudicarent, sed omnes iudices in omnibus dicasteriis sedere poterant, prout sors cuiusque quoque die cecidisset. Itaque Philocleon 36
ipse v. 120 non in Heliaea sed in alio quodam dicasterio, quod *Καινὸν* s. Novum vocabatur, sedisse dicitur, et v. 1108 sqq. collegae eius, senes Heliastae, ita de se ipsi loquuntur:

---

2) Quintum his adnumerandum foret, *τὸ ἐν Ζέᾳ*, e Lex. rhet. p. 311, 17, nisi satis manifestum esset, non aliud hoc esse atque *τὸ ἐν Φρεαττοῖ*, quamquam a Grammatico isto seorsum numeratur. Sed hac de re hic pluribus disserere nec vacat neque opus est. Ceterum ex eodem Grammatico p. 243, 16 discimus dicasterium *ἐπὶ Πρυτανείῳ* etiam *Ἐπάλξεις* dictum esse.

ξυλλεγέντες γὰρ καθ᾽ ἑσμοὺς, ὡςπερεὶ τἀνθρήνια,
οἱ μὲν ἡμῶν οὔπερ ἄρχων, οἱ δὲ παρὰ τοὺς ἕνδεκα,
οἱ δ᾽ ἐν Ὠιδείῳ δικάζουσ᾽, οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις.

Item iudicialis merces apud Aristophanem *ἡλιαστικὸς μισθὸς* dicitur, Nubb. 863:

ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον ἡλιαστικόν.

Et Equitt. v. 799:

ὡς τοῦτον δεῖ ποτ᾽ ἐν Ἀρκαδίᾳ πεντώβολον ἡλιάσασθαι,

quis non intelligit, *ἡλιάσασθαι* idem plane esse, atque *δικάσαι?* Neque minus apud Demosth. or. in Timocrat. p. 716, ubi lex affertur de debitoribus aerarii, *ἡλιάζεσθαι* generali sensu dictum est: *ἔνδειξιν εἶναι κατ᾽ αὐτοῦ (τοῦ ὀφείλοντος), καθάπερ ἐάν τις ὀφείλων τῷ δημοσίῳ ἡλιάζηται.* Nam non modo in Heliaea sed ne in minoribus quidem dicasteriis iudices esse poterant aerarii debitores, quippe qui *ἄτιμοι* essent et ad nullam reipublicae partem admitterentur. — Huiuscemodi plura afferri possint; sed rem nemini iam dubiam esse arbitror. Neque vero mirum videri potest ab eo iudicio omnes deno-
37 minari, in quo semper plurimi, nonnunquam fortassis universi iudices sederent, praesertim si statuamus ipsum Heliaeae nomen, quum primitiva significatione commune esset et omnem iudicum consessum designaret, postea demum uni praecipuo iudicio proprium factum esse. Quamquam enim plerique Grammatici nomen illud ab *ἡλίῳ* derivatum esse putant, quod locus subdialis fuerit et solis radiis patens, alii tamen rectius id a verbo *ἁλίζειν* aut *ἁλιάζειν* deductum esse statuunt, unde est Herodoteum *ἁλίη, conventus,* et *ἁλία, concio,* in Psephismate Byzantiorum apud Demosth. de coron. p. 255 et in Pseph. Gelensium apud Gruterum, Inscr. p. 401 et Taylor. ad Demosth. l. l., et *ἁλίασμα βουλᾶς, senatus consessus,* in eodem Psephismate. — Ita, ut unum saltem testem producam, Grammaticus Seguerianus in Bekkeri Anecdott. I p. 311: *Ἡλιαία δὲ ἐκλήθη ἤτοι παρὰ τὸ ἐν αὐτῇ ἁλιάζεσθαι, τουτέστιν ἀθροίζεσθαι, ἢ διὰ τὸ ὕπαιθρον εἶναι τὸν τόπον καὶ ἡλιοῦσθαι.* Conf. Stephan. Byzant. p. 292 ed. Pinedi et Ulpian. ad Demosth. in Timocr. p. 445 Benen. Quin videtur etiam apud Antiphontem de saltat. p. 774 R. *ἡλιαία* generali significatu accipiendum esse pro *δικαστηρίῳ: ἀναβὰς εἰς τὴν ἡλιαίαν τὴν τῶν Θεσμοθετῶν.* (Ita enim Taylorus ad Demosth. in Aristocrat. p. 629, 16 rectissime mutavit vulgatam scripturam: *τὴν ἡλιακήν.*) Certe paullo post ita loquitur, p. 775: *ἀναβὰς ἐγὼ εἰς τὸ δικαστή-*

ριον, et apud Andocidem p. 14 R. legimus: *ἐν τῷ τῶν Θεσμοθετῶν δικαστηρίῳ*.

Post Heliaeam Iulius Pollux nominat *τὸ Τρίγωνον*, eiusque a Dinarcho mentionem factam esse dicit; Harpocration autem etiam Ly- 38
curgum atqus Menandrum eius meminisse ait. Nomen a forma derivatum esse patet. Vid. Pausan. I c. 28, Harpocr. h. v. et Lex. Rhetor. in Bekk. Anecd. I p. 307 et 309.

Sequitur apud Pollucem: *μέσον Παράβυστον, μεῖζον Παράβυστον· καὶ μείζονος δὲ μέμνηται Λυσίας· ἐν μέν τοι τῷ Παραβύστῳ οἱ ἕνδεκα ἐδίκαζον.* Sed hunc locum corruptum esse non dubito. Nam si duo erant Parabysta, alterum medium alterum maius, non poterant sane opponi inter se *maius* et *Parabystum*, sed ita loqui debebat Pollux: *καὶ μείζ. δὲ μέμν. Λυσίας· ἐν μέν τοι τῷ μέσῳ* etc. Duo autem Parabysta nemo agnoscit; omnes unum modo commemorant, in quo ius dictum sit ab Undecimviris. Vid. Pausan. Att. c. 28, Harpocr. h. v., Suidas, Lex. rhetor. p. 292 aliique. Conf. Taylor. ad Dem. in Timocrat. p. 715, 20. Itaque non dubito, quin apud Pollucem e codicibus Mss. legendum sit: *Μέσον, Παράβυστον, Μεῖζον. Παραβύστου δὲ καὶ Μείζονος μέμν. Λυσίας· ἐν μέν τοι τῷ Παρ. οἱ ἕνδ. ἐδίκ.*, quam lectionem etiam Schottus et Iungermannus vulgatae praeferendam iudicarunt. Habebimus itaque pro duobus tria dicasteria, quorum unum, quod reliquis in propinquo sitis maius erat, *Μεῖζον*, alterum, quod erat in loco abdito, *Παράβυστον*, tertium denique, medium illorum, *Μέσον* vocabatur. Atque de Parabysti etymo testatur Pausanias l. l., neque audiendi sunt, qui clandestina nobis iudicia in eo habita narrant, ut Etymol. M. in *Παράβυστον* et Lex. rhetor. l. l. A talibus enim iudiciis Atticae reipublicae ratio quam maxime abhorrebat. *Μέσον* autem et *Μεῖζον* nomina sunt non magis mira 39
quam *Καινὸν*, cuius diserte mentionem facit Aristophanes Vesp. v. 120, aut *Βατραχιοῦν* et *Φοινικιοῦν* apud Pausan. I, 28, 8. Quod autem Schol. ad Aristoph. l. l. ait: *Καινός, τόπος ἐν τῷ δικαστηρίῳ· εἰσὶ δὲ παράβυστος, καινός, τρίγωνος, μέσος*, quamquam inscitissime loquitur, ostendit tamen quodammodo, *Μέσον* non idem esse atque illud, quod vulgo *παράβυστον* simpliciter vocatur, id quod Petitus aliique opinati sunt.

Pergit Pollux: *τὸ Μητίχου κάλλιον, οὗ μνημονεύει Ἀνδροτίων*, et paucis interiectis: *τὸ δὲ Μητίχου δικαστήριον μέγα, οὕτω κληθὲν ἀπὸ ἀρχιτέκτονος Μητίχου.* Hic primum non dubito, quin

rectius legatur pro *Μητίχου* — *Μητιόχου*[3]), quemadmodum hoc nomen scriptum exstat in Lex. rhetor. pag. 309, 17, et Photii Lex. apud Albert. ad Hesych. h. v. Quamquam enim reliqui Grammatici, qui huius dicasterii meminerunt, omnes in illa forma conspirant, tamen neque alibi unquam, ni fallor, hoc nomen reperitur, neque unde formatum sit, perspici potest; contra *Μητίοχος* nomen aliunde notum est. Dein pro *κάλλιον* Toupius, Emend. in Suid. et Hesych. Vol. IV, pag. 378, legendum suasit: *καλούμενον*, quam coniecturam probavit Matthiaeus de Iudic. pag. 230. Sed vulgata lectio bene habet[4]), estque *κάλλιον* ea significatione accipiendum, quam docet Lex. rhetor. pag. 270: *Κάλλιον, λιπρὸς ναὸς, ἐξ αὐτοσχεδίου γενόμενος.* Id etiam Schneiderus iudicat, Lex. Gr. II, p. 961, iudicabuntque omnes, qui meminerint idem illud Metichium dicasterium ab aliis *Μητίχου* (*Μητιόχου*) *τέμενος* vocari, velut ab Hesychio h. v. et auct. Lex. rhetor. p. 303[5]). Erat igitur haud dubie templum in quo iudicia haberi solebant, aut conditum a Metiocho quodam architecto, quod vult Iulius Pollux, aut, si orator fuerit ille Metiochus, eius consilio sive exstructum sive iudiciis habendis destinatum, in qua sententia nonnullos fuisse apparet e Lex. rhetor. p. 309: *Τέμενος Μητιόχου· δικαστήριον, ὀνομασθὲν ἀπὸ Μητιόχου ἀρχιτέκτονος ἢ ῥήτορος τῶν τὰ βέλτιστα συμβουλευσάντων.* Et sane Metiochi oratoris meminit etiam Plutarch. praecept. reipubl. gerend., cap. 15. Afferuntur ibi e poeta nescio quo hi versus:

Μητίοχος μὲν (inser. *νῦν* aut *γάρ*) *στρατηγεῖ, Μητίοχος δὲ τὰς ὁδούς,*
Μητίοχος δ' ἄρτους ἐποπτᾷ[6]), *Μητίοχος δὲ τἄλφιτα,*

---

3) [Non dubitandum fuit de *Μητίχου* nomine. Vid. C. Keil. Analect. epigr. p. 91.]

4) [Immo scribendum videtur *τὸ Κάλλειον*. Vid. Phot. s. v. Ductum nomen, ab eo q. e. *Καλλέας* pr. *Καλλίας*.]

5) His iamdudum scriptis, eandem hanc et de *Μητιόχου* et de *Καλλίου* nomine sententiam a Bastio probatam vidi, Epist. crit. p. 158 sq.

6) Reisk. pro *ἐποπτᾷ*, quod ad *τὰς ὁδούς* trahi non potest, corrigit *ἐποπτεῖ*, quod verbum nusquam, ni fallor, invenitur. Mihi omnia sana videntur, modo ista duo hemistichia: *Μητ. δὲ τὰς ὁδούς* et *Μητ. δὲ τἄλφιτα* locum inter se commutent. *Ἐποπτᾷ* haud dubie a poeta scriptum est ridiculi causa pro eo, quod exspectes, *ἐποπτεύει*. Ceterum designantur illis verbis *ὁδοποιῶν* et *σιτοφυλάκων* munera, de quibus vid. Boeckh. de oecon. Ath. I, p. 183 et 91.

Μητίοχος δὲ πάντα ποιεῖ, Μητίοχος δ'οἰμώξεται [7]). 41
Addit autem Plutarchus: *Τῶν Περικλέους οὗτος εἷς ἦν ἑταίρων, τῇ δι' ἐκεῖνον, ὡς ἔοικε, δυνάμει χρώμενος ἐπιφθόνως καὶ κατακόρως.* — Ceterum utar hac occasione ad sanandum locum mutilatum Lex. rhetor. p. 269 extr. et 270. Leguntur ibi haecce: *Κάλλιον· δικαστήριον Ἀθήνησιν οὕτω καλούμενον ἀπὸ τοῦ καλλύνειν καὶ κοσμεῖν καὶ λαμπρύνειν.* Existimarit aliquis Grammaticum nostrum nomen *Κάλλιον* a verbo *καλλύνειν* derivare voluisse. Sed quae sequuntur manifesto ostendunt ante haec verba: *ἀπὸ τοῦ καλλύνειν*, festi alicuius mentionem factam fuisse. Ait enim: *Ἄγραυλος γὰρ ἱέρεια πρώτη γενομένη τοὺς θεοὺς ἐκόσμησε. Πλυντήρια δὲ καλεῖται διὰ τὸ μετὰ τὸν θάνατον τῆς Ἀγραύλου ἑνὸς ἐνιαυτοῦ μὴ πλυθῆναι τὰς ἱερὰς ἐσθῆτας.* Rescribendum itaque: *Καλλυντήρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, οὕτω καλουμένη ἀπὸ τοῦ καλλύνειν κτλ.* Apparet quam facile librarius errare potuerit. *Καλλυντήρια* autem et *Πλυντήρια* festa notissima sunt. Vid. Meurs. Graec. fer. hh. vv. et Corsini Fast. Att. Diss. XIII.

Postremum a Polluce dicasterium nominatur *τὸ ἐπὶ Λύκῳ*, h. e. ad Lyci fanum. Erat autem hic Lycus vetus heros Atticus, de cuius historia conferendi sunt Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. v. 627 et Heynius ad Apollodor. p. 627. Ab hoc Pausanias I, c. 19 Lyceum illud notissimum nominatum esse tradit, quamquam mox id Apollini Lycio sacrum crediderint. Verisimile tamen est etiam posteris temporibus Lyci fanum hoc loco permansisse, in eiusque vicinia dicasterium illud 42
fuisse de quo Pollux loquitur. Illud certe a compluribus Grammaticis traditur, antiquitus in Lyceo ius dictum esse a Polemarcho. Vid. Suid. in *ἄρχων*, auctor *συναγωγ. λέξ. χρησ.* in Bekk. Anecd. I, p. 449, et Hesych. in *Ἐπιλύκιον*, quo nomine illud tribunal fuisse videtur, nisi forte rescrib. *ἐπὶ Λύκῳ*. Quidni igitur postea quoque iudicia ibi habita esse credamus? Attamen Hudtwalckerus, de arbitr. p. 14, illud *ἐπὶ Λύκῳ* dicasterium unquam fuisse negat, ratione, ut mihi videtur, non satis firma usus. Nam quod dicit ante pleraque aut praecipua saltem Athenarum dicasteria Lyci herois vel statuas vel sacella (*ἡρῷα*) posita fuisse, non equidem id nego, sed non intelligo, cur propterea unum ex his dicasteriis peculiari nomine *τὸ ἐπὶ Λύκῳ* dici non potuerit. Erraverit Pollux in eo, quod ante hoc unum dicasterium Lyci

[7]) Cf. Meinek. fragm. com. IV p. 675.]

sacellum fuisse credidit, id quod verba eius ostendere videntur: *καὶ ἥρως δὲ ἵδρυται αὐτόθι, ἔχων τοῦ θηρίου τὴν μορφήν*: erraverit etiam in eo, quod huc tantum eos convenisse putavit, qui iudices corrumpere conarentur. Num propterea ipsum illud dicasterium ne fuisse quidem credamus? Mihi quidem non minus peccare videntur, qui parum, quam qui nimium credunt.

Praeter haec, quae a Polluce enumerantur, dicasteria alia nulla Athenis fuisse, vel ipsius verba nos credere vetant, quum satis diserte indicet se nonnisi de nobilioribus dicturum. Ex iis autem, quae omisit,
43 nullum esse, quod ignoremus, haud facile quisquam sibi persuadebit. Illud potius crediderim, non pauca esse, quorum nulla notitia ad nos pervenerit. Sed quorum apud veteres nomina exstant, haec sunt. Primum *τὸ Καινόν*, apud Aristoph. Vesp. v. 120:

- - ἐδίκαζεν εἰς τὸ Καινὸν ἐμπεσών.

Porro Odeum, apud eundem eiusdem fabulae v. 1104. (1109 Br.) Atque huius etiam Demosthenes meminit, sive quis alius pro auctore orationis in Neaeram habendus est, p. 1362, et *τὰς σίτου δίκας*, sive lites de alimentis repudiatae uxori a marito aut viduae a mariti heredibus praebendis ibi diiudicari oportuisse docet, id quod Pollux VIII, 33, aliique Grammatici certatim repetunt, quos omnes laudare nihil attinet, non magis quam scholiastae illius inscitiam explodere, qui (ad Aristoph. l. l.) unus omnium rem certissimam ignorat et hyperbolam frigidissimam Aristophani affingit.

Etiam Ardettus, de quo supra Cap. II. dictum est, dicasterium vocatur a Polluce VIII, 122: *ὤμνυον δὲ ἐν Ἀρδήττῳ δικαστηρίῳ.* Sed quum reliqui omnes Grammatici, quotquot huius loci mentionem faciunt, de iudiciis ibi habitis taceant, lapsum esse Pollucem Meursius iudicat. Equidem rem in medio relinquere malo, quam cum Kuhnio legere: *ὤμνυον δ' ἐν Ἀρδ. δικαστήρια*, quod ne graecum quidem est. Debebat saltem *τὰ δικαστήρια* scribi.

Duo alia dicasteria Pausanias nominat, *Βατραχιοῦν* et *Φοινικιοῦν* a colore dicta, I, c. 28. Sed est hic locus paullo obscurior.
44 quamobrem totum adscribendum duxi: *Τὸν μὲν οὖν καλούμενον Παράβυστον καὶ Τρίγωνον* (leg. *τὸ — καλούμ.*, quod dictum est pro *τὰ καλούμ.*, non sine exemplo) *τὸ μὲν ἐν ἀφανεῖ πόλεως ὄν, — τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος ἔχει τὰ ὀνόματα. Βατραχιοῦν δὲ καὶ Φοινικιοῦν ἀπὸ χρωμάτων.* Ambigi possit, num quae dicebantur Parabystum et Trigonum, eadem etiam *Βατραχιοῦν* et *Φοινικιοῦν*

dicta velit, a coloribus, an vero haec ab illis diversa fuerint. Illam explicationem amicus quidam potiorem iudicavit propter omissum ante *Βατρ.* et *Φοινικ.* articulum. Mihi contra videtur. Haud raro enim Pausanias articulum omittere solet, etiam ubi maxime necessarius videri possit; et si Parabystum et Trigonum etiam aliis nominibus vocata essent, permirum sane esset haec a nemine eorum omnium, qui de istis dicasteriis loquuntur, commemorari.

Etiam in Thesei templo iudicia haberi solita legimus apud Etymologum (v. *Θησεῖον*), haud sane gravem auctorem, in hoc praesertim rerum genere. Quodsi quis huic soli fidem habere nolit, facile feram. Ceteri enim nihil eiusmodi tradunt, nisi quis huc trahendum putet schol. ad Aristoph. Ecclesiaz. c. 681. Ibi enim quum dicat Praxagora:

καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ Βῆτ᾽ ἐπὶ τὴν στωὰν ἀκολουθεῖν
τὴν Βασίλειον δειπνήσοντας, τοὺς Θῆτ᾽ ἐς τὴν παρὰ ταύτην,
τοὺς δ᾽ ἐκ τοῦ Κάππ᾽ ἐς τὴν στωὰν χωρεῖν τὴν ἀλφιτόπωλιν,

scholiastes *τὸ Θησεῖον* designari arbitratur, quasi vero non satis manifesto de porticu aliqua sermo sit. Sed huic neque habuit quisquam fidem, neque, ut opinor, habebit. Ceterum mihi ex eo, quod ad sortitionem iudiciorum Aristophanes h. l. alludit, nequaquam consequi videtur, non alia ab eo loca nominari, quam in quibus iudicia haberi solita sint. Neque igitur, si quis cum Meursio pro Theseo porticum illam, quae Thracum dicebatur, designari putet, quod sane verum arbitror, propterea in hac iudicia habita esse contendam, non magis quam in porticu farinaria. Nam in regia quidem, cuius item mentio fit, ius dictum esse ab Archonte secundo seu Rege vulgo notum est (Pausan. Attic. c. 2, 1); quamquam utrum Heliastae quoque iudices ibi sederint, an soli Areopagitae, nescire me fateor. Conf. Schedii Dissert. de Areopag. c. 6, § 1. Neque magis scio, quodnam fuerit dicasterium *πρὸς τοῖς τειχίοις*, cuius apud Aristophanem mentio fit, Vesp. v. 1109; quamquam hoc ipsum nonnulli pro Thesei templo habuerunt (Hauptmann. Forum. Attic. ab Andocide propos. in Reisk. orr. gr. VIII, p. 601) quoniam ex quattuor, quae Athenis erant, Theseis unum ad longos muros situm erat. — Aliquot dicasteria in via quae dicebatur *τῶν Ἑρμογλύφων* fuisse apparet e Plutarch. de Genio Socr. c. 10: *πορευομένοις δ᾽ αὐτοῖς διὰ τῶν Ἑρμογλύφων* (ita leg. cum Reisk. pro *ἑρμογλυφιῶν*.) *παρὰ τὰ δικαστήρια σύες ἀπαντῶσιν ἀθρόοι κτλ.* Sed haec fortassis ex iis sunt, quorum nomina supra cognovimus.

Ceterum non in urbe solum sed etiam in Piraeeo ius dictum esse
46 Casaubonus et Duckerus arbitrantur, ad Aristoph. Equitt. v. 979. Id ego ita verum esse existimo, si de minoribus inter emptores ac venditores controversiis levioribusque delictis in foro rerum venalium et in portu commissis accipias, de quibus magistratus ipsi, non adhibito iudicum consilio, ius dicere solebant. Sedebant autem in Piraeeo plures magistratus, inter quos Agoranomi quinque totidemque Astynomi, porro curatores emporii, Sitophylaces aliique fortassis plures, quos iurisdictionem aliquam habuisse dubitari vix potest[8]). Sed maiores causas, tum publicas, veluti φάσεις, tum privatas, de contractibus negotiatorum, quae ad Heliastici iudicii cognitionem pertinebant, in Piraeeo, non in urbe, diiudicatas esse nullo testimonio probari potest. Nam illud quidem non dubito, quin Aristophanes illo, quem indicavi, loco aliter interpretandus sit, atque a scholiastis, Casaubono et Duckero factum est. Verba eius haec sunt:

καίτοι πρεσβυτέρων τινῶν
οἵων ἀργαλεωτάτων
ἐν τῷ δείγματι τῶν δικῶν
ἤκουσ' ἀντιλεγόντων κτλ.

E scholiastis alter, postquam explicuit, quid esset *τὸ δεῖγμα*, locus nimirum in Piraeeo, ubi mercium vendendarum specimina proponi
47 moris esset, *τὸ δὲ τῶν δικῶν*, ait, *προςέθηκεν, ἵνα διαβάλλῃ τὸ φιλόδικον τῶν Ἀθηναίων.* Alter brevius: *ἐν τῷ Πειραιεῖ, ὅπου δικάζουσιν.* Similiter Casaubonus: „in Digmate, ubi convenire solent mercatores aliique otiosi homines, et ubi lites saepe disceptantur." Eadem fere Duckerus habet. Mihi autem illud *δεῖγμα τῶν δικῶν* omnino non in Piraeeo quaerendum esse videtur. Nam primum, etiamsi maxime in Piraeeo iudicia habita sint, tamen id non in Digmate factum esse credam, inter maximam mercatorum emtorumque, baiulorum, praeconum atque aliorum id genus hominum turbam; dein *δεῖγμα τῶν δικῶν* nihil aliud significare potest, nisi locum aliquem, ubi *δικῶν* quasi quaedam specimina, sicut mercium in illo Piraeensi, proponuntur. Atque is locus, ni fallor, erat forum urbanum, ubi actionum, quum publicarum, tum, ut videtur, etiam privatarum, quae apud quemque magistratum institutae erant, tituli aut summaria tabulis in-

---

8) De Agoranomis quidem certa res est ex Aristoph. Vesp. v. 1397, et de curatoribus emporii ex orat. in Theocrin. p. 1324.

scripta proponebantur aut ante Eponymorum statuas aut pro tribunalium foribus [9]). Erant autem urbanorum magistratuum, si non omnium, at plurimorum certe tribunalia in foro.

Vix autem operae pretium est refutare errorem Hauptmanni, inter dicasteria etiam Eleusinium templum numerantis. Nam quem testem citat, Andocidem de Myster. p. 55 R., eum nihil eiusmodi testari 48
attentus lector facile intelliget. Loquitur enim ibi non de iudicum consessu, sed de Senatu postridie Mysteriorum in Eleusinio congregato; ad quem Senatum etiamsi accusationes nonnunquam de delictis per Eleusinia commissis deferebantur, non tamen propterea templum illud dicasterii loco haberi potest, non magis quam Bacchi theatrum, in quo et ipso, Demosthenis quidem aetate, post Eleusinia, Dionysia et alia quaedam festa querelae (προβολαί) de eiusmodi delictis ad populum ibi congregatum deferri solebant. Sed haec iam alio loco a me exposita sunt, de comitiis Athen. L. II, c. 5, p. 234 sqq., quamobrem hic plura addere non opus est. Neque in aliis Hauptmanni et aliorum erroribus refellendis diutius immorari libet, ne longiorem ipso libello appendicem faciam.

Gryphiswaldiae mense Octob. ann. MDCCCXX.

---

9) Cf. de hoc more Demosth. in Mid. p. 548. Isocr. de permut. p. 109, ed. *Orell.* Or. in Theocrin. p. 1324. Liban. in Apolog. Socrat. ap. Herald. Animadvers. p. 555.

ANIMADVERSIONES DE IUDICIIS HELIASTICIS.

3 Agitata est nuper in Ienensi philologorum conventu quaestio de iudiciis Atheniensium[1]), resque nonnullae, quae ab iis, qui antehac in eodem argumento elaborarunt, aut praetermissae aut minus accurate tractatae viderentur, denuo in disceptationem vocatae sunt, auctore Theodore Bergkio, viro praestantissimo, neque minus iudicii subtilitate quam doctrinae ubertate conspicuo, a quo quum novae quaedam coniecturae proponerentur, non defuerunt quidem qui statim contra dicerent, sed ita tamen, ut non satis ad omnia respondisse videantur. Hanc ob causam nos, qui interesse coram disputantibus non potuerimus, hac nunc utemur scribendi opportunitate, ut nostram quoque sententiam interponamus et quae maxime ad rem pertinere videantur expromamus. Versata est autem omnis illa disputatio imprimis circa numerum ac potestatem heliastarum, quum quaereretur, totidemne iam a Solone instituti essent, quot Aristophanis et oratorum temporibus fuisse comperimus, potestatemque iam ab initio eandem quam postea habuissent, an minore olim numero ac potestate fuissent, et posteriore demum tempore quum plures facti, tum iure ac potestate aucti essent. Ac Bergkii quidem summa disputationis haec fuit: magnam illam iudiciorum heliasticorum auctoritatem, et multitudinem eorum, qui quotannis sortiti in albo iudicum inscriberentur, aliquanto recentiorem esse Solonis aetate. Hunc enim magistratibus eam potestatem, ut causas ad se delatas ipsi etiam diiudicarent, sicut olim
4 habuerant, ita legibus suis reliquisse, hoc uno temperamento adhibito,

1) Verhandlungen der neunten Versammlung deutscher Philologen, Schulmänner und Orientalisten (Iena 1847) p. 38—46.

ut ab eorum sententiis provocare ad populares iudices liceret. Quodsi provocatum esset, tunc ex universo populo iudices, quot commodum videretur, electos, neque unquam apud huiusmodi iudices nisi provocatione certatum esse. Id primum Clisthenem immutasse, detracto magistratibus prisco iudicandi munere perpetuisque iudiciis popularibus institutis, in quibus essent viri octingenti et quinquaginta, in quattuor dicasteria sive consilia distributi, quorum uni sex thesmothetae, reliquis singuli archontes superiores praesiderent; nonnunquam tamen in caussis maioribus etiam omnes in unum congregatos, eamque congregationem ἡλιαίαν dictam esse, propterea quod in eo loco convenirent, qui olim, ante comitium in Pnyce exstructum, populi concionibus destinatus fuerit. Postremo a Pericle auctum esse numerum ad sex millia, introducta simul mercede iudiciali; atque hinc demum eam iudiciorum formam ac descriptionem extitisse, quae oratorum aetate obtinuit.

His nonnulla, ut dixi, in illo ipso conventu opposita sunt, quae breviter, ubi res feret, a me commemorabuntur. Ac primum quidem de numero Vischerus professus est, ne sibi quidem unquam credibile visum, sex millia iudicum iam a Solone instituta esse. In eadem vero sententia etiam ceteros, si minus omnes, plerosque saltem fuisse arbitror, et errasse Bergkium, quum istam, quam sibi refutandam sumpserat, opinionem vulgo receptam esse autumaret. Nam eos quidem certe, qui tributim sortitos iudices, sexcentenos e singulis tribubus, docuerunt, necesse est numerum illum non iam a Solone sed postea demum institutum credidisse, quum decem tribus non ante Clisthenem fuisse scirent. Quam multi ante hoc tempus iudices fuerint, quum a veteribus non relatum sit, recentiores in medio reliquerunt, quos pigeret scilicet quaerere quod inveniri non posse praeviderent. Quodsi cui tamen divinare libet, non equidem intercedo, quominus cum Vischero quingeni tributim aut etiam milleni sumatur, ut ex omnibus quattuor tribubus aut bis mille aut quater mille evadant, quem numerum non nimis magnum Solonis aetate fuisse satis a Vi- 5
schero expositum est. Sex autem millia iudicum a Pericle demum effecta esse haud facile quisquam sibi persuaderi patietur propter summum hac de re apud omnes scriptores silentium, qui quum de ceteris huius viri rebus gestis et institutis satis accurate exponant, et iudiciali mercede introducta non mediocriter auctam plebis potestatem saepenumero commemorent, tamen de multitudine iudicum aucta,

quam Bergkius causam fuisse vult etiam mercedis introducendae, nihil quidquam ab ullo aut testatum aut significatum est. Bergkius autem ipse professus est, sese prius, si minus sex, at certe quinque millia iudicum iam a Clisthene, decem tribuum conditore, effecta credidisse, sed mutasse postea sententiam propter quendam Stephani Byzantii locum, adhuc ab omnibus neglectum, qui de heliasticis iudiciis ea doceret, quae quum neque in Periclis neque in Solonis aetatem caderent, non possent non ad intermedium tempus pertinere. Leguntur apud Stephanum haec: *Ἡλιαία, μέγα δικαστήριον Ἀθηναίων· παρὰ τὸ ἅλις, δεύτερον παράγωγον, Ἁλία καὶ Ἡλιαία· ἔστι δὲ τὸ μέγα δικαστήριον, τὸ ἐκ τῶν τεττάρων ἠλισμένον δικαστηρίων, ἐκ πεντακοσίων καὶ πεντήκοντα καὶ διακοσίων καὶ ἑκατόν*: neque ignoratum hunc locum ab iis, qui de re iudiciaria Atheniensium scripserunt [2]), sed spretum esse credo, ut hominis imperiti, qui ipse quid diceret nesciret. Nunc autem Bergkius nescio quid reconditae doctrinae odoratus, hanc in clara luce collocandam, et quae breviter ab isto et implicite significata essent, ad eum, quem paullo ante proposui, modum explicanda censuit, articulum etiam advertendum esse monens, quo ille utatur, *ἐκ τῶν τεττάρων δικαστηρίων*. Nempe vis articuli haec est, ut rem certam notamque designet et ab aliis eiusdem generis rebus distinguat: iudiciorum autem illa descriptio scriptoris istius
6 aequalibus satis nota erat, ut quilibet statim, articulo admonitus, quaenam essent illa quattuor iudicia recordaretur. Immo vero nihil in omni antiquitate obscurius, nihil igitur isto articulo mirabilius est. Neque minus res ipsa omnisque illa quam Bergkius excogitavit forma iudiciorum mirabilis videri debet. Fuerit sane ante Periclem iurisdictio penes solos archontes, dicasteriaque fuerint haud amplius quattuor, quibus illi praeessent: illa tamen distributio iudicum tam inaequalis qua tandem ratione quove consilio institui potuit? Nam in uno dicasterio quingenti, in altero quinquaginta, in tertio ducenti, in quarto centum fuisse dicuntur. Ceterum dubitari vix potest, quin alter ex his numeris apud Stephanum corruptus sit: neque causa corruptelae in obscuro est, siquidem nihil facilius quam notae numerales ν′ (h. e. quinquaginta) et υ′ (h. e. quadringenti), permutari a librariis potuerunt.

---

2) Protulerat eum iamdudum Th. Voemelius in dissertatione ante hos quinque et viginti annos edita, De Heliaea (Francof. 1822) p. 11 not. 4. nosque ipsi commemoravimus saltem in diss. de sortit. iud. (Gryph. 1820) p. 37.

Scriptum igitur olim fuit ἐκ φ' καὶ υ', h. e. ἐκ πεντακοσίων καὶ τετρακοσίων: ac fortasse etiam medium inter τετρακοσίων et διακοσίων numerum, h. e. τριακοσίων, excidisse aliquis suspicetur, aut potius consulto praetermissum, scilicet ne numerus quattuor dicasteriorum excederetur. Neque illud dubito, quin pro ἐκ τῶν τεττάρων δικαστηρίων rescribendum sit ἐκ τριῶν ἢ τεττάρων δικαστηρίων. Nam triplicia et quadruplicia iudicia heliastica, h. e. ex tribus aut quattuor dicasteriis conflata, satis aliunde nota sunt. Sed quum singula dicasteria virorum essent quingenorum, in triplici iudicio mille et quingentos, in quadruplici bis mille fuisse apparet, ubi autem minus quingenti memorantur, non integra dicasteria, nedum plura coniuncta fuisse manifestum est. Atqui, obiiciat aliquis, apud Stephanum triplicia et quadruplicia iudicia, et tamen quingenti tantum aut quadringenti aut etiam pauciores iudices sunt: nonne hinc consequitur, haec ad aliam quandam dicasteriorum descriptionem pertinere, ab ea, quam aliunde novimus, prorsus diversam, eius autem, quam Bergkius proposuit, similem? Noli credere. Meminisse enim oportet hunc quem habemus librum nihil nisi epitomen esse ex uberiore Stephani opere ab Hermolao quodam parum accurate factam. Stephanus igitur dubitari non potest quin a maioribus illis iudiciis triplicibus aut quadrupli- 7
cibus distinxerit haec minora ἐκ πεντακοσίων καὶ τετρακοσίων et sic porro, quum haud plus uno dicasterio aut ne id quidem integrum adhiberetur: epitomator autem, commemoratis illis maioribus, subiunxit statim hos numeros, quae minorum erant, et sic monstrum illud testimonii natum est, quo falli virum acutissimum potuisse iure mireris.

Non minus autem de potestate iudiciis a Solone tributa errasse Bergkium arbitror, quamquam huius quidem erroris non hic unus, sed alii quoque viri doctissimi culpam sustinent. Sunt enim non pauci[3]), qui heliastas iudices a Solone hoc tantum consilio institutos velint, ut de provocatione apud eos certaretur, eiusque rei testem Plutarchum esse dicunt, qui in vita Solonis c. 18, posteaquam ad iudiciale munus cives omnes, nullo census aut ordinis discrimine, admissos, idque initio quidem haud magnum, mox vero omnium maximum visum esse tradidit, quum pleraeque causae ad iudices deferrentur, rationem huius rei his verbis proponit: καὶ γάρ, inquit, ὅσα ταῖς

---

3) C. F. Hermann. Antiquitt. iur. publ. §. 107. F. C. Dahlmann. Politic. p. 30 ed. 2. Thirlwall Histor. Graec. tom. II. p. 43 vers. germ., aliique fortasse plures.

ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκε τοῖς βουλομένοις. Quid est autem, quod his verbis doceamur? Primum hoc, opinor: instituisse Solonem id quod utique necesse erat fieri, ut de multis rebus a magistratibus decerneretur: deinde id quod proprium Solonis fuit, ut provocatio ad iudices etiam a magistratuum decretis omnibus esset. Sed iudices non esse nisi provocationum causa institutos, h. e. nullam controversiam quamvis magnam, nullum delictum quamvis grave deferri ad eos potuisse nisi per provocationem iudicioque prius a magistratibus facto, id vero neque Plutarchus neque alius quisquam testatus est. Quid? quod etiam postremis rei publicae temporibus, quum iudicium quidem de controversiis ac delictis penes magistratus nullum esset, sed instruerentur tantum apud eos causae et praepararentur iudicum cognitioni, nihilo minus tamen illud ipsum, quod a Solone Plutarchus institutum dicit, obtinuisse quodammodo fatendum est. Nam multa etiamtum magistratus in suo quisque genere decernebant, et subiici haec decreta iudicum cognitioni poterant, sive quis accusaret tanquam iniusta legibusque contraria, sive recusaret obsequi, quumque illi pro imperio agerent mulctamque dicerent, ad iudices provocaret. Potuit igitur vel his temporibus aliquis dicere: ὁ νόμος, ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκε τοῖς βουλομένοις. Proinde manifestum esse arbitror, etiam Plutarchi illud testimonium paullo circumspectius interpretandum fuisse. — Erravit porro Bergkius in eo, quod pugnare cum Plutarcho Suidam dixit, qui post Solonem archontes desiisse scriberet τὰς δίκας αὐτοτελεῖς ποιεῖσθαι. Nam quum δίκη αὐτοτελὴς ea sit, a qua provocari non potest, Plutarchus autem provocari a decretis magistratuum omnibus potuisse dicat, nihil aliud profecto quam nullas iam magistratuum δίκας αὐτοτελεῖς fuisse testatur. Atqui hoc ipsum etiam Suidas testatur: apparet ergo nullam esse inter hunc et Plutarchum hac quidem in re dissensionem. Sed vere inter se dissentire videri possint in hoc, quod, quum Suidas nihil post Solonem ab archontibus administratum esse scribat, praeterquam, ut ipse ait, ὑποκρίνειν (h. e. ἀνακρίνειν) τοὺς ἀντιδίκους, Plutarchus contra etiam τὸ κρίνειν magistratibus, non modo τὸ ἀνακρίνειν, a Solone iniunctum esse dicit. Tamen accuratius re perpensa facile hanc dissensionem componemus. Primum enim Suidam de solis novem archontibus, Plutarchum de magistratibus in universum loqui

videmus: deinde ille solum iudiciale munus, neque praeterea quidquam respicit, Plutarchus autem, quum *κρίνειν* verbum usurpet, non solum de causis iudicialibus, sed de omni genere consultorum ac decretorum cogitasse censendus est, siquidem verbi illius significationem latius quam alterius, *δικάζειν*, patere neminem fugit.

Heliaeae nomen recte Bergkius non ab eo quod est *ἥλιος*, 9
quemadmodum veteribus quibusdam visum est, sed indidem ductum esse statuit, unde *ἁλής* et *ἁλίζω*, ut propriam habeat conventus et congregatae multitudinis significationem: fallitur tantum in eo quod illam alteram originationem vulgo receptam credit. Nam eandem, quam ipse, dudum plerique probarunt. Illud quoque calidius, quod *ἡλιαίαν* de iudicum conventu iam Solonis aetate usurpari potuisse negavit. Nam quamvis alias illo nomine, aut dorica forma *ἁλία*, totius populi conciones appellari solerent, tamen nativa eius vis haec est, ut poterit non minus recte etiam de iudicum conventu dici, quum praesertim hi nec pauci essent, et totius populi quodammodo vices gererent, quod recte iam Sauppius monuit. Quod autem idem vir doctissimus dubitare se professus est, num *ἁλία* v. *ἁλιαία* usquam de loco conventus usurpatum esset, eximere fortasse hanc dubitationem poterit vetus Euripidis interpres, qui ad Orest. v. 859 haec habet: *ὁ δὲ τόπος, ἔνθα ἡ δίκη συνήχθη* (indicium dicit Argis habitum de Danaidibus) *περὶ τὴν μεγίστην ἄκραν* (*ἀγοράν?*) *ἔνθα καὶ Ἴναχος ἁλίσας τὸν λαὸν συνεβούλευσεν οἰκίζειν τὸ πεδίον, ἐξ ἐκείνου Ἁλιαία καλεῖται, ἡ νῦν Ἡλιαία λεγομένη.*

Denique dicendum aliquid etiam de Clisthene videtur, cuius aliquoties in illa disputatione mentio facta est. Hunc quum Goettlingius ab eupatridis, cuius ordinis ipse esset, ad populares partes transgressum diceret, negavit eum Sauppius ex eupatridis fuisse, Isocratis quodam loco permotus, de bigis §. 25, ubi Alcmaeonidae, quorum de gente Clisthenem fuisse constat, ab eupatridis distinguerentur. Nam is, cui illa oratio scripta est, Alcibiadis filius, de patris sui genere haec dicit: *ὁ γὰρ πατὴρ πρὸς μὲν ἀνδρῶν ἦν Εὐπατριδῶν, ὧν τὴν εὐγένειαν ἐξ αὐτῆς τῆς ἐπωνυμίας ῥᾴδιον γνῶναι, πρὸς γυναικῶν δ' Ἀλκμαιωνιδῶν.* Atqui ex eupatridis etiam Alcmaeonidas fuisse vel hinc apparet, quod complures huius familiae archontes fuisse novimus eo tempore, quum soli eupatridae illum magistratum capere possent [4]).

---

4) Exempla collegit Doederlinus in Ersch. et Grub. Encyclop. I, 3 p. 149.

10 Itaque Vischerus statuit, paternum genus Alcibiadis, ut minus insigne ac celebratum, generali tantum nobilitatis vocabulo, maternum contra proprio Alcmaeonidarum nomine indicari, propterea quod haec familia una omnium nobilissima esset. Sed ne paternum quidem genus Alcibiadis minus splendidum et insigne fuisse censendum est, siquidem originem deducebat ab Eurysace, Aiacis filio, cuius celebratum apud Athenienses nomen et memoriam fuisse vel hinc intelligas, quod etiam sacellum eius, *τὸ Εὐρυσάκειον*, extabat in celeberrima urbis regione, Colono forensi. Coniecerim igitur equidem, scriptum ab Isocrate fuisse *ἐξ Εὐρυσακιδῶν*, idque nomen, ut minus librariis tritum, cum altero magis obvio *Εὐπατριδῶν* commutatum esse. Neque sane immerito illud dici poterat, nobilitatem Eurysacidarum ex ipso nomine manifestam fieri, quippe quod eponymum ac progenitorem proderet heroem publice consecratum.

Haec sunt fere, quae nobis disputationem illam relegentibus in mentem venerunt, eaque in medio proponere non dubitavimus, quoniam in rerum obscurarum inquisitione, quo facilius ad veritatem perveniri possit, coniunctis multorum studiis opus est. Quod autem Bergkius professus est, sese, quae dixerit, non quo certa sibi et indubitata viderentur, sed ideo tantum dixisse, quo magis etiam alii ad quaerendum incitarentur, idem nos quoque profitemur. Itaque sicut non verendum nobis est, ne dissensio nostra a viro veritatis haud dubie amantissimo minus aequo animo accipiatur, ita ne nos quidem alios nobis contradicentes aegre feremus, sed si quid verius docere videbuntur, libenter gratoque animo accipiemus.

Scrib. Gryphiswaldiae ann. MDCCCXLVIII.

DE CAUSA LEPTINEA.

De causa Leptinea, in qua versatur una ex nobilissimis Demosthenis orationibus, non constat inter viros doctos, utrum in ordinario iudicio heliastico an in consessu nomothetarum acta sit. Illud alterum F.A.Wolfio visum est, eique et ego olim assensus sum [1]) et qui post me hanc quaestionem attigerunt, Heffterus, Platnerus, Bakius [2]); alterum autem nuper Westermanno placuit [3]), qui, ut est vir non minus iudicii subtilitate quam doctrinae copia eximius, sententiam suam argumentis fulcire annisus est perquam ad persuadendum aptis, ut equidem haud sane miraturus sim, si multi posthac in partes eius transierint. Nam me quoque viri doctissimi disputatione nonnihil commotum et propemodum ut assentirer inductum esse fateor. Neque tamen hoc diuturnum fuit. Mox enim ipsa Demosthenis oratione accuratius identidem perlecta et quaecunque in utramque partem valere possent diligenter perpensis, rursus verior visa est Wolfii sententia. Itaque hanc, sicut olim adolescentulus amplexus sum, sic nunc iam senior tuendam et adversus Westermanni argumenta defendendam suscepi. Sed quo rectius intelligi haec disputatio a lectoribus possit, de omni causa Leptinea, qualis fuerit, exponendum est. 3

Leptines igitur legem ad populum tulerat pertuleratque de immunitatibus quibusdam abolendis neque in posterum cuiquam am-

1) De comit. Ath. p. 280.

2) Heffter, d. athen. Gerichtsverf. p. 395. Platner, d. Process u. d. Klagen bei den Attikern II p. 60. 61. Bake, scholic. hypomnem. vol. IV, p. 57.

3) In dissert. quae inscripta est: Untersuchungen über die in die attischen Redner eingelegten Urkunden, in Actis Soc. scient. Saxon. class. phil.-hist. vol. II.

plius concedendis, quae cuiusmodi fuerint, non opus est nunc accuratius explicari. Sed quum ferendis novis legibus certus quidam ordo modusque a Solone praescriptus esset, hunc ille in lege sua ferenda observare neglexerat, pervagato illa aetate exemplo, quum leges plerumque non aliter quam aliae quaelibet rogationes (s. psephismata) ferri ad populum sciscique in comitiis solerent [4]). Nam a Solone quidem unum huic rei tempus praefinitum erat, institutumque ut semel tantum anni cuiusque initio legum quaedam censura, quam *ἐπιχειροτονίαν νόμων* Athenienses dixerunt, in comitiis ageretur rogareturque populus, ferrine novas leges abrogarique veteres permitteret, an omnes, sicut erant, retineri neque quidquam novari vellet: illa aetate
4 autem contra Solonis institutum pravus mos invaluerat legum quovis tempore ferendarum, quotiescunque latori placuisset commodumque esset. Porro Solon novam legem nullam ferri voluerat, nisi sic, ut abrogaretur simul diserte vetus lex, si qua esset huic novae aliquo modo contraria; hi autem recentioris aetatis legumlatores id quoque negligebant, nihil curantes essentne veteres leges novis, quas ipsi ferrent, contrariae nec ne. Item Solon sciscendarum legum potestatem non populo universo permiserat in comitiis promiscue congregato, sed pauciorum virorum iuratorum concilio, qui nomothetae vocabantur, ex Heliastis eius anni seligendo, populo autem nihil aliud tribuerat, nisi hoc unum, ut decerneret, velletne novas leges proponi, quae nomothetis examinandae et prout ipsis videretur sciscendae aut antiquandae traderentur, an nollet. Quod si nollet, omnem legum lationem omitti necesse erat: sin permitteret, reliqua actio omnis ad nomothetas pertinebat, apud quos, prorsus ad instar iudicii cuiusdam, qui novas leges ferrent veteresque abrogarent, hi tanquam accusatores veterum legum verba faciebant, contra autem defensorum partes agebant aliquot oratores, qui syndici vocabantur, ad hoc ipsum a populo creati, ut accusatores illos refellerent veterumque legum auctoritatem tuerentur atque defenderent. Denique ne cuiquam copia deesset novarum legum quam accuratissime cognoscendarum diligenterque examinandarum et cum veteribus comparandarum, quo facilius vel defendere has apud nomothetas, vel, si forte ipsi in nomothetis futuri essent, iudicare de utrisque possent, cautum erat, ut statim initio omnes novarum legum rogationes tabulis inscriptae in foro proponerentur, utque, ante quam apud

4) Vid. Demosth. Lept. p. 484 §. 91. 92. Timocr. p. 744 §. 142.

nomothetas de iis certaretur, — id quod non nisi interiectis aliquot viginti aut amplius diebus fieri poterat, — in omnibus, quae interim haberentur, comitiis a scriba recitarentur. — Horum omnium in Leptineae legis latione nihil quidquam observatum esse Demosthenes p. 484 §. 94 arguit, ut manifestum sit, quod supra dixi, legem illam, pervagato illius aetatis more, prorsus ad instar cuiuslibet psephismatis et latam ad populum et perlatam in comitiis esse, nullo nomothetarum interventu [5]).

Acceptam sic a populo legem impugnavit statim Bathippus quidam, intentata Leptini actione legis male rogatae, (quae γραφὴ παρανόμων dicitur,) cuius haec erat vis iure Attico, ut quod populus scivisset non tamen pro lege valeret neque ratum (κύριον) esset ante quam causa in legitimo iudicio acta, et populi scitum etiam iudicum suffragiis comprobatum esset, qui quidem quod populus sciverat etiam rescindere, si ipsis non probaretur, poterant. Sed Bathippus mortem obiit ante quam causa in iudicium deducta est, quique eius socii in accusando aut subscriptores fuerant, rem deseruerunt, atque sic praeteriit quidem tempus illud, intra quod lator legis, Leptines, reus agi poterat, nihilo magis tamen propterea lex eius nunc accusationi exempta et κυρία facta est, quum in eorum locum, qui causam deseruerunt, statim alii succederent pendentemque accusationem susciperent, Aphepsion Bathippi et Ctesippus Chabriae f., pro quo haec, quam legimus, oratio a Demosthene habita est. Atque sic rem se habere legemque Leptineam adhuc ἄκυρον esse neque iam pro rata ac vera lege habendam, complures loci huius orationis planissime demonstrant: veluti p. 497 §. 134, ubi admonentur iudices, quid consequuturum sit, si legem ratam fecerint, ὃ συμβήσεται διὰ τοῦ νόμου κυρίου γενομένου τῇ πόλει, h. e. διὰ τοῦ νόμου ἐὰν κύριος γένηται, vel ἐὰν τεθῇ, ut loquitur p. 463 §. 20, item p. 499 §. 139: εἰ — τὸν

5) Hoc mihi olim non satis perspectum fuit, quum statuerem, de comit. p. 280, veteres leges, quae iam diu receptae essent longoque usu convaluissent, abrogari novisque commutari non nisi apud nomothetas statutoque tempore, recentiores autem needum usu confirmatas accusari in Heliaea et qua quisque vellet tempore potuisse, idque in hanc Leptineam legem quadrare putarem. Non enim propterea in Heliaea res acta est, quod lex Leptinea nondum usu confirmata, sed quod prorsus nondum rata fuit, interposita statim, postquam in comitiis, contra vetus institutum, perlata esset, accusatione παρανόμων. Non immerito igitur illam alteram opinionem Westermannus p. 49 improbavit.

νόμον ποιήσετε κύριον, et p. 501 §. 143, ubi Leptines dicitur omni modo anniti, ut ratam faciat legem suam: σπουδάζων καὶ διατεινόμενος κύριον ποιεῖν τὸν νόμον. Nondum igitur rata lex, nondum κύριος νόμος erat, sed quamvis accepta a populo, tamen propter interpositam γραφὴν παρανόμων adhuc in pendenti erat, donec iudices de ea decrevissent.

De tali autem genere causarum, ubi legem a populo acceptam aliquis interposita παρανόμων actione impugnat et quominus rata fiat intercedit, non intelligo qua ratione in nomothetarum concilio agi potuisse credamus. Quosnam enim hos nomothetas fuisse putabimus? illosne legitimos, quos anni principio post legum ἐπιχειροτονίαν, si populus novas leges rogari, veteres abrogari permisisset, Solon creari iusserat? Atqui non agitur nunc in hac causa Leptinea de vetere aliqua lege abroganda novaque sciscenda, sed de lege nuperrime lata, necdum in legibus illis, quae vere leges dici possunt, numeranda: erat enim adhuc propter interpositam accusationem ἄκυρος, non poterat τοῖς κειμένοις νόμοις accenseri, de quibus, retinendaene an permutandae cum novis essent, apud nomothetas disceptandum erat. An forte extraordinarios quosdam nomothetas comminiscemur, qui iudicarent in actionibus legum male rogatarum, si quis legi a populo in comitiis acceptae intercessisset? Atqui neque indicium ullum aut testimonium extat nomothetarum propter eiusmodi causas creatorum, neque res ipsa per se credibilis est. Nam quum de ceteris παρανόμων actionibus in ordinario iudicio heliastico actum esse constet, sive ante latum a populo suffragium sive postea accusatio interposita esset, nulla sane ratio exputari poterit, cur in legibus plane ad aliorum psephismatum modum latis ac perlatis, iudicium ordinariis iudicibus ademptum extraordinariis nomothetis mandatum esse credamus. Neque Westermannum ego de nomothetis in hac Leptinea causa cogitaturum fuisse arbitror, nisi induxisset eum fallax quaedam species, ab ipso quidem Demosthene obiecta, sed quae discuti tamen posse videatur. Adversarii enim legis Leptinis in hoc iudicio non satis habent, legem eius ut inutilem rei publicae maleque rogatam impugnare, sed commendant simul aliam legem a semet ipsis conceptam, quae, quidquid in illa altera boni sit, et ipsa habeat, incommodis autem eius et iniquitatibus omnibus careat, scilicet quo facilius iudices ad respuendam legem deteriorem huius melioris respectu impellantur. Videntur sane sic illi novae legis rogationem cum alterius abrogatione coniun-

xisse, id quod fieri nisi apud nomothetas non potuisse in confesso est: quod quum ita sit, nonne consequi videbitur apud nomothetas hanc causam actam esse? Haec igitur est illa species, qua vir doctissimus se decipi passus est; sed discentere eam illa ipsa poterunt, quae porro apud Demosthenem de ferenda hac nova lege dicuntur. Etenim si res apud nomothetas ageretur, de utraque lege coniunctim iudicium 6
futurum erat, ut uno eodemque suffragio altera repudiata altera scisceretur, neque separatim de utraque sententiae ferrentur. In hac autem causa rem aliter se habuisse videbimus. Ait enim Demosthenes, Leptinem apud thesmothetas, h. e. in instructione huius litis, suspicionem iniecisse, ubi semel sua lex a iudicibus reiecta foret, adversarios alteram ab ipsis conceptam promissamque non tamen esse laturos. Occurritur huic suspicioni a Demosthene duobus argumentis, altero infirmo sane et vano, cui proinde se ipsum nihil admodum tribuere ostendit, altero autem probo et iusto. Horum prius paucissimis verbis significat potius quam exponit, p. 487 §. 99: *τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ*, inquit, *τοῦ τούτου νόμου λυθέντος τὸν παρεισενεχθέντα κύριον εἶναι σαφῶς ὁ παλαιὸς κελεύει νόμος*. h. e. antiqua lex Solonis, de legum ferendarum ordine modoque scripta, huiusmodi est, ut si repudiata nunc á iudicibus fuerit Leptinis lex, alteram, a nobis huic oppositam, statim ratam esse necesse sit. Sed, pergit, omittam hoc, ne quis mihi contradicat: *ἐάσω, ἵνα μή περὶ τούτου τις ἀντιλέγῃ μοι.* Quid sit, quod contra dici possit, ipse prudenter reticuit; potest tamen facile a quolibet, qui modo attendere velit, intelligi. Nempe antiqua illa, quam dicit, lex ad illum legum ferendarum modum pertinebat, quem unum Solon observari voluerat, quum annuam illam *ἐπιχειροτονίαν* institueret, de qua supra dictum est. Rogari novam legem Solon vetuerat, nisi abrogata simul lege vetere: reiecta a iudicibus lege vetere novam, quae ei obrogata esset, statim valere et *κυρίαν* esse iusserat. Atqui in hac causa Leptinea non agitur de abroganda lege vetere, sed interceditur per *γραφὴν παρανόμων* legi recentissimae, ante brevissimum tempus in comitiis, contra vetus institutum, perlatae, neque tamen propterea iam pro vera lege (*κυρίῳ* v. *κειμένῳ νόμῳ*) habendae, sed pendenti adhuc, donec iudices quid ea futurum sit pronuntiaverint. Ad huiusmodi causam Solonis illam legem haudquaquam pertinere manifestum est, neque id Demosthenem latuit, qui propterea, obiter tantum mentione eius iniecta, statim ipse se contendere hac de re nolle profitetur, intelligens scilicet, quam fa-

cile, si contendat, redargui ab adversariis possit. Itaque alterum horum suspicioni argumentum opponit, idque eiusmodi, unde nobis quidem prorsus manifestum fieri videatur, causam hanc non apud nomothetas, sed in ordinario iudicio heliastico actam esse. „Spondemus“ inquit §. 100, „ego, Phormio, et si quem alium vult, nos legem nostram (hanc scilicet, quam Leptineae ut meliorem opposuimus) reapse laturos esse: obnoxios nos facimus poenis gravissimis, quae legibus constitutae sunt in eos qui fidem aut populo aut senatui aut iudicibus datam fefellerint: thesmothetae hanc nostram sponsionem litteris consignanto: hi rem in potestate habento.“ Itemque alio loco p. 498 §. 137, posteaquam de commodis quibusdam disseruerat ex lege sua redundaturis, „haec“ inquit „fient, sive nos hanc legem tulerimus, quemadmodum spondemus laturosque nos esse pollicemur, sive adversarii nostri, qui nos eam non laturos esse suspicantur, ipsi tulerint, ubi primum nomothetas populus creari iusserit.“ Sic, opinor, Demosthenes loqui non potuit, nisi hi, apud quos loquitur, diversi essent a nomothetis, apud quos lex nova vel ab ipsis, qui eam conceperant, vel ab adversariis eorum perferri deberet.

7 His igitur rationibus permoti et Wolfius olim et nos, qui eum ducem sequebamur, Leptineam causam in nomothetarum concilio actam esse negavimus. Videndum nunc, quid his a Westermanno opponatur. Huius primum argumentum ex Demosthenis verbis ducitur, quae leguntur p. 484 §. 89: *ὁ παλαιός, ὃν οὗτος παρέβη, νόμος οὕτω κελεύει νομοθετεῖν, γράφεσθαι μέν, ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται, παρεισφέρειν δ' αὐτὸν ἄλλον, ὃν ἂν τιθῇ λύων ἐκεῖνον, ὑμᾶς δ' ἀκούσαντας ἑλέσθαι τὸν κρείττω.* Scilicet novae legis sciscendae veterisque pro ea reprobandae potestatem Solonis instituto solis nomothetis datam esse constat: ergo Demosthenes, quum *ὑμᾶς* dicat *ἑλέσθαι τὸν κρείττω*, nonne hos, quos alloquitur, melioremque legem ab iis sciscendam esse ait, ipsos quoque nomothetas esse testatur? Non credo hoc argumentum recte conclusum esse. Illud *ὑμᾶς* nihil aliud significat, quam homines vestri ordinis: eiusdem autem ordinis et iudices erant, qui in ordinario *παρανόμων* indicio sedebant, et nomothetae, qui novas leges probabant sciscebantque, nempe utrique ex Heliastis. Immo licebat adeo Demostheni eodem pronomine uti, etiamsi a Solone non huius

ordinis hominibus, sed universo populo in comitiis congregato sciscendarum legum potestas permissa esset. Quis enim ignorat, quam saepe apud oratores iudicibus tribuantur, quae proprie populi universi sunt, cuius illi pars erant eiusque quasi personam sustinebant. Sic apud Isaeum, de Nicostr. her. §. 17: *κατὰ γὰρ τοὺς νόμους οἱ συγγενεῖς ἀμφισβητοῦσιν, οὓς ὑμεῖς ἔθεσθε*, nemo facile credet, hos quos orator alloquitur, nomothetas esse: sunt enim iudices in causa hereditatis; sed dici tamen possunt leges scivisse, quoniam de populo sunt, qui olim leges illas si minus ipse sciverat, scisci tamen ab hominibus ad eam rem delectis iusserat. Ex eodem genere haec sunt, de Astyph. her. §. 34: *τοὺς νόμους, οὓς ὑμεῖς ἔθεσθε, βεβαιώσατέ μοι.* et de Philoct. her. §. 49: *ταυτὶ τὰ γράμματα ὑμεῖς ἐνομοθετήσατε.* aliaque multa, quae congerere nihil attinet, ut in re omnium pervulgatissima.

Alterum argumentum sumitur e p. 485 §. 94, ubi Demosthenes, posteaquam commemoravit, quid in novis legibus ferendis ex vetere instituto observandum sit, ut apud iuratos iudices, non in comitiis ferantur, ut abrogentur simul veteres leges his novis contrariae, utque hae ipsae, ante quam de iis statuatur, ad faciliorem cognitionem et proponantur in tabulis perscriptae apud forum, et in comitiis identidem a scriba recitentur, — his igitur commemoratis subiungit: *τούτων τοίνυν τοσούτων ὄντων δικαίων τὸ πλῆθος οὑτοσὶ μὲν οὐδ' ὁτιοῦν ἐποίησε Λεπτίνης· οὐδὲ γὰρ ἂν ὑμεῖς*[6]) *ποτ' ἐπείσθητε, ὡς ἐγὼ νομίζω, θέσθαι τὸν νόμον: ἡμεῖς δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πάντα, καὶ παρεισφέρομεν πολλῷ καὶ κρείττω καὶ δικαιότερον τοῦ τούτου νόμου.* Omnia, inquit, in ferenda lege nos observavimus: in his omnibus autem inest etiam hoc, ut de abroganda vetere, roganda nova lege apud nomothetas agatur: ergo consequitur hanc causam Leptineam apud nomothetas actam esse. Sic fere Westermannus argumentatur, unum verbum *πάντα* ultra quam par erat urgendo. Nam si vere omnia quae Leptines neglexisse ar- 8
guitur, ab eius adversariis observata essent, consequeretur hinc non

6) Apparet etiam hoc loco pronomen ad eum, quem supra exposui, modum accipi debere, ut populus intelligatur, cuius iudices pars sunt. Nam Leptinis legem non a iudicibus aut nomothetis, sed a populo in comitiis acceptam fuisse certissimum est: *θέσθαι* autem modo de populo dicitur, modo de latore legis, modo etiam de iudicibus aut de nomothetis legem suffragio suo confirmantibus.

modo expectatum esse legitimum ferendarum legum tempus, quod erat anni principio, propositam porro legem in foro esse apud statuas eponymorum recitatamque identidem in comitiis, sed etiam, posteaquam populus agi de ea apud nomothetas permisisset, apud hos nunc coniunctim de utraque lege sententiam ferendam esse, ut, si repudiata esset Leptinea, propter hoc ipsum altera, quam adversarii tulerant, rata esset, neque separatim de ea suffragium ferretur. Hunc enim esse legitimum huius rei ordinem iam supra monuimus, simul autem ex ipso Demosthene demonstravimus, in hac causa Leptinea rem se non sic habuisse, damnataque Leptinis lege haudquaquam tamen alteram statim ratam futuram fuisse, sed expectandum aliud tempus, quo apud nomothetas ferretur. Quod si cui forte nondum tamen satis luculenter a nobis demonstratum esse videatur, paullo post etiam apertius futurum nullumque dubitandi locum relictum iri pollicemur: interim de isto verbo *πάντα*, quo tantopere Westermannus confisus est, cavendum esse monebimus in oratorum interpretatione, ne nimis omnia ad veritatem dicta accipiamus. Nam saepenumero illi aut plus aut minus dicunt, quam scrupulosa veritatis observatio ferat, si quid causae suae prodesse vel tantillum posse indicant. Ita hoc loco Demostheni, posteaquam Leptinem n i h i l p r o r s u s eorum quae deberet fecisse dixit, haec antithesis, ut ex altera parte o m n i a poneret, efficacius quodammodo iudicum aures impellere posse visa est, ideoque oblatam spernere noluit, neque officii sui esse duxit scrupulose quaerere, num re vera et summo iure omnia ab alteris facta dici possent, quae alter neglexisset. Illa figura tam in promptu fuit, ut, qui abstinere ea oratorem debuisse censeat, religionem requirat omnium minime oratoriam.

Videndum nunc de tertio eoque postremo argumento, ex verbis *παρεισφέρειν* v. *ἀντεισφέρειν τὸν νόμον, ὁ παρεισενεχθεὶς νόμος* ac similibus repetito, quibus aliquoties Demosthenes utitur de lege ab amicis suis Leptineae legi opposita. Negat enim Westermannus his verbis Demosthenem uti potuisse de lege nondum vere lata, sed postea demum, ubi nomothetae a populo constituti fuerint, apud hos ferenda, quemadmodum nobis visum est, sed manifestum hinc illud ipsum fieri credit, quod nos negavimus, legem iam nunc vere latam esse, ac non modo de repudianda lege Leptinea, sed etiam de sciscenda hac altera suffragium a iudicibus ferendum fuisse aut saltem ferri potuisse. Atqui nos sententiam nostram ipsius Demosthenis confessione probavimus, qui, quamvis saepe illis verbis utatur, illud tamen, quod Wester-

mannus inde colligit, ipse contendere non ausus sit. *Ἐάσω*, inquit, *ἵνα μὴ περὶ τούτου τις ἀντιλέγῃ μοι*, statimque sponsionem offert, legem reapse a se suisque amicis latum iri: qua sponsione quid opus fuit, si ea iam nunc vere lata esset, quemadmodum Westermannus voluit? Itaque quod ipse orator, ut infirmum et facile ad refellendum, statim abiecit, hoc ille nihilo minus sibi tuendum esse putavit. Negat enim Demosthenem, oratorem unum acutissimum et subtilissimum, legem illam, *τὸν παρεισενεχθέντα νόμον κύριον εἶναι τοῦ ἑτέρου λυθέντος*, commemoraturum fuisse, nisi eam in hanc ipsam causam convenire intellexisset. Ego contra, quo subtiliorem illum et acutiorem fuisse indico, tanto magis acumine suo et subtilitate usurum fuisse arbitror, ut legem illam reapse in hanc causam convenire demonstraret, non ut quasi obiter et in transcursu commemoratam statim rursus desereret: quod quum faciat, confitetur haud dubie, demonstrare se quod posuerit non posse. Cur igitur posuit? quaerat fortasse aliquis minus gnarus oratorum. Nam peritos sic non quaesituros esse arbitror, quippe qui perspectum habeant, in his praesertim forensibus orationibus, apud auditores plerosque indoctos nec nimis aut perspicaces aut iuris peritos, nunquam dubitasse oratores etiam falsa multa, sed speciosa proponere, ut, si minus dicerent aliquid, viderentur tamen auditoribus aliquid dicere: quo factum est, ut non illis modo, apud quos verba fecerunt, sed hodieque doctis interpretibus errorem aliquoties obiicerent. Sed operae pretium est considerare, quid porro excogitatum sit a viro doctissimo ad conceptam semel opinionem aliquo modo fulciendam. Primum fieri potuisse sumit, ut vetus illa lex procedente tempore nonnihil immutaretur, eamque causam fuisse, ut Demosthenes contendere de ea cum adversariis nollet. Qualem hanc mutationem fuisse velit, non explicat, neque opus est quaerere, quoniam ipse illam coniecturam sprevit, aliamque proponit, de cuius veritate non dubitare videtur. Non raro factum esse statuit, ut aliquis legem sibi vel suis damnosam aut molestam tantummodo abolitam vellet, idque vinceret apud nomothetas nova lege promittenda, quam tamen deinde non rogaret sed retraheret atque interverteret: eoque pertinere Demosthenis illam sponsionem, §. 100: *ἐγγυώμεθ' ἡμεῖς, ἐγώ, Φορμίων, ἄλλον εἴ τινα βούλεται, θήσειν τὸν νόμον*: ut *θήσειν* non hoc significet, laturos se postea legem promissam, sed latam non retracturos, non interversuros, in ferendo perseveraturos esse. Id mihi prorsus incredibile videtur. Nam quum lex aliqua abrogabatur

apud nomothetas nova lege subrogata, non duae ferebantur rogationes diversae, et quae separatim tractari possent, sed una eademque rogatio alteram legem aboleri simulque alteram sciscì postulabat. Necesse erat igitur etiam suffragium de utraque lege simul ferri, ut una eademque iudicum sententia alteram legem sisceret, alteram reprobaret. Westermannum autem si audimus, haec, quae res ipsa sanaque ratio coniungi iubebat, tamen separatim tractari potuisse statuendum erit, ut de una rogatione non semel, sed bis suffragium iudicibus daretur, primum de abolenda lege abrogata, deinde, haec si abolita esset, iterum de sciscenda lege nova, cuius accipiendae causa illam alteram abolevissent. Hoc quum ipsum per se mirum et incredibile sit, tum longe incredibilius est, quod porro credere iubemur: potuisse fieri, ut hanc alteram suffragii lationem actor impediret, ut nolle se diceret de lege sua suffragium iudicibus dari, ut, abolita illa, quam impugnaverat, alteram, propter quam ea abolita erat, retraheret atque interverteret, ut fidem datam falleret, ut iudicibus planissime et impudentissime illuderet. Id profecto ne per abusum quidem unquam fieri potuit: nam receptum usu et licitum fuisse, Westermannum ipsum non credere arbitror. Sed fac aliquando tentatum esse: quid facilius fuit, quam frustrari huiusmodi fallaciam? Nonne a magistratibus, qui praeerant iudicio, in suffragium iudices mitti oportebat, seu vellet actor, seu nollet? Aut si forte magistratus officii sui minus memores essent, nonne cogi poterant ab actoris adversariis, quorum intererat, ne ille fallaciae suae fructu potiretur? — Quodsi quis nihilo secius in ista opinione
10 perseveret, remque incredibilem sibi tamen credibilem esse contendat, nescio sane quid respondeam nisi forte illud Horatii:

non est quod plura loquamur:
nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. VIII. Non. Iul. ann. MDCCCLV.

ANIMADVERSIONES DE NOMOTHETIS.

In Plutarchi libello de septem sapientum convivio cap. 7 mentio 3
iniicitur de Lacedaemonio Chilone, qui amicitiam Soloni et hospitium renuntiasse dictus sit propterea quod is leges civitatum mutari posse debere pronuntiasset. Commenticiam esse hanc narratiunculam illi ipsi quidem, qui colloquentes apud Plutarchum inducuntur, non dubitant, siquidem etiam in Lacedaemoniorum civitate veterem formam rei publicae Lycurgus mutaverit novasque leges dederit; neque tamen abhorrere dicenda est a Lacedaemoniorum et Atheniensium ingenio et moribus, quorum alteri patriorum institutorum tenacissimi et a novandi studio longissime remoti, alteri autem mobiliore animo et novarum rerum plus saepe quam opus erat cupidi fuerunt. Ipsum autem Solonem Plutarchus, in eius vita c. 15, fassum esse memorat, sibi leges suas haudquaquam tales videri, quibus meliores nullae excogitari possent. Nam quum interrogatus esset, optimasne leges Atheniensibus dedisset, *sane, inquit, earum quidem, quas accepturi fuissent, optimas*: in quo responso hoc inesse apparet, attemperandas sibi leges fuisse ad civium suorum captum, qui quidem non accepturi fuissent nisi eas, quae voluntati suae studiisque ac moribus et rerum conditionibus accommodatae essent. Quod quum ita sit, fassus est etiam, aliis temporibus aliisque rerum conditionibus leges alias meliores fore. Longe igitur abfuit ab ea perversitate, ut leges a se latas immutabiles semper manere cuperet aut posse manere speraret; quodque apud Gellium legimus, N. A. II, 12, poenis et religionibus sancitum Athenis fuisse, ut sempiternae illae manerent, non minus profecto a Solonis sapientia quam ab Atheniensium moribus 4
abhorrens est. Neque verius est quod Plutarchus refert, Sol. c. 25,

illum legum suarum vim et auctoritatem in centum annos sanxisse: neque enim sperare poterat, tam longo tempore nullas futuras esse vel rerum vel hominum mutationes, quae leges quoque mutari necessario poscerent. Probabilior videtur Herodoti narratio, I, 29, iure iurando Athenienses a Solone obstrictos esse, ut per decennium leges eius immutatas observarent: quae narratio si vera est, hanc Solonis mentem fuisse dicemus, ut per illud temporis spatium non sane nimis longum legibus suis populum assuescere et bonitatem earum experiri vellet, post decennium autem non recusaret, quominus, si opus esse videretur, aliquid immutarent. Intellexit tamen haud dubie vir sapientissimus id quod neminem paullo prudentiorem latuit, magnopere cavendum esse, ne nimis faciles crebraeque fierent legum mutationes. Etenim, ut est apud Aristotelem, Polit. II, 8, lex vim suam praecipue obtinet per civium assuetudinem, quae non potest nisi temporis diuturnitate existere: quamobrem ubi facile leges mutantur, vis earum infringitur. Nec absurde Cleon apud Thucydidem III, 37 melius esse ait ac salubrius, veteres leges quamvis non optimas, retinere, quam novas ferre, quarum parum valeat auctoritas. Idcirco potestatem legum sciscendarum etiam in popularibus civitatibus, quamdiu aliquo saluburi aequae libertatis temperamento utuntur, non universae multitudini, in qua necesse est plerosque imperitos et ad prava consilia promptos esse, sed pauciorum ac selectorum virorum prudentiae et religioni permissam esse videmus. Atque sic rem etiam a Solone ordinatam esse non modo propter celebratam viri sapientiam credibile est, sed affirmatur disertis veterum scriptorum testimoniis, quorum unum nunc afferam Demosthenis, qui adv. Leptin. p. 485 §. 93, „videtis“, inquit, quo modo Solon quamque prudenter leges ferri iusserit, apud vos, viros iuratos, qui etiam ceterarum rerum summi iudices estis.“ Loquitur enim haec Demosthenes non in con-
5 cione ad populum universum, sed in heliaea apud indices selectos iuratosque, quos illa quidem aetate sorte captos esse constat, olim autem suffragiis civium creatos esse non absimile vero est. Talibus igitur viris Solon novarum legum sciscendarum veterumque tollendarum facultatem rectius quam multitudini promiscuae in comitiis congregatae permitti iudicavit, neque comitiorum hac in re aliud ius esse voluit, nisi ut qui rogaturus novam legem, abrogaturus veterem esset, — neque enim alterum sine altero fieri licuit, — veniam eius rei a populo peteret, quam si concessisset populus, certum quendam

numerum ex heliastarum ordine sumi iussit, apud quos de accipienda aut reiicienda lege certaretur plane ad modum causarum iudicialium. Nam accusabat veterem legem is, qui novam obrogaverat, defendebant illam novamque oppugnabant patroni s. *synegori* a populo ad hoc munus creati, iudicabant denique selecti illi heliastae, qui ab hoc ipso, quod eorum demum suffragiis lex scisci poterat, *nomothetae* dicebantur. — Hunc rei administrandae modum atque hanc nomothetarum institutionem a Solone praescriptam esse, sicut olim, h. e. ante annos XXXVI, et veterum testimoniis fretus et rationibus ex ipsa re ductis contra F. A. Wolfium probavi [1]), sic nuper etiam contra Georgium Grotium defendi, qui in celebratissimo opere historiae graecae nomothetas Pericleo demum aevo institutos esse autumavit, quod si verum esset, Solon de ferendis abrogandisque legibus aut nihil omnino statuisse, aut rei talis tantaeque arbitrium multitudinis suffragiis permisisse, aut denique ad aliam quamlam in re publica potestatem detulisse dicendus foret, quorum quidvis pariter improbabile esse non est quod arguam. Sed contra Grotium satis a me disputatum esse arbitror in libello ante paucos menses edito [2]), quo alios quoque viri clarissimi errores de Atheniensium forma rei publicae eiusque variis mutationibus refutare conatus sum, quamobrem quae ibi exposita sunt repetere hoc loco non opus est. Extitit autem post Grotium alius mihi adversarius, Ianus Bakius, harum litterarum, si C. F. Hermanno nostro credimus [3]), inter Batavos hodie signifer, qui scholicorum hypomne- 6
matum volumini quarto mirificam quandam dissertationem de *instituto legum emendandarum apud Athenienses* inseruit, in qua partim eadem quae Grotius, partim nova quaedam et sua profert. De hoc, quum contra Grotium disputarem, dicere nolui: nam indignum videbatur cum viro docto et acuto alterum componere, qui quantum vel doctrina vel iudicio valeret, satis superque iam aliis documentis demonstratum esset [4]). Nunc autem, quum redeat academicae

1) In libro de comitiis Atheniensium, Gryph. ann. 1819 edito, II c. 7 p. 265 sqq.

2) Die Verfassungsgeschichte Athen's nach G. Grote's History of Greece, kritisch geprüft von G. F. S. Lips. 1854.

3) Vid. viri clarissimi dissert. de probole apud Atticos, Ind. Schol. Götting. ann. 1847—48. p. 1.

4) In Schneidewini Philologo II p. 594 sqq. Cf. Boeckhii iudicium. Oecon. civ. Ath. tom. II p. 114 ed. alt.

scriptionis officium, mihique nuper demum ex itinere, quod valetudinis causa susceperam, reverso multisque rebus districto nihil in promptu sit, quod breviore tempore operaque faciliore tanquam obiter absolvi possit, paucas pagellas Bakio impendere statui, non quo refutare eum apud viros doctos atque intelligentes necesse habeam, sed ut tirones, ex quorum numero plerique harum scriptionum lectores esse solent, admoneantur Bakii exemplo, quo modo in huiusmodi quaestionibus non versandum, qui errores, quae vitia cavenda sint. Sed tangam ea tantum, quae nova et illius propria sunt; quae communia habet cum Grotio silentio praetermittam, utpote iam alibi refutata. Nova autem ista partim ad primam nomothetarum institutionem pertinent, partim ad eum rei modum atque ordinem, quem Demosthenis aetate legitimum fuisse ex huius orationibus discimus.

Itaque originem huius nomothetarum instituti vir acutissimus,
7 p. 3, non a Solone, quem veteres eius auctorem fuisse crediderunt, sed ab iis repetendam esse opinatur, qui versus finem belli Peloponnesiaci sublata quadringentorum dominatione libertatem populo restituerunt, quo tempore, ut ait Thucydides VIII, 97, convocabantur crebro comitia, in quibus quum alia, quae ad rem publicam pertinerent, tum nomothetae quoque decreti sunt: *ἐγίγνοντο*, inquit, *καὶ ἄλλαι ὕστερον πυκναὶ ἐκκλησίαι, ἀφ᾽ ὧν καὶ νομοθέτας καὶ τἆλλα ἐψηφίσαντο ἐς τὴν πολιτείαν.* Quicunque adhuc horum temporum historiam tractarunt, omnes Thucydidis narrationem sic intellexerunt, ut extraordinarios hos nomothetas fuisse agnoscerent, pariter atque illos, qui paullo ante ab oligarchis electi erant legibus condendis, triginta numero qui *συγγραφεῖς* vocabantur, eosque, qui post exactos triginta pagatim creati sunt viri quingenti ad leges recognoscendas novasque aut ferendas aut ab alias latas examinandas probandasque, qui et ipsi nomothetae dicebantur. Nec sane quisquam, qui vel narrationis Thucydideae contextum consideraverit, vel oratorum de vetusto nomothetarum instituto testimonia perpenderit, aliter iudicare potest. Cui enim credibile videbitur, Aeschinem et Demosthenem de re non multis ante se decenniis instituta — nam inter Demosthenis orationem Leptineam et abolitam quadringentorum potestatem anni sunt haud amplius septem et quinquaginta — tanquam de prisca constitutione et propter vetustatem propemodum obsoleta loqui, eiusque auctorem veterem illum legislatorem, ducentis amplius annis priorem, fingere potuisse? aut quis sibi persuadebit, a Thucydide rei tam memorabilis

sic obiter tantummodo et quasi in transcursu mentionem iniectam esse? Nimirum Bakio hoc unum satis fuit, quod nomothetas nullos ante illos Thucydideos diserte commemoratos vidit: quod argumentum quam futile sit, iniuriam lectoribus facerem si demonstrandum putarem. Hoc unum dicam, Bakium ipsum mirifice fluctuare, et quid sibi velit ipsum nescire videri. Nam p. 18 novarum legum ferendarum modum quendam ac disciplinam ab ipso Solone constitutam 8
esse concedit, itemque p. 24 non libertatem solum legum ferendarum, sed statam etiam opportunitatem a Solone consecratam (hoc enim verbo utitur) lectores suos docet. Igitur quum nomothetarum institutum a Solone abiudicet, et tamen certum quendam modum ac disciplinam statamque opportunitatem legum ferendarum ab eodem consecratam esse dicat, dubitari non potest, quin non eundem quem ceteris rogationibus sive psephismatis ferendis, sed alium quendam atque diversum ordinem modumque a Solone institutum velit. Quemnam igitur et qualem? Id vir optimus quaerere non necesse habuit. Nihil aliud nisi affirmat p. 31, sibi illud nomothetarum institutum a Solonis ingenio et consilio alienum videri, quippe qui, teste Plutarcho, Sol. c. 25, non multitudinis levitati leges suas permittere, sed in diuturnum tempus ratas esse voluerit. De isto Plutarchi testimonio quid iudicandum sit, supra monui. Ipsum vero nomothetarum institutum eiusmodi esse apparet, quod legum aut sciscendarum aut tollendarum potestatem multitudinis levitati adimat, et paucioribus quibusdam viris aetate maturis et iurisiurandi religione obstrictis permittat: quod cur a Solonis ingenio et consilio alienum videretur, nulla profecto causa erat.

Sequitur iam ut de eo legum ferendarum modo videamus, qui in duabus Demosthenis orationibus, adversus Leptinem et in Timocratem, partim ab ipso oratore memoratus, partim legum ibi insertarum verbis descriptus est. Atque has quidem non easdem illas veteres esse, quas Solon scripserat, ipse aspectus manifestum facit observatumque est quum a me, de comit. p. 266, tum ab aliis, qui postea hanc materiam tractarunt. Actum igitur agit signifer noster, quum rem a nullo in dubium vocatam tamen argumentis demonstrare aggreditur. Sunt autem etiam in hac parte eius dissertationis nonnulla inconsideratius dicta, velut quod ait p. 29: „primae prytaniae mentio, ut mihi quidem videtur, necessario legem revocat ad Clistheneam senatus et anni distributionem in decem prytanias?“ Quasi vero constet prytanias nullas esse 9

potuisse ante quam decem tribus a Clisthene factae et senatus quingentorum ex quinquagenis tributim compositus fuerat. Ea opinio quam vana sit vel hinc intelligi potest, quod sub finem belli Peloponnesiaci, quum senatus ad antiquum illum numerum quadringentorum, qui Solonis aetate fuit, revocatus esset, tamen etiam hi quadringenti in prytanias distribuebantur, quemadmodum Thucydides refert VIII, 70. Quidni ergo etiam Solonis illum senatum in prytanias distributum fuisse credamus, sive hae quattuor fuerint, pro tribuum numero, sive plures, velut octo, ut prytanes essent aut centeni aut quinquageni, qui vicissim suo quique tempore ceteris praesiderent? — Sed hoc levius est, siquidem, ut dixi, non desunt alia prorsus manifesta posterioris aetatis indicia, quae leges istas tales, quales ad Demosthenis orationem Timocrateam adscriptae sunt, non a Solone scriptas sed a posterioribus grammaticis partim ex oratoris verbis partim ex alii fontibus hodie ignotis concinnatas esse arguant, id quod omnium luculentissime demonstratum est ab A. Westermanno [5]) accuratissimae doctrinae subtilissimique indicii viro, quem honoris causa appello. Verum quamvis Solone recentior sit haec legum formula modusque et ordo legum lationi in iis praescriptus, ipsum tamen illud institutum, ut leges non ab universo populo sed a selectis iudicibus sive nomothetis sciscerentur, nihilo minus a Solone repetendum erit [6]). Neque illud dubitan-
10 dum est, quin non quolibet tempore novarum legum ferendarum potestatem Solon concesserit, sed unum ac certum anni tempus ei rei praefinierit, quemadmodum etiam in his recentioris formulae legibus fieri videmus: idque tempus cur non idem fuisse credamus quam quod recentiores leges praescribunt, primam cuiusque anni prytaniam, nulla

5) In commentatione quae inscripta est: Untersuchungen über die in die Attischen Redner eingelegten Urkunden. Lips. 1850. Extat ea commentatio etiam in Actis societ. scient. Saxon. class. philol. histor. vol. I. Bakius hanc nusquam memorat, licet biennio ante eius hypomnematum vol. IV editam, neque magis Grotii historiam Graecam etiam prius publicatam. Quid igitur? Non norat hos libros, an dissimulavit a se lectos esse, quo magis omnia sua dicere videretur?

6) Sic visum est omnibus, qui post me hanc quaestionem tractarunt, Wachsmuthio Antiqu. gr. I. p. 260 ed. I. Tittmanno, de Graec. rrb. publ. p. 146. Plattnero de lit. et actt. II, p. 38. Hefftero de Ath. iud. p. 158. C. F. Hermanno Antiqu. publ. Gr. § 131, 2. H. Schellingio de Solon. legg. p. 42 sqq. F. Frankio in Diurn. litt. Hal. ann. 1844 no. 184 p. 736. Westermanno l. l. p. 9 et in Pauli Encycl. real. vol. V p. 684. 5.

profecto causa est. — Hoc igitur tempus expectandum fuit novae legis latori atque tunc, in prima eius prytaniae ecclesia legitima, rogandus populus, vellet iuberetne ferendae novae legis potestatem dari, an non: et probabile est, persaepe olim eam potestatem non datam esse, unde explicandum est, quod Demosthenes ait, Leptin. p. 484 §. 91: *τότε μέν, τέως τὸν τρόπον τοῦτον ἐνομοθέτουν, τοῖς μὲν ὑπάρχουσι νόμοις ἐχρῶντο, καινοὺς δ' οὐκ ἐτίθεσαν.* Quodsi tamen ferendi potestas data esset, reliquum negotium ad eundem modum peragebatur, quem e Demosthenis orationibus cognoscimus. Nam quod promulgatio legis ad statuas eponymorum aut merces nomothetis solvenda recentius addita sunt, nihil facit ad rem.

In comitiis autem illis, ubi agebatur cum populo de venia latori novae legis concedenda, consentaneum fuit, ante quam in suffragium iretur etiam verba faciendi potestatem a prytanibus factam esse, ut liceret oratoribus surgere, qui veniam illam concedendam esse aut suaderent aut dissuaderent. Absurdum enim fuisset rem tanti momenti statim multitudinis imperitae nullisque prudentiorum consiliis edoctae arbitrio permitti. Igitur Bakius, quum tamen omnem disceptationem ex his comitiis exclusam velit, p. 34, vereor equidem, ne suam ipsius absurditatem iudicii prodiderit. Et operae pretium est rationem eius audire. Importunam enim eiusmodi disceptationem futuram fuisse autumat et praeterea otiosam (h. e. supervacuam), siquidem omnis in illis comitiis *διαχειροτονία* fieret *κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους*: quorum verborum vim et sententiam ego me nullo modo perspicere potuisse fateor, nisi hoc animadverti, *κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους* viro doctissimo, qua est graeci sermonis peritia, idem significare !! videri quam quod graece dicendum fuit *περὶ τῶν νόμων τῶν κειμένων*[7]). Sed tanto minus quid sibi velit intelligo.

Praescriptum erat porro, ut, si novam legem ferri populus permisisset, haec a latore in albo scripta publice proponeretur, utque ante quam apud nomothetas de ea ageretur, — id quod non nisi interiectis aliquot viginti aut amplius diebus fieri poterat, — in omnibus

---

7) Verba legis ap. Demosth. Timocr. p. 706 §. 20 haec sunt: *τὴν δ' ἐπιχειροτονίαν εἶναι τῶν νόμων κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους* „id est“, inquit B. p. 34, „non attingebat novas, quas forte quis ferret, sed tantum eas, quae ante perlatae essent.“ Item p. 41: „quam quisque novam legem ferret, — de hac lege (*κατὰ τοῦτον τὸν νόμον*) iudicium instituebatur decernente populo.“

quae interim haberentur comitiis a scriba recitaretur, scilicet quo melius, repetita identidem auditione, ab omnibus cognosceretur, id quod minus fortasse futurum erat, si ad legendum tantum proponeretur. Sic rem ipse Demosthenes exponit, adv. Lept. p. 485 §. 94: *ἐπέταξεν ἐκθεῖναι πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων καὶ τῷ γραμματεῖ παραδοῦναι· τοῦτον δ᾽ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγιγνώσκειν*: rationemque hanc addit: *ἵν᾽ ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας πολλάκις καὶ κατὰ σχολὴν σκεψάμενος, ἂν ᾖ καὶ δίκαια καὶ συμφέροντα, ταῦτα νομοθετῇ*. Nempe loquitur apud iudices heliastas, ex quibus etiam nomothetae sumebantur, qui quum de lege lata sententiam pronuntiant, eamque aut antiquant aut sciscunt, ipsi *νομοθετεῖν* dicuntur; sed manifestum est, non horum solum causa illam iteratam recitationem institutam esse, sed ceterorum quoque civium omnium, quo minus nova lex lateret quemquam eorum, quorum interesset. Tamen Bakio, nescio quam ob causam, repetita haec recitatio magnopere displicet: semel tantum novam legem recitari vult, in tertiis comitiis, quum de creandis nomothetis agitur; illud alterum, in omnibus ante quam nomothetae consedissent comitiis eam recitari, pene ridiculum dicit. Nonne autem semet ipsum potius ridiculum esse ostendit? quum
12 praesertim pro argumento tam mirifici iudicii Demosthenis locum afferat, in Timocr. p. 711, §. 36: *ἐκτιθέναι κελεύει τοῦ προειδέναι πάντας· ὡς τάχ᾽ ἄν, εἰ τύχοι, τοὺς μὲν ἀντειπόντας ἄν, εἰ προαίσθοιντο, λάθοι, οἱ δ᾽ οὐδὲν προσέχοντες ἀναγνοῖεν ἄν*. Scilicet quod non memoratur hoc loco repetita recitatio, hinc nullam fuisse colligit, nec licuisse Demostheni arbitratur, quum utriusque rei, et proponendae publice et recitandae identidem legis una eademque ratio esset, altera commemorata alteram silentio praetermittere[8]). Quid autem de Leptineae loco? Noli quaerere. Hic quoque Bakius sui similis. „In Leptinea" inquit „vel legendum vel certe intelligendum *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ*", in quo nescias utrum magis admireris, mutandine levitatem an intelligendi sollertiam, ut, quum plures dicantur eccle-

---

8) Etiam altero loco, Timocr. p. 705 §. 18, ubi de modo legum ferendarum loquitur, hanc repetitam recitationem praetermittit. Sed non omnia singulatim a se enumerari ipse monet, quum nonnullis commemoratis addit: *ἄλλα περὶ ὧν οὐδὲν ὑμᾶς κατεπείγει νῦν ἀκοῦσαι*. Nec mirum de ea recitatione taceri, quum de iis tantum dicendum esset, quae latori legis, non quae aliis, velut scribae rei publ., facienda erant.

siae, tamen una tantum audiatur. Vellem autem addidisset etiam vir sollertissimus, quid de adverbio *πολλάκις* in proximo membro faciendum esset. Nam si constare sibi vellet, debuit hic quoque praecipere, vel legendum vel certe intelligendum esse *ἅπαξ*.

Notum est porro, cautum fuisse apud Athenienses, ne quid *ἀπροβούλευτον* ad populum ferretur, h. e. ne quid ageretur cum populo absque senatus auctoritate, qua de re vid. quae exposui de comit. lib. I, c. 9. Itaque in legibus quoque ferendis eandem normam observari debuisse neminem facile dubitaturum fuisse credas. Dubitavit tamen Bakius, vel potius confidenter negavit. Nam, inquit p. 37, „iudicium de legibus liberum unicuique (*τῷ βουλομένῳ*), liberamque facultatem novae legis ferendae relinquebant. At quae, quaero, ista libertas fuisset, quae corrigi et impediri a senatu potuisset?“ Eadem, opinor, qua de ceteris quoque rebus unicuique (*τῷ βουλομένῳ*) rogationes ad populum ferre concessum erat, eadem, qua in omni bene constituta re publica cives utuntur, ut faciant quidem, quod velint, 13
verum ita, ut legum in eo praescriptiones observent. Quamobrem si lex erat, ut liceret quidem cuilibet ferre novam legem ad populum, verum ita, si senatus auctor esset, nemo sanus hac re libertatem imminutam queri poterat. Nam facere posse quidquid velis et quocunque modo velis, nulla lege, nulla auctoritate observata, non libertas sed licentia potius dicenda erit. Sed Athenis non sine senatus auctoritate legem ad populum ferri potuisse etiam Iulius Pollux testis est, VIII, 101: *τοὺς νέους νόμους ἐδοκίμαζεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ τὰ δικαστήρια.* Elevare hoc testimonium Bakius conatur primum propter vocem *νέους*, qua Pollux utitur, quum *καινούς* potius dicere debuisset, quemadmodum est apud Demosthenem. Sit sane hoc elegantius; at quis unquam vir prudens testi fidem habendam esse negavit, nisi si verbis in testimonio uteretur lectissimis? „Atqui“, pergit, „quae fuisset illa triplex in una re *δοκιμασία*? Ut rescindere potuerit *ὁ δῆμος* id quod senatus probasset? Sed populus in concione non pronuntiabat de novis legibus; nomothetas tantum constituebat qui pronuntiaturi essent.“ Mira sane hominis tarditas, qui non perspexerit rem omnium planissimam. Senatus novam legem *δοκιμάζειν* dicitur, quum decernit, utrum agi de ea cum populo liceat nec ne. Populi *δοκιμασία* non eadem erat in omni legum latione. Nam in primis illis anni comitiis, quae una Solon huic rei destinaverat, consistebat ea in hoc, ut novam legem veteri obrogari aut iuberet aut vetaret; quod

si iussisset, sequebatur, ut de nova lege apud nomothetas a populo constituendos disceptaretur, horumque suffragiis ea aut sciseeretur aut antiquaretur. Sed posteriore aetate Solonis illud institutum plerumque neglectum, leges non illo legitimo, sed quovis alio tempore latas, nihilque discriminis inter legum et psephismatum lationem observatum esse audimus[9]). In his igitur, quae sic ferebantur, legibus populus
14 ipse aut sciscebat quod latum erat, aut antiquabat, neque ullae erant nomothetarum partes; sed poterat populi scitum per actionem legis male rogatae, quae *γραφὴ παρανόμων* dicitur, ad iudicii disquisitionem vocari, idque est quod Pollux ait, *τοὺς νέους νόμους ἐδοκίμαζεν — — τὰ δικαστήρια.* Apparet enim Pollucem de hoc potius legem ferendarum modo, quem posteriore aetate invaluisse diximus, quam de legitima illa, quam Solon praescripserat, *νομοθεσίᾳ* cogitasse, id quod ipsum nomen *τὰ δικαστήρια* ostendit, pro quo *οἱ νομοθέται* dicendi fuissent, si de his cogitasset. Ceterum quod Bakius magno cum contemptu de Polluce loquitur, facit id non quidem sine exemplo, sed tamen sine recto ac sano iudicio. Est sane Pollux scriptor perquam saepe ineptus dignusque qui reprehendatur; sed haec reprehensio in alias potius eius operis partes quam in hunc librum octavum cadit, in quo Aristotelem auctorem sequi solet, id quod dudum a peritis observatum est. Neque ulla causa est, cur non hunc quoque locum de legibus ex Aristotele sumptum esse credamus, adeoque ipsum fortasse vocabulum *νέους*, quod tantopere Bakio displicuit. Nam Aristotelem quoque non lectissimis ubique verbis uti videmus: neque tamen id auctoritati eius apud intelligentes officit. Sed adiungam etiam alium testem scriptorem libelli de re publica Atheniensium, qui, si non Xenophon, vetus certe et fide dignus est. Is igitur senatus Attici munia enumerans, c. 3 §. 2, *τὴν βουλὴν* testatur *πολλὰ βουλεύεσθαι περὶ νόμων θέσεως.*

De nomothetis creandis in tertia anni ecclesia cum populo agendum erat: id non solum in lege est orationi in Timocratem inserta, de cuius auctoritate dubitari potest, sed affirmatur ab ipso Demosthene p. 707 §. 25. Miror autem quid Bakio (p. 41) acciderit, ut ad hanc tertiam aeclesiam etiam eam legem referret, quae in eadem oratione legitur p. 712 §. 39; *Ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης, δωδεκάτῃ τῆς πρυτανείας, Τιμοκράτης εἶπε.* An forte computandi artem

9) Vid. Demosth. Leptin. p. 484 §. 91. 92. Timocr. p. 744 §. 142.

oblitus est? Nam quum **prima** ecclesia esset undecimo die primae
prytaniae, id quod certissimum est, **tertiam** ecclesiam nullo modo iam 15
postridie eius diei h. e. die duodecimo eiusdem prytaniae haberi
potuisse omnes praeter Bakium intelligent. Legem illam Timocratis
qui inseruit, non in ecclesia recitatam, ut Bakius, sed apud nomothe-
tas latam esse voluit, quos statim illo die, migrato et neglecto ordine
legitimo, convocatos esse ex Demosthenis narratione p. 708 §. 26
didicerat. In altera autem lege, §. 39, unde Bakius nos perspicue
doceri autumat, quo modo res apud nomothetas acta sit, quam graves
sint dubitandi causae Westermannus monuit. Addi his potuit etiam
usus verbi *χειροτονεῖν*, de nomothetarum suffragiis, prorsus contra
veterum morem. Nam in nomothetarum consilio non sublatis manibus
sed calculis in urnam coniectis suffragium ferebatur, itidem ut in iudi-
ciis; de calculorum autem suffragiis nemo ex veteribus unquam illud
χειροτονεῖν, sed tantum *ψηφίζεσθαι* dixit, licet hoc ipsum *ψηφίζε-
σθαι* nonnunquam etiam latius dicatur, ubi magis proprie *χειροτονεῖν*
dicendum fuisset [10]). Sed Bakium et hoc et alia, quae dubitationem
iniiciant, fugisse non mirum nec magnopere indignandum est.

Constat denique inter viros doctos etiam perlatis probatisque
apud nomothetas legibus nihilo minus quam cuilibet apud populum
perlatae rogationi actionem eam, quae *γραφὴ παρανόμων* dicitur,
intendi potuisse. Atque earum quidem rogationum, quae in comitiis
ferrentur, sive psephismatum, hunc accusandi modum fuisse comperi-
mus, ut, qui accusaturus esset, id publice denuntiaret interposito iure
iurando, quod *ὑπόμνυσθαι*, *ὑπωμοσία* dicitur, cum hoc effectu, ut
psephisma, licet a populo acceptum, non prius tamen ratum haberetur,
quam iudicum quoque sententia comprobatum esset. Talem igitur
denuntiationem s. *ὑπωμοσίαν* etiam legibus apud nomothetas opponi
potuisse omnes adhuc pro certo habuerunt, neque verendum esse
arbitror, ne quis se demoveri ab ea sententia sinat Bakianis argumen- 16
tis, quae quidem eiusmodi sunt, ut omnem communis intelligentiae
vim et notionem fugere videantur. „Si *ὑπόμνυσθαι*“, inquit p. 44,
„nihil aliud est nisi iuratum denuntiare actionem instituendam in eum,
qui legem ferret, non intelligo quo modo hoc in nomothetarum tan-
quam tribunali fieri potuerit, **quum praesertim, nomothetis
sortitione designatis, sic excidere sors potuerit, ut fu-**

10) Cf. de comitt. p. 122 sq.

turus ille *παρανόμων γραφόμενος* non esset in eorum numero." Quid hoc rei est? Argumentumne, an portentum? Denuntiari actionem interposita hypomosia non potuisse, nisi futurus accusator etiam ipse in nomothetarum numero esset? Hoc quidem nimis absurdum est; sed absurdius etiam illud alterum, quod in tribunali nomothetarum denuntiari accusationem potuisse negat propterea, quod in sortitione nomothetarum fieri potuerit, ut futurus accusator non fieret nomotheta. Quasi vero consessus nomothetarum — hunc enim significari apparet isto tribunali, — ullus esse potuerit ante quam nomothetae sortiti essent. — Huiusmodi igitur argumentis Bakius permoveri se ait, ut hypomosiam, si omnino locum habuerit, non tamen nisi in tertia illa ecclesia fieri solitam credat, in qua scilicet nova lex recitaretur et de creandis nomothetis cum populo ageretur. Recitatam novam legem in hac una ecclesia quo iure statuat, supra vidimus. Recitabantur enim leges in omnibus ecclesiis, quae ante creationem nomothetarum haberentur, nec dubitandum est, quin etiam in harum una quaque aliquis surgere et accusationem denuntiare per hypomosiam potuerit. Tamen factum hoc aut raro aut nunquam esse credo, siquidem, quum adversarii novae legi ab ipso populo crearentur, qui eam apud nomothetas impugnarent veteremque legem tuerentur, conveniens erat, ut, si quis privato consilio impugnare novam legem vellet, expectaret is nomothetarum iudicium, atque tunc demum, si nomothetae legem scivissent, hypomosiam suam interpo-
17 neret eoque efficeret, ut lex illa, quamvis a nomothetis accepta, iterum apud iudices, qui de *παρανόμων* actione iudicarent, in disceptationem vocaretur. — Sed audiamus porro Bakium. „Verum tamen", inquit, „non puto in nova lege lata *ὑπωμοσίαν* ullam fuisse usurpatam, liberumque tantum *τῷ βουλομένῳ* fuisse latorem in ius vocare illa publica actione." Nempe *γραφῇ παρανόμων*. Atqui *ὑπωμοσία* nihil aliud erat nisi publicae illius actionis denuntiatio cum iure iurando, quamobrem, si cuilibet in ius vocare latorem novae legis licuit, non dubitandum est, quin etiam denuntiare actionem per hypomosiam cuilibet licuerit. — Summa denique sententiae Bakii haec est, p. 45, ut „rem per nomothetarum sententiam certum eventum habuisse" statuat, nec licuisse amplius per hypomosiam rescindere nomothetarum decretum, vel, ut ipse graece loqui maluit, *ἀφανίζειν καὶ ἐξαλείφειν τὴν νομοθεσίαν*. Quid dicemus igitur de causa Timocratis? Is enim, perlata lege sua apud nomothetas, tamen *παρανόμων* accusatus est

a Diodoro, qui si vicit in iudicio, quid aliud quam rescindi fecit nomothetarum decretum, vel, ut cum Bakio loquar, *ἠφάνισε καὶ ἐξήλειψε τὴν νομοθεσίαν*. An hoc quidem licuit, instituere actionem *παρανόμων* contra legem a nomothetis acceptam, sed vincere causam aut denuntiare actionem per hypomosiam non licuit? Nam quod postremum Bakius profert, in duobus locis Demosthenis, ubi de remediis contra leges malas adhibendis dicitur, hypomosiam non nominari, id quam futile sit ne ipsum quidem latere arbitror.

Scrib. Gryphiswaldiae prid. Id. Octob. MDCCCLIV.

DE IUDICIORUM SUFFRAGIIS OCCULTIS.

3 In liberis civitatibus, ubi summa res publica populi voluntate administratur civiumque suffragiis vel magistratus creantur, vel leges sciscuntur, vel iudicia fiunt, facile apparet plurimum interesse, quis suffragiorum ferendorum modus sit, estque hoc et olim diu multumque quaesitum [1]), et nunc maxime apud Britannos quaeritur, clamne ea an palam ferri melius sit. Nam occulta quidem suffragia quum libertatem civibus haud dubie maiorem praestare videantur, tum verendum est tamen, ne illa libertas, nulla optimatium auctoritate frenata et coercita, in licentiam et temeritatem abeat; apertis autem et cuivis notis suffragiis hoc facile mali admiscetur, ut tenuiores cives, quippe opulentioribus multis modis obnoxii, non audeant sciscere quae his displicere videant, eoque metu praepediti magis ex paucorum potentium arbitrio, quam ex sui animi sententia suffragium ferre cogantur. Utriusque igitur rationis acerrimi apud Britannos et patroni extiterunt et adversarii, fueruntque in his qui argumentis ex ipsa rei natura et conditione ductis etiam exemplorum pondus addere studerent ex veterum populorum historia petitorum. Factum est autem apud utrosque, id quod solet fere in huiusmodi contentionibus, ut in usurpandis historiae monumentis partium studium sobrietati iudicii nonnihil officeret, et pro vero haberetur, non quod quisque certa ratione ex veterum scriptorum testimoniis collegisset, sed quod ipse maxime verum esse cuperet. Hoc vitium animadvertisse nobis videmur in scriptiuncula de Atheniensium suffragiis contra occulti suffragii defensores a docto quodam viro, Roberto Scott, Oxoniensi, Balliolensis collegii tutore,

1) Cic. de legg. III, 15 §. 33 sqq.

nuper edita [2]), quae quum casu quodam in manus nostras inciderit, et nos quoque nominatim in ea impugnari viderimus, non alienam hanc vel litteris nostris vel persona materiam hoc loco tractare decrevimus, ut ostendamus, quid tandem sit illud rei, quod Scottus a se demonstratum esse autumat. Versatur autem omnis eius libellus in 4 iudiciorum duntaxat Atticorum suffragiis, licet nihil admodum haec quaestio ad eam, quae quum maxime in Britannia fervet, contentionem pertinere dicenda sit. Non enim de iudiciis contenditur, sed de eorum suffragiis, qui ad supremum magnae Britanniae senatum synedros creant: creationem autem omnis generis magistratuum apud Athenienses nullo tempore occultis suffragiis, sed aut sorte aut porrectis manibus (*χειροτονίᾳ*) peractam esse satis constat [3]). Nihilo secius tamen Scottus, utpote acerrimus omnis occulti suffragii adversarius, iis quas ipse amplexus est partibus aliquid profuturum esse credidit, si occulta suffragii latio, quum usitatam hanc in iudiciis Atheniensium fuisse negari non possit, quam angustissimis saltem temporum terminis includeretur et ad corruptae demum et depravatae rei publicae instituta amandaretur, quum praesertim diversarum partium defensores, inque his E. L. Bulwerum, virum doctrina et ingenio illustrem, aliter statuere videret, quem redarguere et erroris convincere etiam in re levicula *invet ac melli sit* [4]). Nos quid hac de re censeremus, et olim in libro de ord. iud. Att. p. 720—723 et nuper in Antiquitt. iur. publ. Graec. p. 283 proposuimus: omnem in iudiciis suffragii lationem occultam fuisse, sed modum eius non eundem omni tempore aut in omnibus causis observatum; scripsimusque ita etiam post doctam

2) *The Athenian ballot and secret suffrage, by the Rev. Rob. Scott, M. A. Fellow and tutor of Balliol college. Oxford MDCCCXXXVIII.*

3) Nam mirificam Angli nescio cuius opinionem (in *The journal of education* no. 5 p. 118), *τοὺς κληρωτοὺς ἄρχοντας* non sorte sed suffragiis occultis creatos esse, satis refutavit ipsius popularis G. C. L(ewis) in Museo philol. Cantabr. no. II p. 420 sqq.

4) Scott. p. 38; „*the assertion of a senator, — who is also a historian of Greece —, that the first act of the Thirty Tyrants was to overthrow the ballot and institute the open vote. It would perhaps be harsh to say of a member of the House of Commons, that he presumed on the ignorance of his hearers; but he did as bold a thing in presuming on his own knowledge.*“ Ac ne quis de persona dubitare possit, addit in margine: „*Mr. (now sir E.) Lytton Bulwer: see the Mirror of Parliament for Session* 1838 *p.* 1886.

Ludi. Rossii dissertationem [5]), a nobis ipsis in Ant. i. p. commemoratam et Scotto quoque probe notam, quippe qui in plurimis rebus tam insigniter cum Rossio conspiret, ut merito dubites, quam illud verum sit, quod p. 10 profitetur, sibi hanc dissertationem non innotuisse nisi „*just at the close of his own researches.*“ Ne nunc quidem, perlecto Scotti libello, quidquam esse iudicamus, quod a vetere sententia nos demoveat, quaeque nova ab eo afferuntur, haec omnia aut vana et incredibilia, aut talia esse censemus, quibus nihil certi conficiatur. Est enim summa Scottianae disputationis haec fere: occultam suffragii lationem in iudiciis Atheniensium florente re publica non esse usurpatam, sed sero demum, postquam abolita XXX tyrannorum dominatione libertas partim veteribus legibus restitutis partim novis latis quasi denuo fundaretur, novum hunc morem in iudicia invectum esse; neque vero id aliquo populi scito ac lege in comitiis aut apud nomothetas perlata, sed unius hominis nequam et obscuri, Nicomachi scribae, malitia quasi clanculum et insciente populo perfectum. Novum sane inventum; sed cuius ipsa novitas, nisi argumentis fulciatur admodum firmis, perpaucos habitura sit adsentientes. Quid est igitur, quod de Nicomacho eiusque facinoribus, aut de legum illo tempore instaurandarum et supplendarum ratione Scottus afferat, quo rem sua natura parum credibilem nobis persuaderi posse speret? Nihil prorsus, nisi quod dudum omnes in Lysiae oratione legimus: fuisse illum servi publici filium, mox civitatem adeptum, deinde scribam factum esse, mandatumque ei ut leges civitatis de veteribus tabulis in novas transscriberet, cui negotio quum quattuor menses praefiniti essent, ipsum sex annos insumpsisse, adeoque mala fide usum esse, ut e legibus quas ipsi libuisset aut reciperet aut omitteret, nec raro contrarias inter se et pugnantes litigantibus pretio venderet: permansisse autem in hoc negotio usque ad cladem rei publicae, h. e. ad pugnam Hellespontiam et XXX virorum dominationem, deinde exulem factum, mox reversum, atque eidem rursus negotio admotum per quadriennium non melius se quam antea gessisse [6]). Haec fere sunt, quae ab accusatore obii-

5) *Ueber eine Art der Abstimmung in den Athenischen Gerichten.* in Seebod. et Jahn. nov. annall. philol. et paedag. Suppl. I fasc. 3 p. 350—357.

6) Scottus, quum p. 42 de *sexennio* tantum loquatur, *quadriennii* nullam mentionem faciat, non satis accurate Lysiae narrationem a se lectam esse ostendit. Verum viderunt G. R. Sievers, commentt. histor. de Xenophontis Hellenicis (Be-

ciuntur. Apparet autem, si fecerit Nicomachus, quod Scottus commentus est, non posse hoc nisi eo tempore factum credi, quum post restitutam libertatem transscribendarum legum negotio iterum fungeretur. Atqui huius omnis temporis accusatio apud Lysiam in eo consistit, primum ut alias leges transscripsisse alias delevisse, deinde ut sacris antiquitus institutis nova quaedam pro suo arbitratu addidisse dicatur: qua in re utrum vere nova ipse intulerit, an tantummodo multa, quae psephismatis paullatim introducta essent, in legum collectionem receperit, difficile est ad diiudicandum. Nam accusatoris criminationes quanta cum cautione audiendae sint, neminem fugit. Sed de tam insigni veterum legum interpolatione, quae occultaret subito suffragia olim palam ferri solita, ac proin plane diversam iudiciorum rationem faceret, ne verbulum quidem a Lysia dictum esse, quis non miretur? An postea demum illud a Nicomacho factum esse credemus,
ut qui, absolutus hoc iudicio, etiam diutius isto legum transscriben- 6
darum negotio fungi potuerit? An Lysiam illud reprehendere noluisse, utpote non ingratum iis apud quos agebat iudicibus? Quid Scotto placeat, nescio [7]): mihi vero, omnia quae de legibus post XXX tyrannos instauratis ac suppletis traduntur [8]), accuratius reputanti, quum illud prorsus incredibile videtur, tantam iudiciorum mutationem quasi obiter unius scribae fraude perfici potuisse, tum ne id quidem probabile, ab iis, qui illo tempore iustam et legitimam in legibus emendandis operam posuerunt, occultam suffragii lationem pro aperta introductam esse. Nimirum non id tunc agebatur, ut frena popularis

---

rolio. 1833. 8.) p. 73 et Th. Bergk. ap. Schiller. ad Andocid. (Lips. 1835.) p. 141—155. Add. L. Hoelscher. de vita et scriptis Lysiae (Berol. 1837.) p. 113.

7) Si constare sibi velit, illud alterum amplecti debebit, quod posteriore loco a me positum est. Nam occulta suffragia commemorantur iam in oratione Lysiae ctr. Eratosthenem, quae, si non proximo post Euclidem anno, ut plerique statuunt, certe ante hanc contra Nicomachum orationem habita est. Ceterum operae pretium est animadvertere, quantum Scottus interpretandi arte valeat: nam quum Lysias simpliciter dicat §. 91: *μὴ οἴεσθε κρύβδην τὴν ψῆφον εἶναι· φανερὰν γὰρ τῇ πόλει τὴν ὑμετέραν γνώμην ποιήσετε*: quales sententiae etiam apud posteriores oratores non raro inveniuntur: Scottus Lysiae hanc mentem esse ait: *Think not that your new privilege has made you independent of public opinion: — true, each individual's vote is secret: but the result of your decision is still public.* Scilicet hoc est, quod Goethius noster malos interpretes irridens iubet, sententias non *exponere* sed *supponere*.

8) Conf. scriptores in Antiquitt. i. p. Gr. p. 184 citatos.

imperii, si qua supererant, demerentur, sed ut vetera dudum laxata, si fieri posset, rursus adducerentur: quo pertinet imprimis Areopagitici senatus auctoritas restituta, quae si tamen reviviscere ac stabiliri non potuit, de consilio certe ac voluntate eorum, qui tunc rem publicam administrabant, dubitari propterea non potest. Huc accedit, quod quum multae sint de indiciorum pravitate querelae, et haec ipsa suffragii latio occulta non obscure a nonnullis reprehendatur [9]), novitium tamen hunc morem et ab antiqua re publica alienum nemo dixit.

Sed sunt tamen, inquit, aliquot scriptorum loci, qui ante Euclidem aperta suffragia in iudiciis Atticis ferri solita planissime demonstrent; alii contra, proximis post Euclidem annis scripti, occultam suffragii lationem testantur: nonne igitur necesse est, istam mutationem, si non per Nicomachum, attamen hoc fere tempore introductam esse? Videamus ergo, quid isti loci nos doceant. Unus est Phrynichi, poetae comici, ex cuius fabula Musis, biennio fere ante Euclidem acta, hos duos versiculos ab Harpocratione et Suida servatos legimus:

ἰδού, δέχου τὴν ψῆφον· ὁ καδίσκος δέ σοι
ὁ μὲν ἀπολύων οὗτος, ὁ δ' ἀπολλὺς ὁδί.

Manifestum est unum hoc loco calculum, urnas autem duas commemorari, in quarum alteram calculum coniiceret, qui absolveret reum, in alteram, qui condemnaret: idque dudum ab aliis animadversum est. Quaeri autem haec duo debent: primum, utrum necesse sit talem suffragii lationem apertam fuisse, an potuerit etiam sic occulta esse: deinde, unamne hanc formam suffragii ferendi necesse sit Phrynichi aetate in usu fuisse, an potuerint etiam aliae esse, pro diversitate scilicet causarum aut iudiciorum. Nam quum et iudicum plura genera essent, Areopagitae, Ephetae, Heliastae, quibus accedunt quadraginta aut, ante Euclidem, triginta *κατὰ δήμους δικασταὶ* et, ut arbitror, etiam nautodicae — ne de diaetetis dicam, quorum diversa conditio fuit —, et causarum magna varietas, iam per se ipsum satis credibile est, non eundem ubique suffragii ferendi morem fuisse. Id quo minus dubitari possit, efficit posterioris aetatis comparatio. Nam Lycurgi oratoris
7 tempore hoc quidem nemo dubitat quin usitatum fuerit, ut non singuli sed bini calculi iudicibus darentur, alter solidus, alter perforatus,

9) E. c. a Platone Legg. IX, 14 p. 876: *δικαστήρια φαῦλα καὶ ἄφωνα κλέπτοντα τὰς αὑτῶν δόξας κρύβδην τὰς κρίσεις διαδικάζει.*

quorum ille absolveret reum, hic damnaret[10]), etiamsi de urnis, quot illa aetate fuerint ambigi possit. Nos quidem, probatissimorum grammaticorum testimoniis freti, duas fuisse credimus, *κύριον* et *ἄκυρον καδίσκον*, quarum altera eos calculos, sive solidos sive perforatos, reciperet, qui sententiam iudicum indicarent, altera autem eos, quibus uti iudices noluissent: quae res, praeterquam quod testes habet non contemnendos, etiam percommode instituta videri debet ad occultanda suffragia; Scottus contra hoc in dubium vocare maluit, non aliam ob causam, quam quod grammaticos tantum, non ipsos scriptores veteres, eius rei testes habemus. Quasi vero haec sit lex critica, nihil omnino credere, nisi quod etiam absque grammaticorum testimoniis cognosci potuerit, ipsos autem grammaticos nunquam non aut erroris aut mendacii suspectos habere, quamvis id, quod ab iis traditur, neque pugnet cum veterum scriptorum testimoniis, et rei ipsi convenientissimum sit. Equidem, qui mediocriter saltem in horum tractatione me versatum esse credo, longe ab hoc fastidio absum, multaque a solis grammaticis tradi scio, quae qui propter vetustiorum scriptorum silentium spernenda ducat, merito stultissimus dicendus sit. Interim hoc loco non intercedam, quominus Scottus iudicio suo fruatur, optionemque dabo, utrum duas urnas an singulas Lycurgi aetate usurpatas malit, quandoquidem de binorum calculorum usu nulla est controversia. Ponamus ergo urnam unam: necesse erit in hanc utriusque generis calculos, solidos ab absolventibus, perforatos a condemnantibus conüci, deinde versa urna dinumeratisque calculis de maiore numero sententiam pronuntiari. Iam vero Lycurgi aetate etiam diversum morem obtinuisse videmus, ut duae ponerentur urnae, altera absolventium, altera condemnantium suffragiis destinata. Ita enim ille in extrema oratione contra Leocratem, quae habita est in iudicio heliastico, in causa *εἰσαγγελίας* de proditione: *ὑμῶν δ' ἕκαστον χρὴ νομίζειν τὸν Λεωκράτους ἀποψηφιζόμενον θάνατον τῆς πατρίδος καὶ ἀνδραποδισμὸν καταψηφίζεσθαι, καὶ δυοῖν καδίσκοιν κειμένοιν τὸν μὲν προδοσίας τὸν δὲ σωτηρίας εἶναι, καὶ τὰς ψήφους φέρεσθαι τὰς μὲν ὑπὲρ ἀναστάσεως τῆς πατρίδος, τὰς δὲ ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ τῆς ἐν τῇ πόλει εὐδαιμονίας.* Apparet, ut dixi, non unam urnam sed duas positas esse, alteram condemnando

10) Vid. Aeschin. in Timarch. p. 102. Aristot. ap. Harpocr. s. v. *τετρυπημένη ψῆφος*.

reo, in quam qui calculum coniecerit, hunc Lycurgus securitati rei publicae et saluti consulturum dicit, alteram absolvendo, quod qui fecerit, interitum patriae suffragio suo consciturum esse ait. — Atque etiamsi cum grammaticis duas illa aetate urnas vulgo usurpari solitas credimus, alteram *κυρίαν*, recipiendis tam absolventium quam condemnantium suffragiis, alteram *ἄκυρον*, in quam coniicerent iudices eos calculos, quibus non usi essent: ab his quoque non minus diversas esse videmus illas, quas Lycurgus commemorat. Sunt enim hae plane eaedem atque illi qui a Phrynicho dicuntur *ὁ ἀπολύων καδίσκος* et *ὁ ἀπολλύς*: neque igitur binis iudices calculis instructi, solido et per-
8 forato, (quemadmodum si altera urna *κυρία*, altera *ἄκυρος* erat, non poterat non fieri,) sed singulis tantummodo, in alterutram urnam coniiciendis. Quod quum ita sit, quid est, cur non etiam Phrynichi aetate pariter utrumque suffragii ferendi genus usurpari potuisse credamus? — Alterum, quod quaerendum esse diximus, hoc est: rectene ex illo, quem Phrynichus et Lycurgus commemorant, duarum urnarum usu concludatur, apertam fuisse suffragii lationem, quemadmodum Scottus cum Rossio voluit. Scilicet aperta fuit tum demum, si hae urnae ita in omnium conspectu positae erant, ut in utram quisquo calculum suum coniiceret, latere non posset. Id autem ut Phrynichi aetate factum credamus, quo tandem argumento probabitur? nam Lycurgi aetate non factum esse, huius ipsius verba in eadem illa contra Leocratem oratione liquido demonstrant, §. 146: *εὖ δ' ἴστε, ὦ ἄνδρες, ὅτι νῦν κρύβδην ψηφιζόμενος ἕκαστος ὑμῶν φανερὰν ποιήσει τὴν αὐτοῦ διάνοιαν τοῖς θεοῖς*, quae verba testantur in hoc etiam iudicio *ψῆφον κρύβδην* fuisse, licet non in eandem urnam diversi generis calculi, sed in diversas urnas calculi non discreti coniicerentur.

Ita quum Phrynichi testimonio nihil contra occultam suffragii lationem probari posse appareat, ne Aeschyli quidem duobus locis quidquam profici poterit, quorum alter, Agam. v. 813, *αἱματηρὸν τεῦχος* eique oppositum *ἐναντίον κύτος* commemorans, nihil nisi duarum urnarum usum ostendit, quo non excludi occultum suffragium docuimus, altero autem loco, Eumen. v. 679—719, ne constat quidem, duasne urnas an unam Aeschylus posuerit [11]: sed quum Minervam,

11) Duas Rossius statuit, Diss. s. l. p. 355, duas etiam Muellerus, edit. Eum. p. 161; sed unam is, qui se Philologum dixit, in libello famoso contra Muellerum edito p. 63.

quippe deam, et quam dissimulare sententiam suam parum conveniret, suffragium pro reo palam ferentem faciat, hoc ipso, si quid ego intelligo, satis ostendit, humanos in hac fabula iudices non item palam suffragia tulisse. Restat igitur unus Aristophanes cum ioculari illa imitatione iudicii, quae proponitur in Vespis v. 926—1033. Videmus ibi senem Philocleonem, unum totius consilii instar, iudicem inter duos canes sedentem, adstante filio Bdelycleone tanquam magistratu et moderatore iudicii: cadi sunt duo, alter, *ὁ πρότερος*, ad condemnandum reum, alter, *ὁ ὕστερος*, ad absolvendum, quumque peroratum sit, iudex condemnandi cupidus facillimo *πρωθυστέρῳ* a filio eluditur, ut insciens in posteriorem cadum immittat calculum, quem in priorem immissurus erat. Itaque urnarum quidem duarum, calculi unius usum hic locus comprobare potest: palamne suffragium an clam latum sit, docere non potest.

Minus etiam ad rem pertinent, quae de condemnatione decem imperatorum Ol. XCIII, 3 extra ordinem in comitiis peracta apud Xenophontem Hell. 1,7, 9 referuntur: *ἐκκλησίαν ἐποίουν, ἐς ἣν ἡ βουλὴ εἰσήνεγκε τὴν ἑαυτῆς γνώμην, Καλλιξένου εἰπόντος, τήνδε· ἐπειδὴ τῶν τε κατηγορούντων κατὰ τῶν στρατηγῶν καὶ ἐκείνων ἀπολογουμένων ἐν τῇ προτέρᾳ ἐκκλησίᾳ ἀκηκόασι, διαψηφίσα-* 9
σθαι Ἀθηναίους πάντας κατὰ φυλὰς, θεῖναι δὲ ἐς τὴν φυλὴν ἑκάστην δύο ὑδρίας, ἐφ᾽ ἑκάστῃ δὲ τῇ φυλῇ κήρυκα κηρύττειν, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀδικεῖν οἱ στρατηγοὶ, ἐς τὴν προτέραν ψηφίσασθαι, ὅτῳ δὲ μὴ, ἐς τὴν ὑστέραν. Nam etiamsi maxime palam suffragium in hac causa latum esse credamus, tamen exemplum iudicii, quale hoc fuit, instigata adversariorum machinationibus multitudine contra ius legesque peracti, neque die ad defendendum reis data, neque separatis singulorum causis [12]), nihil profecto nos docere potest de legitimo in ordinariis indiciis ordine suffragiique ferendi modo. Ceterum etiam alias in comitiis nonnunquam factum esse novimus, ut calculis, non manuum aut vocis suffragio, uterentur, veluti de privilegiis, de civitate peregrinis danda, de immunitate aliisque praemiis decernendis, de venia cum populo agendi ab iis impetranda, qui aut debitorum remissionum aut restitutionem in integrum petituri essent, et si qua sunt id genus alia: neque dubitari potest, urnas in his dispositas fuisse ad calculos recipiendos, quamquam quot illae fuerint quove

12) Cf. de comitt. Ath. p. 207 not. 109.

modo collocatae, et quis in universum suffragii ferendi modus fuerit, nemo tradit: nisi hoc unum omnes, quotquot de his rebus extant, testimonia legesque apertis verbis testantur, clam suffragia non palam ferenda fuisse.

Postremum Scotti argumentum ex Lysiae narratione petitum est de iudiciis in senatu sub XXX virorum dominatione habitis. *Ἡ δὲ κρίσις*, inquit Lysias, *τοιαύτη ἐγένετο, οἵαν καὶ ὑμεῖς αὐτοὶ ἐπίστασθε. Οἱ μὲν γὰρ τριάκοντα ἐκάθηντο ἐπὶ τῶν βάθρων, οὗ νῦν οἱ πρυτάνεις καθέζονται· δύο δὲ τράπεζαι ἐν τῷ πρόσθεν τῶν τριάκοντα ἐκείσθην, τὴν δὲ ψῆφον οὐκ εἰς καδίσκους ἀλλὰ φανερὰν ἐπὶ τὰς τραπέζας ταύτας ἔδει τίθεσθαι, τὴν μὲν ἐπὶ τὴν πρώτην, τὴν δὲ καθαιροῦσαν ἐπὶ τὴν ὑστέραν.* Potest sane hoc ita a triginta viris institutum credi ad ordinariorum iudiciorum exemplum, nisi quod suffragia non in urnas, sed in mensas ferri iusserunt: potest igitur, qui velit, cum Scotto hinc concludere, usitatissimum etiam in iudiciis hunc morem fuisse, ut non bini iudicibus sed singuli calculi darentur, quos in alterutram urnam coniicerent: at apertam etiam in ordinariis iudiciis suffragii lationem fuisse, id profecto neque ex isto duarum urnarum cum singulis calculis usu consequitur, quemadmodum supra a nobis demonstratum est, neque vero ipsius Lysiae verba credi sinunt. *Τὴν ψῆφον*, ait, *οὐκ εἰς καδίσκους, ἀλλὰ φανερὰν ἐπὶ τὰς τραπέζας ταύτας ἔδει τίθεσθαι*, in quo inest haud ambigua significatio, istam *εἰς καδίσκους ψηφοφορίαν* occultam fuisse, quippe cui opponatur *ψῆφος φανερὰ* in mensam lata. Et ita demum ratio apparet, cur triginta viri quum aperta suffragia esse vellent, in mensas potius, quam in urnas ea ferri iusserint. Nam si *φανερὰ ψῆφος* etiam in urnas ferri solebat, nihil erat cur ab hoc more descriscerent: quandoquidem, ut ipsius Scotti verbis utar, *as it will probably be granted, that shrewd politicians (however bold and unscrupulous they may be) do not willingly violate established usages, or even shock general prejudices, where no*
10 *object is to be gained by it, it will be reasonable to suppose that, in the unimportant parts of their procedure, the Thirty would not alter the established mode.* Quid enim intererat magnopere, utrum mensae essent an urnae ita collocatae, ut in utram quisque calculum immitteret, latere non posset? Nihil sane, nisi ut post peractam suffragii lationem non opus esset calculos ex urnis effundi. Haecine igitur res tanti momenti fuit, ut propterea novo et inusitato exemplo suffragia

in mensis poni mallent? Non opinor: sed quum urnas nunquam, nisi in occulta suffragii latione usurpatas esse scirent, hac sublata etiam urnas tollendas esse censuerunt, ne harum ipsarum adspectus amissae suffragiorum libertatis commoneret. — Ceterum Scottus ipse postea sensisse videtur, quam improbabilem causam tueretur. Commentus enim est intermedium quoddam genus suffragii, quod neque occultum (κρύβδην) fuerit, neque apertum (φανερόν), sed, ut ipse ait, *alike without parade and without disguise, neither intentionally secret, nor ostentiously public*, h. e. pariter sine ostentatione ac sine occultatione, neque ut consulto celaretur, neque ut palam ostenderetur: ac talem fuisse vult illam formam, quae ante Euclidem sola in iudiciis obtinuerit, cum uno calculo urnisque duabus, eamque ψῆφον simpliciter dictam, quum contra κρύβδην ψηφίζεσθαι non nisi de ea forma dicatur, quae post Euclidem invecta sit, cum duobus calculis urnaque una: fieri enim facile potuisse, ut in magno iudicum numero non animadverteretur a circumstantibus, in utram quisque urnam calculum immitteret. — Non opus est huic commento quidquam opponi praeter unum Lycurgi locum iam supra a nobis commemoratum, qui κρύβδην etiam illud ipsum suffragii genus cum duabus urnis, uno calculo, fuisse demonstrat.

Paene oblitus eram rei satis quidem per se leviculae, sed quam tamen, quum praesertim aliquid spatii superesse huic scriptioni videam, silentio praetermittere nolo. Narrant grammatici, non calculis solum aut conchis aut pilulis aeneis Athenienses in iudiciis usos esse, sed aliquando etiam fabis, eoque referunt et κυαμοτρῶγος vocabulum, quo populum ludens Aristophanes in Equitibus appellat, et Cratini locum de quodam genere fabarum, cui αἰγὸς οὐρανίας nomen indiderit. Scottus autem, ut est grammaticorum contemptor, nihil iis nisi quod etiam aliunde constet, credendum esse iudicans, quum fabarum usum in magistratibus quidem sortiendis obtinuisse apud veteres auctores legerit, in iudiciis autem mentionem earum factam non viderit, hic quoque protinus grammaticos erroris insimulare non dubitat, nosque, qui iis fidem habuerimus, suavissime irridet, p. 13. Arbitror tamen ego, grammaticorum hac in re multo rectius ac probabilius esse quam Scotti iudicium. Hic enim vel ex eo, quod illud κυαμοτρῶγος vocabulum in Equitum fabula legitur, quae, ut ipse ait, in politico, non in iudiciali argumento versetur, vel quod statim proximo versu Δῆμος Πυκνίτης vocatur, a Pnyce, in qua comitia, non iudicia

habita esse constet, satis manifestum esse contendit, de iudiciis Aristophanem, quum illud cognomen populo imponeret, cogitare nullo modo potuisse. Quasi vero non etiam iudiciorum et iudicandi cupiditatis plurima sit in equitibus mentio, aut potuerit *Δῆμος*, si co-
11 gnomen tanquam a pago fingendum esset, commodius quam a Pnyce cognominari, aut denique aliquem fabarum usum in comitiis fuisse ullo vel tenuissimo indicio probari possit. Constat fabas in sortiendis senatoribus et aliquot magistratibus usurpatas esse: sed neutram sortitionem in comitiis peractam esse scimus. Porro quum *κυαμοτρὼξ* eum significet, qui fabis alatur, qui conveniret ita hoc nomen populo, ad quem profecto nihil ex illa sortitione lucelli redundabat? Non vereor enim, ne quis nomen ad eos pertinere velit, qui fabarum sorte in senatum legantur vel magistratus capiant, unde aliquid fortasse lucrentur. Nam hi pauciores erant, quam ut in universum populum illud nomen conveniret, et testem habemus ipsum Aristophanem sub Bdelycleonis persona, Vesp. v. 702, fructuosos magistratus non fere ad homines de populo, sed ad paucos pervenisse gratia et factionibus pollentes.

Οὐ γὰρ μεγάλη δουλεί' ἐστὶν, τούτους μὲν ἅπαντας ἐν ἀρχαῖς
αὐτούς τ' εἶναι καὶ τοὺς κόλακας τοὺς τούτων μισθοφοροῦντας;
σοί δ' ἤν τίς γε διδῷ τρεῖς ὀβόλους, ἀγαπᾷς.

Ut autem hoc versu tres obolos, iudicialem mercedem, tanquam unicum multitudinis lucellum commemorari videmus, ita idem fit etiam aliis huius fabulae locis, veluti v. 315:

ἀπὸ γὰρ τοῦδ' ἐμὲ τοῦ μισθαρίου
τρίτον αὐτὸν ἔχειν ἄλφιτα δεῖ καὶ
ξύλα κὤψον· σὺ δὲ νῦν σῦκ' αἰτεῖς;

et paullo infra fatentur heliastae, si iudicium illo die a magistratu non convocetur, nescire se unde coenulam sumant. Itaque a iudiciali mercede hos *„quibus calceus hinc est, et panis fumusque domi"* commodissime *κυαμοτρῶγας* appellari posse apparet; aluntur enim fabis, quibus in suffragio ferendo utuntur mercedemque merent. Neque igitur temere hoc, quod grammatici tradunt, contemnendum esse censeo, quum praesertim appareat, non coniecturam hanc esse, ex ipso Aristophanis loco ductam, sed fuisse illius moris etiam alibi mentionem factam. Id enim, si minus ex *αἰγὸς οὐρανίας* apud Cratinum commemoratione, — nam de hac, quum fabula perierit, parum liquet, — certe ex iis intelligitur, quae de *φρυκτῶν* s. tostarum fabarum usu

apud Pollucem, Hesychium aliosque legimus [13]). Quodsi quis obiiciat, alibi tamen apud Aristophanem non fabas sed *χοιρίνας* aut *ψήφους* in suffragiis commemorari, huic demonstrandum erit, non potuisse varia suffragiorum genera pariter eadem aetate in usu esse, pro variis iudiciorum aut causarum generibus; quod quum demonstrari nequeat, nihil etiam eiusmodi obiectione effici posse apparet.

Scrib. in univ. Gryphisw. a. d. IX. Cal. Sept. MDCCCXXXIX.

---

13) Vid. Pollux VIII, 18. Hesych. s. v. *διάφρυκτος* tom. II, p. 975. Suid. s. v. *φρυκτός* 2. Id. et Etym. M. s. v. *διαφρυκτοῦν*.

DE CAUSA HEREDITARIA IN ISAEI OR. DE PHILOCT. HER.

3 Materiam scribendi sumpsimus, Commilitones, tenuem illam quidem et a plurimorum studiis longius remotam, sed iis tamen certe Vestrum, qui antiquis litteris operam dant, neque inutilem ad cognoscendum neque ingratam futuram, quippe quum et ad interpretationem pertineat veteris scriptoris non contemnendi, et tractata nuper sit ab uno Vestrorum aequalium, optimae spei iuvene, cuius industriam, etiamsi hac in re non effecit quod voluit, laudare tamen apud Vos et ad aemulationem honestissimorum studiorum commendare iuvat. Est is Hermannus Schellingius, nobilissimi philosophi filius, qui quum in universitate Monacensi litteris studeret, essentque a facultate philosophica eius universitatis adolescentes studiosi provocati, ut Solonis legum reliquias, quotquot ab oratoribus Atticis servatae sunt, colligerent, iusto ordine disponerent et accurata interpretatione illustrarent, hoc negotio ita functus est, ut et praemium a magistris Monacensibus propositum reportaverit, et si naviter pergere in hoc studiorum curriculo voluerit, non exigua in posterum litteris nostris incrementa afferre posse videatur. Sed de omni eius opusculo [1]) iudicium nostrum alio tempore proponemus: nunc unum locum examinare decrevimus ex iure hereditario Atheniensium, quod ius qui primus nostra memoria subtilius tractavit, Bunsenius V. C., triginta

1) Prodiit hoc nuperrime hoc titulo: *Herm. Schellingii phil. lic. de Solonis legibus apud oratores Atticos dissertatio, in certam. lit. civ. univ. Monac. ab ampl. phil. ord. praemio a Rege praescripto ornata.* Berolini, MDCCCXLII.

fere abhinc annis, simili quadam quam Schellingius causa permotus hoc opus susceperat, quum facultas philosophica Gottingensis quaestionem de hoc iure civibus suis proposuisset. Ac Bunsenius quidem laudem illo tirocinio partam aliis postea et illustrioribus in maiore quodam rerum campo meritis cumulavit: et Schellingium quoque hoc iuvenilium studiorum successu tanquam calcaribus incitatum ad maiora enisurum esse confidimus. Iam ad rem accedimus.

Ex Isaei orationibus ea, quae de Philoctemonis hereditate inscri- 4
bitur, in causa versatur admodum intricata et difficili ad perspiciendum, in qua tractanda non omnes iuris Attici scriptores verum vidisse nemo miretur. Est autem una maxime dissensio, de hereditate filii, qui sine liberis, patre superstite, intestatus obierit. Nam quum sint, qui huiusmodi hereditatem non ad patrem defuncti, sed ad fratres, si qui essent, sororesve horumve liberos, hisque deficientibus ad ceteros cognatos, ut quisque defuncto proximus esset, pertinuisse credant, alii e contrario filii heredem patrem fuisse volunt, eiusque iuris certissima argumenta in hac, quam diximus, Isaei oratione sibi deprehendere visi sunt. Princeps huius sententiae Bunsenius fuit, eumque Schellingius sequitur. Nos quidem de ipso iure nolumus contendere: quin admodum probabile ius patris nobis videri dudum publice professi sumus[2]): sed demonstrari rem aut lege aliqua aut oratorum aliorumve scriptorum testimoniis posse negavimus. Et de Isaeo quidem satis nobis olim cavisse videbamur accurata totius causae explicatione, ne quis errare amplius posset: quod quum tamen aliter evenerit, argumentaque, quae ex eius oratione Bunsenius petiverat, rursus nunc a Schellingio prolata sint, non pigibit nos experiri, si possimus nova demonstratione omnem hunc errorem etiam evidentius convincere.

Primum igitur quo Bunsenius utitur[3]) argumentum ex Isaei oratione repetitum huiusmodi est: Philoctemone et Ergamene, duobus Euctemonis filiis, patre superstite mortuis, liberisque eorum nullis relictis, Euctemonem patrem duos Alces, concubinae suae, pueros in defunctorum Philoctemonis et Ergamenis bona adoptandos curasse: id autem fieri nullo modo potuisse, nisi haec bona ad ipsum hereditatis iure pervenissent. — Sane, si verum illud esset, quod Bunsenius posuit, Euctemonem istos pueros in defunctorum filiorum bona

2) In ephemer. litt. Haleus. ann. 1840 supplem. no. 67 p. 533.
3) De iure hereditario Atheniens. p. 21.

adoptandos curasse, gessisset se haud dubie pro horum herede: neque enim adoptari quisquam in bona defuncti potest, nisi ab eo, ad quem haec bona hereditatis iure pertinent. Atqui adoptionem istam ab Euctemone, ut Bunsenius ait, curatam esse orator nusquam dicit. Audiamus ipsius verba §. 35: *ὁρῶντες γὰρ* (*Ἀνδροκλῆς καὶ Ἀντίδωρος*: erant hi senis Euctemonis cognati et amici) *τὸν Εὐκτήμονα κομιδῇ ἀπειρηκότα ὑπὸ γήρως καὶ οὐδὲ τῆς κλίνης ἀνίστασθαι δυνάμενον, ἐσκόπουν ὅπως καὶ τελευτήσαντος ἐκείνου δι᾽ αὐτῶν ἔσοιτο ἡ οὐσία. καὶ τί ποιοῦσιν; ἀπογράφουσι τὼ παῖδε τούτω πρὸς τὸν ἄρχοντα ὡς εἰσποιήτω τοῖς τοῦ Εὐκτήμονος υἱέσι τοῖς τετελευτηκόσιν, ἐπιγράψαντες σφᾶς αὐτοὺς ἐπιτρόπους, καὶ μισθοῦν ἐκέλευον τὸν ἄρχοντα τοὺς οἴκους, ὡς ὀρφανῶν ὄντων.* Apparet nihil esse in his verbis, ex quo colligi possit, ab Euctemone istam adoptionem curatam esse, sed hoc tantummodo, Androclem et Antidorum pro pueris istis, tanquam adoptivis Philoctemonis et Ergamenis filiis, adiisse archontem, seque illorum tutores professos esse, bonaque, quae istis relicta fingerent, consentiente scilicet Euctemone, ut elocarentur ex lege postulasse. A quonam autem et quo modo adoptionem factam dixerint, Isaeus commemorare supersedit. Iam
5 vero consideranda est etiam reliqua pars narrationis: *καὶ ἐπειδὴ πρῶτον τὰ δικαστήρια ἐπληρώθη, ὁ μὲν ἄρχων προεκήρυττεν, οἱ δ᾽ ἐμισθοῦντο. παραγενόμενοι δέ τινες ἐξαγγέλλουσι τοῖς οἰκείοις τὴν ἐπιβουλήν· καὶ ἐλθόντες ἐδήλωσαν τὸ πρᾶγμα τοῖς δικασταῖς, καὶ οὕτως ἀπεχειροτόνησαν οἱ δικασταὶ μὴ μισθοῦν τοὺς οἴκους.* Vetuerunt igitur iudices bona elocari: quod quid est aliud, quam decreverunt pueros istos in Philoctemonis et Ergamenis bona aut plane non adoptatos aut non iure adoptatos videri? Itaque etiamsi largiamur — quod nequaquam res cogit — tentatam adoptionem ab Euctemone fuisse, tamen quum res eventu caruerit, iudicesque eam adoptionem irritam fecerint, de iure quidem Euctemonis aut nihil ex hac narratione, aut contrarium potius eius, quod Bunsenius voluit, consequi apparet. Ceterum quum adoptionem ab Euctemone factam aut curatam esse orator ne verbo quidem memoret, non intelligo, cur Bunsenius de hac cogitare maluerit, quam statuere, quod certe non minus obvium fuit, Androclem et Antidorum pueros istos ab ipsis Ergamene et Philoctemone adoptatos, testamento scilicet, finxisse, sed a propinquis mendacii convictos esse.

Reliqua disputatio quo facilius intelligi possit, de litigantium per-

sonis haec praemittenda sunt. Euctemonis filius Philoctemo, quum liberos ipse nullos suscepisset, sororis suae filium Chaerestratum adoptaverat, aut dicebatur saltem adoptasse, moxque in bello obierat. Aliquot post annis etiam Euctemo, pater Philoctemonis, Chaerestrati avus, moritur. Petunt hereditatem ex altera parte Chaerestratus, Philoctemonis adoptione fretus, ex altera autem duo Alcae filii, quos quidem Androcles et Antidorus, eorum patroni et tutores, non ex hac, muliere libertina et concubina quondam Euctemonis, sed ex Callippe, cive Attica, legitima Euctemonis uxore, procreatos esse contendunt. — Iam primum illud non satis liquet, duaene fuerint hereditates, Philoctemonis altera, altera Euctemonis, an una utriusque, non diviso scilicet inter patrem et filium patrimonio, sed communiter ab utroque, dum vivebat filius, possesso. Deinde, si duae fuerint, id quod plerisque visum est, rursus ambigitur a viris doctissimis, utram de duabus Charestratus petat hac, quam legimus, Isaei oratione. Inscripta sane oratio est de Philoctemonis hereditate, et actor aliquoties hanc ipsam a cliente suo peti profitetur, velut statim post exordium, §. 3, ubi adoptione Chaerestrati et morte Philoctemonis commemorata, nullaque Euctemonis mentione facta, *λῆξιν* hereditatis ab Chaerestrato institutam dicit, in quo quin Philoctemonis hereditatem intelligi voluerit, dubitari plane non potest; item paullo infra, ubi queritur adversarios iudicibus facultatem adimere decernendi *ὅντινα δεῖ κληρονόμον καταστήσασθαι τῶν Φιλοκτήμονος*, ac §. 61: *τοῦ γὰρ Φιλοκτήμονος κλήρου ἂν μὲν ἐπιδίκασηται ὅδε, ὑμῖν αὐτὸν ταμιεύσει, — ἐὰν δ' οὗτοι λάβωσι, διαφορήσαντες ἑτέροις ἐπιβουλεύσουσι*: et permoverunt haec Platnerum[4]), ut quae passim etiam de Euctemonis hereditate tanquam controversa inter Chaerestratum eiusque adversarios dicuntur, ab hacce causa seiungeret et ad aliam quandam litem pertinere opinaretur. Platnero se assentiri Schellingius profitetur: nos istam opinionem et olim 6 reiecimus, unam eandemque hereditatem a Chaerestrato tanquam Philoctemonis, ab eius adversariis tanquam Euctemonis peti docentes, et nunc Schellingii causa iterum redarguemus. Primum igitur agi hanc causam videmus aliquot post Philoctemonis obitum annis[5]), Euctemone quoque iam mortuo. Necesse est igitur alterutrum statui: aut

---

4) Der Process nnd die Klagen bei den Attikern. II, p. 329 sq.

5) Quantum temporis inter huius et Enctemonis mortem interiectum fuerit, certo definiri non potest: amplius biennio fuisse cognoscitur e §§. 27. 29.

petitionem hereditatis iusto quidem tempore h. e. statim post mortem Philectemonis, vivo etiamtum Euctemone, a Chaerestrato institutam, sed adversariorum artibus factum esse, ut res per aliquot annos in anacrisi traheretur, aut Chaerestratum tam longo spatio quievisse hereditatemque sibi debitam petere neglexisse. Iam si vivo Euctemone Chaerestratum petiisse sumimus, quo titulo adversarios contra eum pugnasse dicemus? Nempe eo, ut negarent hunc a Philoctemone adoptatum esse, hereditatem autem sibi vindicarent tanquam fratribus defuncti, eodem patre prognatis. Atqui patre superstite hereditatem ad hunc potius quam ad fratres defuncti pertinuisse consentaneum est, neque aliter Schellingio videri potest, quippe qui de patris iure plane cum Bunsenio consentiat[6]): itaque Euctemonem senem, non pueros istos, qui se filios eius haberi volebant, contendere cum Chaerestrato oportuisset. — Restat igitur alterum, ut mortuo demum Euctemone Philoctemonis hereditatem Chaerestratus petere instituerit: idque ita esse non potest sane dubitari. Iam si diversa haec fuit ab Euctemonis hereditate, quemadmodum Platnerus vult, qua ratione factum esse dicemus, ut tam sero paterna hereditas a filio adoptivo peteretur, et a quonam hanc tantisper, et quo iure, possessam esse arbitrabimur? — Sed nolumus nunc ita quaerendo instare, siquidem in promptu est aliud, quo error convincatur. Nam quid sit illud, quod Chaerestratus petiverit, non aliunde certius cognosci poterit, quam ex iis, quae eius petitioni ab adversariis opposita sunt. Opposuerunt autem illi διαμαρτυρίαν huiusmodi[7]): primum, hereditatem eam, quam petat Chaerestratus, non licere peti, quum liberi supersint Euctemonis legitimi, ad quos ea hereditas sine controversia pervenire debeat: deinde, adoptionem istam, qua nitatur Chaerestrati petitio, nullam esse: nam neque adoptatum eum esse a Philoctemone, neque omnino licuisse huic filium sibi adoptare. Sed de hoc postea: nunc de superiore illa διαμαρτυρίας parte videbimus. Huius Platnerus hanc vim fuisse vult, ut illi Philoctemonis hereditatem filiis Euctemonis tanquam fraternam sine controversia deberi contenderent. Et sane si erant isti pueri legitimi Euctemonis filii, intestatusque Philoctemo mortuus erat, dubitari non potest, quin hereditatem illi recte tanquam

6) Vid. Bunsen. p. 21 et 39. Huic Schellingium assentiri apparet ex interpretatione legis ap. Demosth. ctr. Macart. p. 1067, de qua post dicemus.
7) Vid. §§. 4. 10. 12. 26. 44. 52. 54. 56.

fraternam petere potuerint. At vero *διαμαρτυρίαν* in causa hereditatis pro fratribus interponi potuisse quis unquam fando audivit? Liberis hoc praesidium legibus comparatum erat, ut a paterna hereditate,
quam ipsis statim per *ἐμβατείαν* occupare licuit, quemvis petitorem 7
protestando repellerent: sed in fratrum sicut in ceterorum collateralium hereditatibus, quas non occupari per *ἐμβατείαν*, sed peti per *λῆξιν* leges iusserant, etiam eiusmodi *διαμαρτυρίᾳ* locum non fuisse manifestum est[8]). Quod quum illos Chaerestrati adversarios *διαμαρτυρίᾳ* uti videamus *μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον*, apparet vel hinc, hereditatem eos non tanquam fraternam, sed tanquam paternam pupillorum suorum petiisse, h. e. postulasse, ut eadem illa bona, quae Chaerestratus tanquam Philoctemonis hereditatem ex huius testamento et adoptione sibi debitam petebat, pupillis suis tanquam paterna, ab Eucteruone relicta, adiudicarentur. Atque hoc ita esse orator ipse disertis verbis testatur §. 56: *εἰ γάρ, ὡς οὗτοι λέγουσι τῷ μὲν Φιλοκτήμονι μὴ ἐξῆν διαθέσθαι, τοῦ δ᾽ Εὐκτήμονός ἐστιν ὁ κλῆρος, πότερον δικαιότερον τῶν Εὐκτήμονος κληρονομεῖν τὰς ἐκείνου θυγατέρας, ὁμολογουμένας οὔσας γνησίας, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἐκ τούτων γεγονότας, ἢ τοὺς οὐδὲν προσήκοντας;* (h. e. pupillos adversariorum, quos Chaerestratus filios Euctemonis, ut illi testati fuerant, esse negabat.) Eodem pertinet quod de hac ipsa *διαμαρτυρίᾳ*, Chaerestrati petitioni opposita, orator ait §. 17: *γνησίους διεμαρτύρησαν εἶναι, καὶ κληρονόμους ζητοῦσι καταστῆσαι τῶν Εὐκτήμονος.* et §. 26: *οὓς σὺ νῦν διαῤῥήδην μεμαρτύρηκας γνησίους εἶναι καὶ κληρονόμους τῶν Εὐκτήμονος.* Manifestum est igitur hanc, de qua agitur, hereditatem ab utrisque tanquam paternam, sed diversis nominibus, petitam esse, ut Philoetemonis, patris adoptivi, a Chaerestrato, ut Euctemonis, patris naturalis, ab adversariis. Et potuerat quidem sane etiam Chaerestratus itidem ut adversarii, Euctemonis hanc hereditatem dicere, idque si faceret, non quidem ut paternam eam, sed ut avitam sibi petere, quippe quum filii Euctemonis legitimi nulli superessent, qui autem esse dicerentur, reapse alieni essent, ipse autem Euctemonis per adoptionem nepos esset. Sed propter hoc ipsum, quod omnis sua petitio nitebatur Philoctemo-

8) Optime haec omnia exposuit Bunsen. l. l. Vid. impr. p. 87 sqq. et p. 94. Ceterum quod naturalibus, idem etiam adoptivis liberis concessum fuit. Vid. nos ad. Isae. p. 197.

nis testamento et adoptione, ad quem quidem, si superesset, omnia Euctemonis bona haud dubie pervenissent, ut statim appareat, quo titulo petat, Philoctemonis se, patris adoptivi, hereditatem petere profitetur, quippe quae futura haud dubie Philoctemonis fuerit et propter huius testamentum atque adoptionem ad se pertineat.

Hactenus de Platnero: quid autem de Schellingio dicam, qui illius sibi sententiam probari significat [9]), et tamen Bunsenii rationem, plane ab illa diversam, amplexus est? Nam Bunsenius hoc certe intellexit, per διαμαρτυρίαν eam, contra quam haec Isaei oratio habita est, non fraternam, ut Platnerus voluit, sed paternam hereditatem ab adversariis petitam esse, omnemque causam, quae nunc quidem in iudicio versatur, hanc esse credit, ut quae bona Chaerestratus tanquam a Philoctemone per adoptionem sibi relicta petat, ea bona adversarii, adoptatum illum esse negantes a Philoctemone, utpote qui nec testa-
8 tus sit nec potuerit testari, ad patrem Euctemonem pervenisse, nunc autem, hoc mortuo, pupillis suis, Euctemonis quippe filiis legitimis, tanquam paterna deberi contendant. Itaque verba orationis nostrae §. 56, quae paullo ante a nobis adscripta sunt, in hunc sensum interpretatur, ut fateri dicat Chaerestratum, si testari non potuerit aut non testatus sit Philoctemo, bona eius ad patrem Euctemonem hereditatis iure ventura fuisse: eamque interpretationem Schellingius iisdem fere verbis repetit. Non debebat igitur etiam Platnerum probare, qui bona illa tanquam fraterna ab adversariis peti opinatus est. Nam si fraterna erant, non sane erant ad patrem, ut ait, devoluta: si devoluta erant ad patrem, non poterant nunc tanquam fraterna peti.

Ceterum Bunsenius, etiamsi hactenus verum vidit, ut non fraterna bona ab adversariis Chaerestrati petita esse intelligeret — quod cur statui plane non possit, satis iam cuilibet apertum esse arbitror —, in interpretando tamen illo quem indicavimus loco paullo incautior fuisse videtur. Fateri credit oratorem, si intestatus Philoctemo decessisset, bona eius ad patrem perventura fuisse, utiturque hoc argumento ut probet filii sine liberis defuncti heredem patrem fuisse. Ut hoc ita fuerit, argumentum tamen illud nullum est. Nempe confessionem istam in verbis oratoris inesse is demum agnoscet, cui certum sit, peculiaria

9) Ait enim p. 112: „Recte totam causam de Philoctemonis hereditate perspexit Platnerus, proc. Att. II, p. 329 sq.“

bona et a paternis seiuncta Philoctemonem habuisse, de quibus testari potuerit: qui autem indivisum cum patre et commune patrimonium fuisse credit, is nihil aliud ex illo loco manifestum fieri censebit, quam negare adversarios, licuisse filio de tali patrimonio testari, sed necesse fuisse integra omnia apud patrem permanere. Concedit autem hoc ipsum orator non plane ac simpliciter, ut cui contradici non possit, sed hypothetice tantum, ut ostendat, ne sic quidem decere Euctemonis bonorum alios quam clientis sui Chaerestrati matrem et huius sororem, filias quippe defuncti, heredes fieri, quum illi adversariorum pupilli spurii et plane alieni sint. — Iam vero propriane fuerint et a paternis seiuncta bona Philoctemonis, an communem cum illo et indivisam possessionem habuerit, sicut olim non satis liquere professus sum, ita nunc quoque profiteor; et si de probabilitate quaeritur, paullo firmioribus argumentis hanc quam illam sententiam stabiliri posse arbitror. Qui contra statuunt, nituntur primum tribus orationis locis, ubi Philoctemo dicitur *δοὺς τὰ ἑαυτοῦ* (§. 3), *διαθέσθαι τὰ ἑαυτοῦ* (§. 5), et *ἔγραψεν οὕτως ἐν διαθήκῃ, τοῦτον κληρονομεῖν τῶν ἑαυτοῦ* (§. 7). Potuit tamen, opinor, *τὰ ἑαυτοῦ* etiam ea dicere, quae communia cum patre habebat, et in filium adoptivum transferri volebat, eodem scilicet iure habenda, quo ipse habuerat, ut vivo quidem Euctemone indivisa, sicut erant, permanerent, mortuo autem illo, sicuti ad ipsum, si viveret, perventura essent, ita, se mortuo, ad filium adoptivum pervenirent. At, inquit, testari nemini licet, nisi de suis ac propriis, nunquam autem de iis, quae nondum propria habet, sed posthac demum sua futura sperat. Concedam hoc ita esse: nihil enim meae causae officit. Nam testatum esse Philoctemonem Chaerestratus quidem aiebat, at negabant adversarii: uter verum dixerit, quis tandem sibi compertum dicet? Ego certe nescio, et alios pariter mecum nescire certo scio. Item licuisse Philoctemoni testari Chaere-
stratus affirmat, adversarii autem hoc quoque negant. Atqui, si propria 9
bona habuit, qui poterant negare de his eum testari potuisse? Nonne igitur hoc ipso, quod ius ei testandi fuisse negant, etiam propria bona ei fuisse negant? Profecto hoc ita manifestum est, ut contra dici nihil possit. Nam ius testandi de propriis bonis in dubium vocari nullo modo potuit; potuit fortasse de communibus. Quamquam vel sic non satis liquet, cur testari Philoctemoni licuisse negaverint, utrumne hanc solam ob causam, quod communia cum patre, non propria bona habuerit, an quod essent etiam alii Euctemonis filii legitimi, sui scilicet

pupilli, in quorum damnum non licuerit quidquam de communibus bonis per testamentum abalienari. Utut est, hoc certe apparet, de propriis Philoctemonis bonis talem controversiam moveri non potuisse. — Quod autem Platnerus incredibile sibi videri ait[10]), eum, qui et eques fuerit et trierarcha, non propria bona habuisse: ego non sane intelligo, cur non utroque officio fungi potuerit, sive indivisum cum patre sive suum ac proprium patrimonium haberet. — Sed aliud contra me argumentum Schellingius ex eo peti posse credit, quod Philoctemone mortuo, Euctemone etiamtum superstite, Androcles et Antidorus duos pupillos suos alterum in Ergamenis alterum in Philoctemonis bona adoptatos dixerunt, eaque bona ut elocarentur postulaverunt. Non reputavit autem prae nimio studio, hanc omnem rem ab illis per fraudem et contra ius ac verum actam esse, propterea que etiam sine effectu fuisse. Quod autem agebant, hoc erat, ut consentiente scilicet Euctemone, ex huius bonis alia tanquam a Philoctemone suis pupillis relicta apud magistratum declararent, rursusque alia in elocatione illorum bonorum pro hypothecis constituerent, quo scilicet, si iudices decepti istam elocationem fieri iussissent, omnia haec bona ipsi in sua potestate haberent futurisque legitimis heredibus subtraherent. Id ipsius oratoris narratio §§. 36, 37 tam planum facit, ut verbum addi non opus sit. — Nec minus ratio fefellit optimum adolescentem, quum ad ea provocat, quae §§. 44, 45 leguntur: *Οἵτινες (Ἀνδροκλῆς scil. καὶ Ἀντίδωρος) πρὸς μὲν τὸν ἄρχοντα ἀνέγραψαν αὐτοὺς ὡς ὄντας τὸν μὲν Φιλοκτήμονος τὸν δ' Ἐργαμένους· νῦν δὲ διαμεμαρτυρήκασιν Εὐκτήμονος εἶναι. Καίτοι οὐδ' εἰ γνήσιοι ἦσαν* (*τοῦ Εὐκτήμονος* scil.) *εἰσποιητοὶ δὲ (τῷ Ἐργαμένει καὶ τῷ Φιλοκτήμονι), ὡς οὗτοι ἔφασαν, οὐδ' οὕτω προσῆκεν αὐτοὺς Εὐκτήμονος εἶναι. ὁ γὰρ νόμος οὐκ ἐᾷ ἐπανιέναι ἐὰν μὴ υἱὸν καταλίπῃ γνήσιον.* „Quid," inquit, „Schoemanni sententiam clarius refutare possit, quam haec verba, quibus Philoctemon et Euctemon non solum ut diversorum bonorum possessores, sed etiam huius et illius familiae tanquam diversae considerantur?" Scilicet non intellexit mentem oratoris, qui nihil aliud hoc loco agit, nisi ut adversarios secum ipsos pugnare arguat. Quippe contenderant illi primo, pupillos suos in Er-

10) Richter und Schneider, Kritische Jahrbücher für deutsche Rechtswissenschaft. Jahrg. IV (1840) p. 209.

gamenis et Philoctemonis bona adoptatos, horum igitur filios factos esse: postea autem per *διαμαρτυρίαν* Euctemonis hereditatem tanquam paternam iis deberi testati erant. Ipsi igitur sibi contradixerant. Nam si adoptati erant, non potuerat nunc iis tanquam paterna eius hereditas deberi, cuius per istam adoptionem filii esse desierant neque reverti in eius domum per leges potuerant. Debuerant igitur, si constare sibi vellent, hereditatem illam tanquam avitam petere. Itaque orator nihil nisi adoptionem istam commenticiam hac, qua usi sunt *διαμαρτυρίᾳ*, *διαμαρτυρίαν* rursus ista adoptione confutari ostendit: habuerintne autem revera Ergamenes et Philoctemo diversa ab Euctemone bona, quod sane adversarii persuadere iudicibus voluerant, an non habuerint, et hoc quoque illi confinxerint, ut equidem arbitror, id orator plane hoc loco ne uno quidem verbo significat. — Omnium autem infirmissimum hoc est: „Si Philoctemo propria sibi bona habebat, poterat eorum possessionem exposcere adoptatus ab illo Chaerestratus. Si nulla habebat, frustra et inaniter pro eo verba faciebat Isaeus. Nam Euctemonis bona nulla in manu Philoctemonis erant, qui ante eum decesserat; Euctemonis autem, cuius iusti filii pueri illi habebantur, quosque a se genitos declaraverat, Chaerestratus heres nullo modo esse, neque ut esset, ulla vincendi spe Isaeus orare poterat.“ Quasi vero constaret pueros istos Euctemonis esse filios legitimos ac non potius omnis oratio hoc ageret, ut eos spurios et ne genitos quidem ab Euctemone demonstraret, nullumque eorum ius esse in bona Euctemonis, sed omnia, quae hic reliquerat, Philoctemoni, isque quum obierit, filio eius adoptivo deberi.

Adhuc igitur nihil prolatum vidimus, quo nostra sententia refelli posset: quibus autem ea confirmatur et, si non plane certa, admodum tamen verisimilis fit, de his, nescio quomodo, tacere adversarii quam contra disputare maluerunt. Primum communia Euctemonis et Philoctemonis bona fuisse orator significat his verbis §. 38: *οὕτω πολλὴν οὐσίαν ἐκέκτητο Εὐκτήμων μετὰ τοῦ υἱέος Φιλοκτήμονος, ὥστε ἅμα τε τὰ μέγιστα ὑμῖν λειτουργεῖν ἀμφοτέρους τῶν τε ἀρχαίων μηδὲν πραθῆναι τῶν τε προσόδων περιποιεῖν.* quae haud dubie ostendunt Philoctemonem dum vivebat paterna bona cum patre communiter possedisse et administrasse. — Deinde si peculiaria et a paternis seiuncta bona Philoctemo reliquerat, haec a filio adoptivo statim post eius mortem capi consentaneum fuit. Nam quae causa excogitari potest, cur id omiserit bonaque adoptionis iure

sibi debita Euctemoni permiserit? cui nullum certe in haec bona ius competeret, et quem videret totum in nequissimorum hominum potestate esse. Hoc quam incredibile sit, non opus est multis verbis exponere. Et tamen manifestum videtur, nulla bona paterna ante Euctemonis mortem a Chaerestrato capta esse. Nam non poterant capi nisi aut per ἐπιδικασίαν aut fortassis etiam per ἐμβατείαν [11]). Ἐπιδικασία autem perfici non potuit a filio adoptivo, nisi ipsa adoptione iudicibus comprobata. Poterat igitur aut debebat potius Chaerestrati patronus hoc praeiudicio uti, validissimo sane argumento ad refellendos adversarios, qui adoptatum Chaerestratum a Philoctemone negabant. Sed nusquam eo utitur: neque igitur ἐπιδικασία facta videtur. Simili autem ratione ne per ἐμβατείαν quidem Philoctemonis bona a Chaerestrato occupata esse conficitur. Nam haec latere Euctemonem
11 eosque, quos is tunc maxime familiares habebat, Androclem et Antidorum, nullo modo potuit. Hi igitur si bona Philoctemonis ab eo occupari viderent, quem ipsi aut adoptatum esse a Philoctemo, aut potuisse adoptari negarent, impedire eum debebant, aut, si non impediverant, postea, quum impugnarent eius adoptionem, repelli hoc argumento poterant, quod iustam adoptionem eo ipso confessi essent, quod pro adoptivo Chaerestratum se gerere et occupare Philoctemonis bona sivissent. Sed etiam tali argumento nusquam oratorem uti videmus. Itaque quum neque per ἐπιδικασίαν neque per ἐμβατείαν bona Philoctemonis capta a Chaerestrato videri possint, nulla omnino peculiaria ab illo relicta esse colligas, neque nimis illud urgendum intelligas, quod §. 47 legitur: *οἴονται δεῖν τόν τε Εὐκτήμονος οἶκον καὶ τὸν Φιλοκτήμονος ἔχειν*, quum praesertim ambigua sit horum verborum sententia [12]). — Pleraque horum dudum a me prolata, recteque a Boorio accepta et ponderata, ab adversariis autem non

11) Siquidem hac nonnunquam etiam ii usi esse videntur, qui testamento, non inter vivos, adoptati erant, quamquam legibus id vix licuerit.

12) Potuit sane orator ita dicere si reapse duae erant diversae hereditates, potuit autem etiam si una erat, quae et Euctemonis dicebatur esse, ab adversariis nempe, et Philoctemonis, quemadmodum ipse voluit: ut quasi in medio relinqueret, utrius nomine dicenda esset. Et nonnunquam per copulativas particulas componi duas res, quarum quasi optio permittitur, iam alii notarunt, velut Heller. ad Soph. Oed. Col. v. 481. Matth. gr. Gr. p. 1502, qui *sive — sive* in huiusmodi locis convertendis usurpari posse monent. Id licebit etiam nostro loco: *credunt sibi hereditatem sive Euctemonis sive Philoctemonis deberi.*

refutata sed silentio praetermissa sunt. Scilicet praeoccupatis falsa opinione animis nihil nisi specie quadam argumentorum hanc fulcire conati sunt: contraria autem argumenta, redargui posse desperantes, caute dissimularunt.

Plus quam vellem verborum mihi faciendum fuit in re admodum per se exigua levisque momenti: sed ostendere tamen Vobis, Commilitones, haec disputatio poterit, quantam sibi diligentiam oratorum enarratio postulet, quam multae res accurate considerandae, quot et qualia momenta perpendenda sint, si quis ab errore sibi cavere velit. Itaque etiamsi nihil sane Vestra interest, qualis illa causa fuerit, in qua Isaei oratio versatur, illud tamen intererit fortasse cognoscere, qua via et ratione interpreti agendum fuerit, ut verum inveniret errorem que aliis obiectum removeret: ut, si minus res ipsa, at certe tractatio rei non inutilis neque aliena Vestris studiis videri possit. Unum restat, quod paucis absolvam. Nam quum de iure patris in filii bona succedendi quaeritur, adhiberi solet etiam lex apud Demosthenem or. cfr. Macart. p. 1067, his verbis concepta: *Ὅστις ἂν μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ, ἐὰν μὲν παῖδας καταλείπῃ θηλείας, σὺν ταύτῃσιν, ἐὰν δὲ μή, τούσδε κυρίους εἶναι τῶν χρημάτων. ἐὰν*[13]) *ἀδελφοὶ ὦσιν ὁμοπάτορες· καὶ ἐὰν παῖδες ἐξ ἀδελφῶν γνήσιοι, τὴν τοῦ πατρὸς μοῖραν λαγχάνειν.* In postremo membro utrum defuncti pater intelligendus sit, an eorum, quos hac in parte lex ad successionem vocat, nepotum ex fratre defuncti, *τῶν ἀδελφιδῶν*, dissentiunt interpretes. 12
Hunc Gansius intelligit, et Carolus de Boor, rectissime ita legem interpretati, ut fratrum filii hereditatem in stirpes dividere iubeantur, h. e. ita, ut si plures sint e pluribus fratribus nati, sui quique patris portionem accipiant. Bunsenius contra, quem Schellingius sequitur, ipsius defuncti patrem dici opinatur, idque vel grammaticam flagitare autumat. Quaenam haec sit grammatica, non satis me scire fateor: illud autem intelligere mihi videor, verba illa, *τὴν τοῦ πατρὸς μοῖραν λαγχάνειν*, non hoc significare, quod Bunsenius voluit, in patris vicem succedant, sed potius, patris portionem accipiant.

13) Post *ἐὰν* codices addunt *δ'*, quod a Bekkero servatum, a Reiskio cum *μὲν* permutatum est. Schaefero utrumque delendum videbatur: *δέ* quidem manifesto falsum. — Mox interpunctio ponenda fuit post *ὁμοπάτορες*, ne quis haec verba cum sequentibus coniungat. Ad explendam orationem e superioribus subaudiri debet, *τούσδε κυρίους εἶναι*.

Ita si patrem defuncti intelligamus, illud quoque statuamus necesse erit, ad hunc hereditatem filii non totam, sed partem tantummodo eius pertinuisse. Id autem nec Bunsenius voluit, nec Schellingium velle arbitror: apparet igitur, de patre defuncti omnino non cogitandum fuisse in huius legis interpretatione.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. VII. Id. Aug. MDCCCXLII.

DE CREANDORUM MAGISTRATUUM TEMPORIBUS.

In disciplinis historicis, quibus propositum est monumentorum 3
ac testimoniorum diligenti perscrutatione ad rerum cognitionem eniti, nihil magis cavendum est, quam ne, quum cognosci aliquid vera via ac ratione non potest, speciem tamen aliquam cognitionis coniectandi levitate et interpretationis arbitrariae artificiis aucupemur. Haec perversitas incredibile dictu est quantopere, sicut in omni historia, ita etiam in hac parte, quae ad Graecae et Romanae antiquitatis cognitionem pertinet, et olim grassata sit et nunc quum maxime grassetur, quamque multa quotidie a viris etiam doctissimis proferantur, quae si quis recte ac sobrie examinet, vix pauciora respuenda, ut vana et commenticia, quam accipienda, ut vera aut probabilia, intelligat. Nolo de mythologis dicere, qui, quum fabulosas historias tractant, quasi legibus soluti concessaque quidvis audendi licentia, hariolorum saepius quam historicorum partes agere eoque magis sibi placere videntur, quo plura temere miscent: sed etiam qui in testata rerum gestarum memoria aut institutorum civilium descriptione versantur, nimis saepe rectae rationis obliti ubi vera ac certa cognitione potiri non possunt, fictas opiniones cupidius quam prudentius arripiunt, nubemque, ut est in proverbio, pro Iunone amplectuntur. Huius generis exemplum unum de novissimis contemplari hoc loco placuit, editum illud quidem in re haud magni momenti, sed cuius tamen accuratior pertractatio non aliena videatur ab huiusmodi academicae prolusionis consilio.

Quae tempora creandis magistratibus statuta apud Athenienses fuerint, adhuc iudicavimus sciri non posse, propterea quod nec testem huius rei idoneum fideque dignum haberemus, neque indicia extarent, 4

unde coniectura probabilis duci posset [1]). Huic malo, si quidem est malum, mederi nuper conatus est Christianus Petersen [2]), doctus vir et ingeniosus, sed nimis interdum animo suo indulgens, cupiditatique plus quam rationi obtemperans, qui non modo testis levissimi meritoque ab omnibus reiecti tuendam sibi auctoritatem, ineptiasque testimonii interpretatione defendendas sumpsit, sed manifestum insuper rei indicium deprehendere sibi visus est in loco quodam veteris et classici scriptoris adhuc in hac quaestione praetermisso. Videbimus igitur quid praestiterit, et primum quidem de teste. Est is grammaticus nescio quis, sed de recentiorum numero, cuius enarrationem habemus argumenti orationis Demosthenicae in Androtionem, in qua enarratione etiam de senatu Atheniensium, de prytanibus eorumque proedris, de anni per prytanias descriptione et de magistratuum creandorum tempore exponit. Ac de proedris quidem quae tradit, quamvis per se ipsa haudquaquam incredibilia sint, nosque olim fidem iis denegare non sustinuerimus [3]), tamen, quoniam dissident a ceteris scriptorum ac monumentorum testimoniis, tanquam commenticia nuper a viris cordatissimis, neque immerito, ut arbitror, reiecta sunt [4]). De prytaniarum autem descriptione magistratuumque creatione haec fere sunt quae docet. Quum anno Athenienses uterentur lunari, dierum trecentorum quinquaginta quattuor, hoc dierum numero per decem prytanias aequabiliter distributo quod superfuerit quatriduum non comprehensum illa distributione nullique prytaniae attributum esse; fuisse autem eo quatriduo rem publicam sine magistratibus, datumque hoc tempus esse novis magistratibus creandis, propterea que ἀρχαιρεσιῶν nomine appellatum: τὰς μὲν δ' ἡμέρας [5]) ἐκάλουν οἱ Ἀθηναῖοι ἀρχαιρεσίας, ἐν αἷς ἄναρχος ἡ Ἀττικὴ ἦν. ἐν ταύταις προεβάλλοντο τοὺς ἄρχοντας. In

1) Vid. de comitt. Ath. p. 322 sqq.

2) In dissertatione Diurnis antiquariis inserta: „Die Frühlingsfeste der Agraulos und die Archairesien in Athen." Zeitschr. f. d. Alterth. Wissensch. 1846 no. 73 sqq.

3) De comitt. Ath. lib. 1 c. 7. Antiq. i. p. Gr. p. 217, 7.

4) Tractavit hanc quaestionem perquam subtiliter vir praestantissimus, C. F. Hermannus, in dissert. de proedris Athen., indici schol. Gotting. a. 1843/44 praemissa, assenseruntque ei quum alii, tum Meierus, unus peritissimus harum rerum iudex, in libro nuper edito de Diaetetis Ath. p. 16 sqq.

5) Legebatur vulgo τὰς μὲν δύο ἡμέρας, vitio manifesto dudumque animadverso, quod qui ortum sit, ipse aspectus docet. Verum reposuerunt Baiterus et Sauppius.

his primum illud de anarchia, ut nulli fuerint per quatriduum in re publica magistratus, iamdudum a viris doctissimis explosum est, neque Petersenius rem ita se habuisse credit: sed ut tueatur tamen aliquo modo grammatici fidem, ab interpretatione auxilium petit. Nempe propterea *ἄναρχον Ἀττικὴν* dici, quod novorum magistratuum comitiis non prytanes, quorum in ceteris hoc munus erat, sed alii magistratus praefuerint: *der Verfasser des Arguments bezieht den Ausdruck ἄναρχος gerade darauf, dass bei den Wahlen nicht die Prytanen die Leitung der Geschäfte haben* (*ἄρχουσιν*). Egregia sane interpretatio et ex earum genere, quas refutare haud facile quisquam animum inducat. — Illud porro vix credibile nobis aliisque visum est, tam multorum magistratuum creationi haud amplius quatriduum datum esse: Petersenius contra sat longum hoc tempus fuisse contendit non solum creandis a populo magistratibus, de quibus solis nos cogitaveramus, sed etiam sortiendis, nec magistratibus solum, sed etiam senatoribus et iudicibus, idque demonstrare studet curiosa ratiocinatione, quam nunc, quoniam ad summam rem minus haec quaestio pertinet, silentio praetermittemus. — Restat tertia offensio. Intuentibus enim grammatici verba omnemque orationis contextum reputantibus vix dubium esse potest, quin quatriduum illud, quo magistratus crearentur, totius anni extremum esse voluerit. *Ἔχει*, inquit, *ὁ ἐνιαυτὸς κατὰ τὸν σεληνιακὸν δρόμον
τριακοσίας πεντήκοντα τέσσαρας ἡμέρας· καὶ τὰς μὲν δ' ἡμέρας* 6
ἐκάλουν οἱ Ἀθηναῖοι ἀρχαιρεσίας, ἐν αἷς ἄναρχος ἡ Ἀττικὴ ἦν. ἐν ταύταις προεβάλλοντο τοὺς ἄρχοντας. ἦρχον οὖν οἱ πεντακόσιοι τὰς τριακοσίας πεντήκοντα ἡμέρας. Atqui postremis anni diebus magistratus non creatos esse, neque potuisse creari, evidentissime a nobis demonstratum est[6]), ut dubitari hac de re iam non possit. Neque Petersenius dubitat, sed rursus interpretandi artificio removere offensionem conatur. Nihil enim causae esse, cur postremos potissimum dies a grammatico significari statuamus: hoc tantum inesse in eius verbis, ut dies quattuor, qui distributo aequabiliter per prytanias anno superfuerint, creandis magistratibus destinati esse dicantur: posse extremos totius anni, posse autem etiam alios intellegi, priore aliqua anni parte inter duas prytanias interiectos: utrum verum sit, non diserte quidem a grammatico indicari, tamen, si probari aliunde possit,

6) De comitt. Ath. p. 324—326.

non extremo anno, sed aliquo priore tempore *ἀρχαιρεσίας* fuisse, boni interpretis esse, ut hoc ipsum etiam illum in mente habuisse credat. Putabam equidem grammaticum, si hoc voluisset, paullo aliter loquuturum fuisse: verum ne malignus videar, dabo Petersenio quod vult, modo probet, factum unquam Athenis esse, quod iste autumat, ut in prytaniarum distributione quatriduum exciperetur nullique prytaniae attribueretur. Pugnat enim hoc cum certissimis monumentis, quae anni dies centum quinquaginta quattuor per prytanias aliter quidem alio tempore, sed distributos tamen omnes esse docent [7]). Petersenius autem, quoniam in distributione variatum est, potuisse etiam hoc fieri ait, ut aliquando quattuor dies plane non distribuerentur. Atqui a posse ad esse non valet consequentia, ut logici praecipiunt et si, quod potuit fortasse fieri, propterea etiam factum esse creditur, actum est de historia.

7 Tantum de teste: iam de indicio videndum est, quo fretus Petersenius isti *ἀρχαιρεσιῶν* quatriduo *ἀνάρχῳ*, sive mavult *ἀπρυτανεύτῳ*, locum suum assignat inter nonam et decimam prytaniam a die XXI ad XXIV mensis Thargelionis, qui anni Attici penultimus erat. Hoc enim tempus magistratibus creandis statutum fuisse ex duobus Isaei locis colligit, qui sunt in oratione de Appollodori hereditate §. 16 et 27. Narrat ibi is, cui haec oratio scripta est, Thrasyllus Archidami f., adoptatum se ab Apollodoro avunculo et in phratorum gentiliumque concilium introductum esse Thargeliorum festo, quod agebatur mensis Thargelionis initio. Postea seso absente — abierat enim ad Pythios ludos, publice, ut videtur, legatus, — curasse Apollodorum, ut pagi sui tabulis, *τῷ ληξιαρχικῷ γραμμματείῳ*, tanquam filius ipsius adoptivus inscriberetur, idque factum esse *ἐν ἀρχαιρεσίαις*. Has igitur *ἀρχαιρεσίας* Petersenius eidem mensi Thargelioni assignat propterea quod Pythiorum solemnia Thargelione aut Munychione celebrata sint. Nihil unquam vidi mirabilius. Thargelioni qui Pythia assignaret, adhuc, quod sciam, nemo fuit: Munychione celebrata complures crediderunt, quorum si probatur sententia, viderit Petersenius quid consequatur. Nempe Thargeliis Thrasyllus in phratriam introductus est: adfuit igitur hoc tempore Athenis: post Thargelia profectus est ad Pythia: age-

---

7) Vid. Boeckh. Corp. Inscr. 1 p. 144 a. 223 b. Staatshaush. v. Ath. II, p. 176 et 196.

bantur autem haec mense Munychione, qui Thargelionem antecedit: consequitur ergo illum sero profectum esse et venisse post festum. Nisi forte Petersenius iam Munychione profectum statuit, aliquo ante Thargelia tempore. Nam tale quid eius verba significare videntur, p. 583: *Thrasyllus selbst war um diese Zeit der Thargelien zu den Pythien gereist, die im Attischen Munychion oder Thargelion gefeiert wurden.* Atqui hoc si voluit, aut non legit quae ille dicit, ἐπειδὴ Θαργήλια ἦν ἤγαγέ με ἐπὶ τοὺς βωμοὺς εἰς τοὺς γεννήτας τε καὶ φράτορας, aut hominem, quamvis absentem, adductum tamen ad aram, unoque tempore et abfuisse Athenis et adfuisse statuit. — Ceterum de Pythiis constat nunc fere, non Munychione, sed aut Metagitnione aut Boedromione haec celebrata esse [8]): quod si est 8
ita, consequitur ἀρχαιρεσίας illas inscriptionemque Thrasylli, absentis etiamtum propter Pythia, Thargelioni mensi assignari nullo modo posse, sed esse inter hunc illaque trimestre fero aut quadrimestre spatium interiectum. Itaque omnis ista Petersenii ratio corruit.

Sed refutandus est etiam alius viri doctissimi error, ne quis forte existimet, etiamsi in tempore ἀρχαιρεσιῶν definiendo ratio eum fefellerit, hoc tamen recte factum esse, quod Isaei illum locum huic quaestioni adhibuerit; quippe intelligi enim ex eo, ἀρχαιρεσίας circa Pythiorum tempus fuisse. Nempe quaestio erat de ἀρχαιρεσίαις totius civitatis, in quibus magistratus crearentur rei publicae: ad eas vero locus ille nihil prorsus pertinet, sed quae memorantur ibi ἀρχαιρεσίαι, unius pagi sunt, eius, in cuius albo Thrasyllus inscriptus est. Monuimus hoc dudum [9]), sed verbo, ut in re satis per se manifesta, quam demonstrari nemo sibi cuperet. Aliter visum est Petersenio: audiamus ergo, quid contra dicat. Primum, quoniam Demosthenes or. in Leocharem p. 1091, 16 ἀγορὰ τῶν ἀρχόντων dicat, quam quivis intelligit conventum esse paganorum magistratibus creandis, mox autem, de alio conventu loquens, p. 1092, 13, ἀρχαιρεσιῶν nomine utatur, apparere haec duo genera conventuum esse inter se diversa. Quasi vero non licuerit oratori, unam rem duobus nominibus pariter aptis designare. — Deinde lexiarchicis tabulis inscribi adolescentes nisi in urbe non potuisse; paganorum autem conventus non in urbe,

8) Vid. C. F. Hermann. de anno Delphico p. 16 sqq.
9) In commentar. ad Isaeum p. 368.

sed in pagis ipsis fuisse[10]): quamobrem, quum in ἀρχαιρεσίαις
9 adolescentes inscriptos videamus, non posse has pro paganorum conventibus haberi. Sed unde compertum habeat, aut unde suspicetur, inscribi illis tabulis adolescentes non potuisse, nisi in urbe, nec dixit, nec probare rem inauditam unquam poterit[11]). Itaque hoc argumentum nullum est. — Porro quum tabulis illis adolescentes inscriberentur, adesse etiam phratores debuisse, qui quum diversorum saepe pagorum essent, non potuisse ἀρχαιρεσίας, ubi illi inscriberentur, in pagis, sed debuisse utique in urbe haberi; neque igitur paganorum, sed omnium civium conventus fuisse. Atqui illud quoque de adhibendis phratoribus ipse solus nullo auctore nullaque ratione commentus est[12]): rursus igitur hoc argumentum nullum esse dicemus. — Postremo, quotquot locis ἀρχαιρεσίαι memorentur, semper populi comitia significari. Apparet virum doctissimum pro argumento id ipsum sumere, quod probandum hoc argumento suscepit. Nam semper illo nomine populi comitia significari, tum demum verum est, si Demosthenis etiam et Isaei locis non alia significari constat. Ceterum frequentius populi quam pagorum ἀρχαιρεσίας memorari non mirabimur: nomen ipsum pariter pagorum quam populi comitiis conveniens est: res autem, quae apud Demosthenem et Isaeum in ἀρχαιρεσίαις apud paganos aguntur, eiusmodi sunt, quas in totius populi comitiis agi non potuisse ratio ipsa cogat. Postulant aliqui tabulis lexiarchicis sua aut suorum nomina inscribi: disceptatur ea de re inter paganos, aliis inscriptionem suadentibus, aliis obloquentibus, quorum auditis orationibus pagani suffragium,

10) Id in universum haud dubie verum; tenendum autem, fuisse etiam ipsius urbis pagos s. δήμους, quamobrem ubi pagi alicuius ἀγοράν, quod nomen locum conventus pariter atque ipsum conventum designat, in urbe invenimus (Antiquitt. i. p. Gr. p. 205, 14), eum pagum urbanum fuisse censebimus, velut Scambonidas (Corp. Inscr. Gr. no. 70), de quibus rectissime statuit H. Sauppius noster in egregia de demis urbanis dissertatione nuper Wimariae edita, p. 15. 16.

11) Inspecta denuo Peterseuii dissertatione videor mihi p. 594 causam erroris deprehendisse. Persuasit enim sibi vir doctissimus, in lexiarchicis tabulis adolescentes a lexiarchis inscriptos, qui quum non pagani sed urbani magistratus essent, propterea inscriptionem illam non in pagis sed in urbe peractam esse. Sic error errorem peperit.

12) Nisi forte hanc rationem habuit, quod nonnunquam phratorum testimonio opus esse potuerit. Sed huius rei causa unum atque alterum produci in paganorum conventu satis erat.

non manibus sublatis, sed coniectis in urnam calculis ferunt. Haec obiter 10
inter totius populi comitia agi non potuisse apparet, neque quisquam tam stultus fuit, ut eadem comitia simul civitatis universae, simul singulorum pagorum fuisse, civesque eodem tempore et coniunctos magistratibus creandis, et pagatim discretos suorum quosque pagorum negotiis operam dedisse crederet. Quid igitur Petersenius? Noli quaerere: utitur ingenio suo, et ordinem quendam rerum gerendarum suo arbitratu componit, quo facile omnia et celerrime confiant. Primum populi comitiis non totum illud suum ἀρχαιρεσιῶν quatriduum assignat, sed unum modo diem postremum, quem quidem satis superque sufficere vult magistratibus per χειροτονίαν creandis omnibus. Sortiendis magistratibus, senatoribus, iudicibus tertium diem et aliquam fortasse secundi partem destinat. Inscribi tabulis lexiarchicis adolescentes primo die facit. Hoc die cives omnes sollemni pompa in fanum aliquod, sive Agrauli sive aliud, deducuntur, sacra fiunt, inscribuntur adolescentes, si quid controversiae incidit, quod statim decidi nequeat, non disceptatur nunc, sed adnotatur simpliciter, ut primo quoque tempore apud senatum populumque — sic enim Petersenio placet — aut etiam apud iudices disceptandum. Ita percommode omnes omnium pagorum inscriptiones, etiamsi quingentae quotannis fuisse statuantur, aliquot horarum spatio absolvuntur; quae quod ab Isaeo et Demosthene ἐν ἀρχαιρεσίαις factae dicuntur, quum magistratus hoc die creari nolit, ita, credo, explicabit, ut minus proprie omne illud quatriduum ἀρχαιρεσίας appellari potuisse dicat, eiusque rei testem laudabit grammaticum suum: τὰς δ' ἡμέρας ἐκάλουν οἱ Ἀθηναῖοι ἀρχαιρεσίας. Sed huius auctoritas qualis sit, paullo ante vidimus, qua detracta quum nulla ne umbra quidem aut rationis aut testimonii, nihil denique argumenti simile sit, quo mirifica ista negotiorum descriptio comprobetur, sua se nobis somnia narrasse ipse, opinor, vir doctissimus non diffitebitur. Delectentur igitur his somniis qui volent: nos vigilantibus oculis videre quod res est malumus. Itaque videmus illas apud Isaeum et 11
Demosthenem ἀρχαιρεσίας, in quibus adolescentes tabulis inscribuntur lexiarchicis, non populi, sed pagorum esse: de quarum tempore, si quaeritur, quum apud Isaeum res circa Pythiorum tempus agatur, eius quidem pagi, cui Thrasyllus adscribebatur, Metagitnione aut Boedromione ἀρχαιρεσίας fuisse iudicamus, de reliquis res in medio relinquenda est, siquidem alia aliorum tempora esse potue-

runt, quemadmodum etiam in aliis rebus plurimis diversa inter se erant pagorum instituta: denique ad universae civitatis ἀρχαιρεσίας hos locos nihil pertinere, et quo tempore populus sibi magistratus creaverit, sciri non posse, sicut dudum professi sumus, ita etiam nunc profitemur.

Dabamus Gryphiswaldiae prid. Id. Octobr. MDCCCXLVI.

DE REDDENDIS MAGISTRATUUM GESTORUM RATIONIBUS.

Isocrates in oratione Areopagitica cap. IX veterum Atheniensium 3
mores atque instituta commemorans, inter alia prisci temporis bona etiam magistratuum administrationem summis laudibus extollit: neque enim mandatos esse magistratus nisi eis, qui satis essent facultatibus instructi, ut omni rei suae familiaris cura soluti totos se possent rei publicae dare, hosque potestate sua sic uti solitos, non ut sibi suisque commodis prospicerent, sed ut rei publicae servirent, nullamque curarum ac laborum mercedem praeter civium suorum laudem peterent, neque refugisse, quo minus, si quid deliquissent, gravissimam animadversionem subirent, iudiciumque de se, utrum laudandi an castigandi essent, ab eo ipso, a quo creati essent, populo exerceretur. Atque hoc quidem, ut, a quibus quisque magistratum accepisset, apud eosdem etiam perfuncti muneris rationem redderet, non proprium Atheniensium rei publicae sed commune fuit cum ceteris, quantum quidem constat, omnibus: quo autem modo apud Athenienses provisum fuerit, ut de magistratuum actionibus populus cognoscere, quamque illi aut recte aut secus potestate sua usi essent iudicare posset, in universum quidem non ignotum est, dudumque quum ab aliis tum a nobis expositum. Primum enim constat, in prima cuiusque prytaniae ecclesia legitima ἐπιχειροτονίαν, quae dicitur, magistratuum institui solitam esse, h. e. rogatum esse a praesidibus populum, viderenturne magistratus officio suo recte fungi an secus, et relinquendine in munere an amovendi essent, eaque occasione uti potuisse si quis vel privatarum iniuriarum querelas vel publicorum delictorum indicia aut ac-

cusationes contra aliquem eorum ad populum deferre vellet, quae si acceptae essent, illos in iudicium vocatos interimque, donec causa diiudicaretur, administratione munerum abstiuere coactos esse [1]). De-
4 inde cautum fuisse, ut exacto muneris anno intra certum tempus, quod fuit dierum XXX, magistratus omnes, qui quidem aliquid publicarum pecuniarum in manibus habuissent, harum rationem accurate perscriptam una cum probationibus ad collegium decem logistarum deferrent, qui eam examinandam euthynis item decem traderent, hi autem si quid deprehendissent, de quo satisfacere ipsis et se expurgare is qui rationem retulerat non posset, rem logistis indicarent, iique hominem in heliasticum iudicium deducerent, cuius ipsi praesides essent, accusatoris autem partes ageret aliquis ex decem synegoris rei publicae, qui propter hanc ipsam causam euthynis adiuncti erant: qui autem nullam publicam pecuniam in manibus habuissent, eos hoc ipsum, sese neque accepisse quidquam neque expendisse, profiteri apud logistas debuisse, sed nihilo minus hos quoque pariter cum illis alteris intra certam diem praesto esse debuisse ad logistarum tribunal accusatorem si quis adversus se existeret expectaturos [2]). Haec igitur, ut diximus, iam in vulgus nota sunt: sed restant nonnulla in hac rationum relatione, de quibus nondum satis nobis liquere, quum de antiquitatibus iuris publici scriberemus, professi sumus, veluti quod apud Aeschinem, or. in Ctesiph. p. 403 §. 15, magistratus dicuntur *λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς*, non apparere quisnam esset hic *γραμματεύς*, logistarumne scriba an alius, itemque non facile dici posse, quid de Pollucis quodam loco iudicandum esset, ubi duo logistae, non decem, commemorantur, denique dubium esse quo modo accipi deberet Lysiae quoddam testimonium in or. ctr. Nicomachum p. 842 §. 5, ubi rationes a magistratibus non quotannis sed quaque prytania, i. e. decies in anno, referri dicuntur. De his igitur quid nobis non improbabiliter statui posse videatur, hoc tempore paucis exponere placet. Initium autem faciendum est ab Lysiae testimonio. Nicomachus ille, contra quem eius oratio scripta est, post abolitam Quadringentorum administrationem restitutumque imperium populare creatus a populo fuerat legibus rei publicae omnibus, quotquot inde a Solone usque ad novissima tempora latae essent, col-

1) Vid. de comitiis Ath. p. 231. Antiquitt. iur. publ. Graec. p. 230.
2) Antiqu. iur. publ. Gr. p. 240.

ligendis, in ordinem redigendis ac describendis: nam fuit earum magna haud dubie et confusa multitudo, aliis propter temporis longinquitatem obsoletis, neque tamen adhuc abrogatis, aliis propter sermonis vetustatem obscuris difficilibusque ad intelligendum, aliis denique pugnantibus inter se et contrariis, unde quum fieri non posset, quin magna saepe iuris incertitudo multaeque incommoditates existerent, huic malo per illam legum quasi codificationem, ut nunc dici solet, medendum Athenienses statuerant, idque negotium Nicomacho cum aliis quibusdam [3]) mandaverant. Is in eo partim ante proelium ad Aegos flumen, partim post eversam triginta virorum dominationem restitutamque populo libertatem rursus aliquamdiu versatus est, naviterne ac probe, an male, ut Lysias criminatur, et magna cum improbitate, diiudicari hodie a nobis non potest: quamquam ipsi quidem populo Atheniensium operam eius haud improbatam fuisse ex eo colligas, quod eum eidem negotio, posteaquam propter cladem ad Aegos flumen acceptam impositamque civitati servitutem aliquamdiu intermitti debuerat, iterum adhibuerunt [4]). Obiicitur autem ei ab accusatore inter alia crimina etiam hoc, quod nullam adhuc administrati a se muneris rationem retulerit, quum ceteri magistratus rationem quaque prytania referant: *οἱ μὲν ἄλλοι*, inquit, *τῆς αὑτῶν ἀρχῆς κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀναφέρουσι, σὺ δέ, ὦ Νικόμαχε, οὐδὲ τεττάρων ἐτῶν ἠξίωσας ἐγγράψαι.* Ab interpretibus quidem Lysiae, quotquot ego inspicere potui, omnibus hoc *κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀναφέρουσι* sic acceptum esse video, ut significari censerent illam magistratuum *ἐπιχειροτονίαν*, de qua modo a me dictum est [5]). Vereor tamen magnopere, ne erraverint. Nam non intelligo, quo modo *λόγον ἀναφέρειν*, h. e. rationem deferre, de iis dici potuerit, quibus nihil aliud faciendum esset, quam ut expectarent accusatorem et, si quid contra se criminis prolatum esset, id aut statim aut in iudicio diluerent. Quippe *ἀναφέρειν λόγον* nihil aliud esse potest, quam, quod alibi dicitur, *λόγον ἐγγράφειν*, hoc est perscriptam rationem ad eos,

---

3) Hoc colligitur e Lysiae verbis §. 28: *οἱ μὲν πρόγονοι νομοθέτας ᾑροῦντο Σόλωνα καὶ Θεμιστοκλέα καὶ Περικλέα, ὑμεῖς δὲ Τισάμενον τὸν Μηχανίωνος καὶ Νικόμαχον καὶ ἑτέρους ἀνθρώπους ὑπογραμματέας.*

4) Conf. G. Grote, History of Greece vol. VIII p. 419 sqq., qui recte iudicare videtur.

5) Sic etiam Westermannus in Encyclopaedia reali tom. III p. 176.

quibus ea examinanda est, deferre, quemadmodum ipsum Lysiam mox hoc verbo *ἐγγράψαι* uti videmus, et Aeschines quoque *ἀποφέρειν*
6 *λόγον πρὸς τοὺς λογιστάς* dicit, in Ctesiph. §. 22, eodem sensu, quo paullo ante, §. 20 *λόγον ἐγγράφειν πρὸς τοὺς λογιστὰς* dixerat [6]). Atque etiam res ipsa apud Lysiam istam interpretationem refutat. Nam in illa magistratuum *ἐπιχειροτονίᾳ*, quae in prima cuiusque prytaniae ecclesia instituebatur, haudquaquam in ipsorum magistratuum potestate positum erat, vellentne rationem actionum suarum reddere, an nollent, sed respondendum utique erat, si quis eos aliquo modo deliquisse officioque suo defuisse argueret, id quod cuivis civi licebat simulatque rogatio illa sollemnis lata esset, *εἰ δοκεῖ καλῶς ἄρχειν ἕκαστος* [7]): contra qui a nullo deliquisse arguerentur, his in hac quidem *ἐπιχειροτονίᾳ* etiam rationem actorum suorum nullam reddendam fuisse apparet: quamobrem quum Lysias neglectam a Nicomacho rationis relationem criminetur, aliud quid significari manifestum est, quam illam respondendi suique expurgandi necessitatem, quam ille, si quis in *ἐπιχειροτονίᾳ* adversarius existeret, negligere aut subterfugere nullo modo potuit.

Iam vero si quaerimus, quinam sint, ad quos rationes a magistratibus quaque prytania perscribi ac deferri debuerint, nullos alios invenire poterimus praeter eos, quos solos Aeschines nominat, quum de rationibus perscribendis loquitur, *τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς*. Verum, ut diximus, quisnam hic *γραμματεὺς* intelligendus sit, non satis liquet. Interpretes quidem, quantum ex eorum silentio coniici potest, de logistarum scriba cogitasse videntur [8]): neque sane dubitari licet, quin, ut ceteris magistratibus, sic etiam logistarum collegio scriba aut unus aut etiam plures additi fuerint. Atqui scribae mi-

---

6) Cf. Demosth. in Timocr. p. 762 §. 199: *μόνος δέκα τῶν συναρχόντων ὄντων κοινῇ τὸν λόγον ἐγγράψαι μετ᾽ Ἀνδροτίωνος ἐτόλμησεν.* Aristoph. Vesp. v. 996: *ἵνα μὴ κακουργῶν ἐνέγραφ᾽ ἡμῖν τὸν λόγον.*

7) Vid. Iul. Pollux VIII, 87.

8) Sic etiam scholiastes, in ed. Turic. tom. II, p. 41, 41: *λογιστὴς ἑκάστης φυλῆς εἷς· γραμματέα δὲ ἕκαστοι εἶχον. λέγει οὖν νῦν τὸν τῶν λογιστῶν.* Paullo rectius alter, ib. v. 38: *γραμματέα λέγει τὸν εἰωθότα ἐν τῷ κοινῷ τὰ τοῦ δήμου γράμματα ἀναγιγνώσκειν.* Intellexit saltem de logistarum scriba non cogitandum esse, licet ceteroquin coniectura eius a vero aberraverit. Nam coniecturam hanc esse grammatici, non testimonium monumentorum fide subnixum satis apparet, monuitque etiam Boeckhius, de oecon. r. p. Ath. tom. I p. 265 ed. alt.

nistri magistratuum, non collegae sunt. Numnam igitur probabile est, scribam hunc logistarum sic ut ab Aeschine factum est nominari potuisse, quasi ad hunc non minus quam ad ipsos logistas res pertineret? 7
Quodsi quis forte respondeat, deferendam tamen haud dubie rationem ad scribam fuisse, qui deinde logistis eam traderet, arbitror equidem Aeschinem, si hoc significare vellet, aliter dicturum fuisse, velut *ἀναφέρειν πρὸς τὸν γραμματέα τὸν τῶν λογιστῶν* aut *παραδιδόναι τῷ γραμματεῖ* —, non autem *ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα.* Nam *ἐγγράφειν τι πρός τινα* sic demum recte dici videtur, si quid eo consilio scribitur, ut ab eo, quem pronomen significat, ipso legatur atque cognoscatur, itidem ut latine dicitur perscribere aliquid ad aliquem. An forte, si quis epistolam ad te scriptam servo tuo tradiderit ad te perferendam, hunc recte dices ad servum tuum et ad te scripsisse? — Necesse est igitur scribam illum, quem Aeschines significat, non ministrum fuisse nihil nisi operas quasdam humiliores et quasi serviles praebentem, sed propriam quandam ac suam auctoritatem et curationem habuisse in illis quae ad eum deferrentur magistratuum rationibus. Et fuisse in Atheniensium re publica etiam hoc genus scribarum novimus, qui non ministri magistratuum, sed ipsi quodammodo magistratus aut saltem curatores haberi debeant [9]) propria quadam auctoritate instructi: in quo genere ii maxime numerandi sunt, qui proprie *ἀντιγραφεῖς* h. e. contrascriptores s. contrarotulatores dicuntur. Horum unum Aeschines commemorat in hac ipsa contra Ctesiphontem oratione p. 417 §. 25: *πρότερον μὲν τοίνυν ἀντιγραφεὺς ἦν χειροτονητὸς τῇ πόλει, ὃς καθ' ἑκάστην πρυτανείαν ἀπελογίζετο τὰς προσόδους τῷ δήμῳ:* duorum apud grammaticos mentio fit, velut apud Harpocrationem s. v.: *Ἀντιγραφεύς· ὁ καθιστάμενος ἐπὶ τῶν καταβαλλόντων τινὰ τῇ πόλει χρήματα, ὥστε ἀντιγράφεσθαι ταῦτα. — διττοὶ δὲ ἦσαν ἀντιγραφεῖς, ὁ μὲν τῆς διοικήσεως, ὥς φησι Φιλόχορος, ὁ δὲ τῆς βουλῆς, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ,* et apud Iulium Pollucem VIII, 98, qui locus in Imm. Bekkeri editione sic scriptus est: *Ἀντιγραφεὺς πρότερον μὲν αἱρετὸς αὖθις δὲ κληρωτὸς ἦν, καὶ πάν-*

---

9) Quid intersit inter magistratum (*ἀρχήν*) et curationem (*ἐπιμέλειαν*), satis exposuimus de comitt. Ath. p. 307 sqq. et Antiqu. iur. publ. Gr. p. 236 simulque monuimus, plerumque ab Atheniensibus haec nomina non accurate distingui, et *ἄρχοντας* dici, qui magis proprie *ἐπιμεληταί* dicendi essent.

τα ἀντεγράφετο παρακαθήμενος τῇ βουλῇ. δύο δ' ἦσαν, ὁ μὲν τῆς βουλῆς, ὁ δὲ τῆς διοικήσεως. λογισταί. καὶ τούτους ἡ βου-
8 *λὴ κληροῖ κατ' ἀρχὴν ὡς παρακολουθεῖν τοῖς διοικοῦσιν.* Neque profecto negari potest sic locum perquam probabiliter restitutum esse; nescio tamen an Pollux aliter scripsisse putandus sit. Nam verba eius variis modis a correctoribus difflicta esse codices demonstrant, quorum alii titulum *περὶ λογιστῶν* ante haec verba *καὶ τούτους ἡ βουλὴ κληροῖ* insertum habent, in aliis autem post verba *παρακαθήμενος τῇ βουλῇ* scriptum est: *λογισταὶ δύο ἦσαν, ὁ μὲν τῆς βουλῆς ὁ δὲ τῆς διοικήσεως· καὶ τούτους ἡ βουλὴ κληροῖ κατ' ἀρχὴν ὡς παρακολουθεῖν ἀντιγραφεὶς διοικοῦσιν.* Atque hoc quidem *ἀντιγραφεὶς* aliquo librariorum errore irrepsisse articulumque *τοῖς* expulisse manifestum est[10]): sed illud quoque *λογισταὶ δύο ἦσαν* nemo facile a Polluce scriptum esse credet, qui quamvis saepe ineptiat, tam inscitus tamen vix esse potuit, ut quos paullo ante, §. 45, decem fuisse scripserat, hos nunc duos fuisse diceret. Omnino autem logistarum eorum, qui proprie sic vocantur, mentionem hoc loco ab eo factam esse mireris, non tam propterea, quod iam antea nominati erant, sed potius quod, si iterum producendos censuit, aptiorem iis locum paullo infra assignare debuit, §. 100, ubi euthynos memorat, quibuscum illi arctissime coniuncti erant, nunc autem interpositis apodectis et poletis inepte ab iis separantur[11]). Quid igitur? si genuinam Pollucis scripturam huius fere modi fuisse statuamus: *δύο δ' ἦσαν, ὁ μὲν τῆς βουλῆς, ὁ δὲ τῆς διοικήσεως λογιστής.* Nam potuit suo iure *λογιστὴν τῆς διοικήσεως* eum dicere, qui administrationem pecuniariam magistratuum examinaret, siquidem illud vocabulum in omnes omnino convenit, quos latine rationarios vel calculatores dixeris, licet proprie ab Atheniensibus de iis tantum diceretur, qui erant in illo de-

10) An forte scriptum fuit *ὡς παρακολουθεῖν ἀντιγραφομένους τοῖς διοικοῦσιν?*

11) God. Hermannus, in censura Corporis Inscriptionum (Lips. 1826.) p. 232 totum locum de logistis apud Pollucem excidisse statuit, titulo tantum servato: quam sententiam si probamus, addere etiam hoc poterimus, titulum a librariis perperam alieno loco insertum esse. Et probavit Hermanni sententiam etiam Boeckhius in Museo Rhenano ann. 1827 p. 82. 83: quamquam postea vir summus iudicium mutavit, Oecon. r. p. Ath. I p. 267 ed. alt., illud tamen concedens, falsum esse, quod in hac, quam Bekkerus recepit, lectione logistae a senatu sorte capti esse dicuntur, id quod sane perquam incredibile est.

cem virorum collegio. Id enim obstare Polluci non potuit, quo minus idem vocabulum etiam generali significatu usurparet ad contrascriptoris officium non dissimile designandum [12]). Sed praestare tamen hanc 9
coniecturam nolo, neque intercedo quominus vera videatur Bekkeri scriptura: ad rem ipsam nihil interest utro modo legamus, quippe quum hoc quidem constet, fuisse quendam contrascriptorem administrationis, *ἀντιγραφέα τῆς διοικήσεως*, magistratibus pecunias administrantibus quasi custodem atque inspectorem impositum: nam hoc est haud dubie quod Pollux dicit *παρακολουθεῖν τοῖς διοικοῦσι*. Neque diversus hic *ἀντιγραφεὺς* ab eo esse videtur, quem ex Aeschine cognovimus, *ὃς καθ' ἑκάστην πρυτανείαν ἀπελογίζετο τὰς προσόδους τῷ δήμῳ*. Nam quod Aeschines hunc *χειροτονητόν* h. e. a populo sublatis manibus creatum fuisse dicit, Pollux autem contrascriptorem a senatu sorte captum esse ait, facillime sic conciliabimus, ut illum creandi modum antiquiorem, sortitionem autem recentiorem esse statuamus, id quod ipse Pollux significat, quum dicit *ἀντιγραφεὺς πρότερον μὲν αἱρετός, αὖθις δὲ κληρωτὸς ἦν*: nam dubitari non potest, quin hoc de utroque accipiendum sit, tam de eo, qui *τῆς διοικήσεως*, quam de eo, qui *τῆς βουλῆς ἀντιγραφεύς* dicebatur. Quod autem porro Aeschines dicit, illud conficiendae quaque prytania redituum rationis officium ab hoc contrascriptore ad eum translatum esse, qui theoricis praeerat: non diuturnam hanc mutationem fuisse, sed mox Hegemonis lege id officium theoricorum praefecto ademptum, contrascriptori restitutum esse ipse Aeschines paullo post significat [13]). Iam vero qui custodiebat magistratuum administrationem, ad hunc etiam rationem a magistratibus identidem referri consentaneum fuit, idque *κατὰ πρυτανείαν* h. e. quaque prytania factum esse quum per se ipsum probabile est, tum propterea, quod ab ipso quaque prytania rationem conficiendam fuisse legimus, id quod efficere non potuit, nisi rationibus magistratuum inspectis. Hoc igitur illud esse dicemus, quod Lysias ait: *οἱ μὲν ἄλλοι τῆς αὐτῶν ἀρχῆς*

---

12) Similiter in Eupolidis versu apud Harpocrationem etiam iudices Dionysiaci *λογισταὶ τῶν ὑπευθύνων χορῶν* dicuntur.

13) §. 25: *οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένοι ἦρχον μὲν, πρὶν ἢ τὸν Ἡγήμονος νόμον γενέσθαι, τὴν τοῦ ἀντιγραφέως ἀρχήν*. Quae verba quin sic ut dixi accipienda sint dubitari vix potest, acceptaque sunt a Petito Legg. Ath. p. 341 et a Tayloro p. 418.

κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀναφέρουσιν: itemque scribam illum, ad quem Aeschines rationes perscribendas fuisse testatur, non alium quam hunc contrascriptorem administrationis esse iudicabimus. Neque obstare huic sententiae videbitur, quod *γραμματέα* Aeschines, non *ἀντιγραφέα* dicit. Nam qui *ἀντιγραφεύς*, idem etiam *γραμματεύς* est; alterum generis nomen est, alterum speciei hoc genere comprehensae; generalia autem nomina non raro pro specialibus poni satis constat. Porro autem quaeri potest, quod Aeschines dicit, rationem a magistratibus perscribi ad scribam (s. contrascriptorem) et ad logistas (*πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς*), quonam modo accipiendum sit: simulne et coniunctim ad utrosque, an disiunctim, vel ad scribam vel ad logistas. Hoc ego verum puto. Nam ad logistas rationes a magistratibus non videntur relatae, nisi exacto muneris tempore, ad scribam autem singulis prytaniis. Neque copula *καὶ* sic usurpata, ubi potuit etiam disiunctiva vel subdisiunctiva particula poni, quidquam apud peritos offensionis habebit. Vid. Schaefer. Appar. crit. ad Demosth. III p. 345 et IV p. 33. Neque vero omnes omnino magistratus vel ad scribam, inter ipsum administrationis tempus, vel exacto tempore ad logistas rationes perscripsisse dicemus, sed eos tantum, qui pecunias rei publicae tractarent: reliqui enim apud scribam quidem nunquam quidquam, apud logistas autem suo tempore hoc unum profitebantur, se nihil publicae pecuniae neque accepisse neque expendisse, quemadmodum supra diximus. Atque sic etiam Lysiae verba, *οἱ μὲν ἄλλοι τῆς αὐτῶν ἀρχῆς κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀναφέρουσι*, non verendum est, ne quis imperite nimis urgeat. Nihil aliud ille nisi demonstraturus est, quam diverso modo Nicomachus egerit atque ceteri magistratus: propterea illum, qui toto quadriennio nunquam rationem retulerit, his opponit, a quibus identidem intra unius anni spatium, singulis adeo prytaniis, rationes referantur. Omnesne hoc, an plures, an pauciores facerent, scrupulose quaerere oratori non opus erat.

Dabamus Gryphiswaldiae prid. Id. Mai. MDCCCLV.

DE NAVIUM NOMINIBUS.

Praeclare vetus poeta praecipit: 3

οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ·
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται·
ὃς δέ κε μήτ' αὐτὸς νοέῃ μήτ' ἄλλου ἀκούων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.

cuius praecepti quum in aliis quibuslibet vitae officiis memores esse conveniat, tum in hoc nostro studiorum genere, quod in interpretandis veterum scriptis versatur, perutile fuerit nonnullos graviter identidem commoneri. Nam quum haec sit litterarum antiquarum conditio, ut illud *αὐτὸν πάντα νοῆσαι* in interpretando non ubique liceat, saepissimeque priorum commentatorum fidem et auctoritatem sequi necesse sit, is nobis interpres laudabitur, qui neque assentiatur temere aliis nec sine causa diffidat, sed quid cuique credendum, quid non credendum sit prudenter subductis rationibus exploret: pessimum vero et *ἀχρειότατον* genus eorum esse dicemus, qui quamvis parum ipsi intelligant, satis sibi tamen ad quidvis intelligendum instructi videntur, maluntque nova ubique ac sua proferre, quam prioribus recte ac vere monentibus fidem adiungere. Ex hoc pessimo genere interpretum unius nuper commentum ad notitiam nostram a commilitone quodam vetere perlatum est, qui quum in Aristophanis Ranis privato studio legendis versaretur, incidit forte in particulam libelli de personis Aristophaneis ab ingenioso, ut aiunt, homine conscripti, in qua duorum illius fabulae locorum mirifica quaedam et veteribus inaudita interpretatio proponitur, nec tanquam probabilis modo verique non absimilis, sed tanquam certissima et planissima cum insigni verborum iactatione venditatur, priores autem interpretes veteres pariter

cum recentioribus ad unum omnes tanquam hebetes et plane caeci irridentur, quod rem tam manifestam tamque apertam non tamen potuerint animadvertere.

4 Itaque operae pretium fuerit novum inventum tanta cum gloria nobis oblatum paullo diligentius considerare videreque quid tanto dignum fecat hic promissor hiatu. — In Ranacum igituc fabulae prologo v. 48, percunctanti Herculi *ποῖ γῆς ἀπεδήμεις;* Dionysus respondet: *ἐπεβάτευον Κλεισθένει*, quumque alter rursus subiiciat *κἀναυμάχησας;* Dionysius, *κἀπεδύσαμέν γε*, ait, *ναῦς τῶν πολεμίων ἢ δώδεκ᾽ ἢ τρισκαίδεκα.*

Prius illud Dionysi responsum quid significaret satis recte adhuc nobis vetus interpres percepisse visus est. *Παίζει*, inquit: *λέγει γὰρ καὶ ἐπὶ νεὼς τὸ ἐπιβατεύειν καὶ ἐπὶ συνουσίας κατὰ μεταφορὰν τῶν ἀλόγων ζώων, ἃ ἐπιβαίνοντα συνουσιάζει. — — ἐμφαίνει οὖν εἰ κατὰ στρατείαν ἀπεδήμουν, μετὰ Κλεισθένους ἂν ἐστρατευσάμην καὶ τὸ ἐπεβάτευον ἐκείνῳ κακέμφατον:* quibus verbis et de propria et de figurata verbi *ἐπιβατεύειν* significatione prudentem quidem lectorem satis plane admonet, licet fallatur in eo, quod conditionaliter Dionysum loqui existimat. Addit deinde e coniectura: *ἐστρατήγησε δὲ νεωστὶ καὶ ἐνίκησεν οὗτος*, quae coniectuca, etiamsi vix vera, facere tamen et ipsa aliquid potuit ad vim loquutionis *ἐπεβάτευον Κλεισθένει* declarandam. Fuerunt tamen iam olim qui bene monentem non audirent. Brunckius enim „de Clisthene“ inquit „quasi de navi loquitur quae ita dicta sit“, et Vossium quoque verba eodem modo accepisse e conversione eius coniicias: *Ich bestieg den Kleisthenes.* Ab his fortasse inductus hic novus interpres quin quidem Clisthenes nomen fuerit navis atticae dubitari omnino non posse sibi persuasit. „Nam unde tandem“, inquit, „Hercules intelligit Bacchum proelio navali ad Arginusas interfuisse? quod Bacchus deinceps mendaciis etiam additis vere dici confirmat. In oculos vero incurrit navi cuidam atticae Clisthenis nomen impositum fuisse: quando naves etiam apud Graecos, ut hodieque fit, suum quaeque nomen certum habebant (vide Scheffer de milit. navali III, 1 p. 173). Hic quoque veca ratio interpretes fugit ad unum omnes — vide quam immemor est Beunckii et Vossii! — etiam antiquos illos qui *nescio quid ineptiarum mussitant* de Clisthene, *ἐστρατήγησε δὲ νεωστὶ*

καὶ ἐνίκησεν οὗτος: Hermannum meum non fugit, quippe qui ipse quoque in litteris ad me datis rem acu tetigerit." Vereor tamen equidem ne istam acum duplex error a vera via deflexerit: falsa de navium apud Athenienses nominibus opinio, falsaque verbi ἐπεβάτευον interpretatio. Videamus igitur primum de nominibus. Atque id quidem nemini ignotum est, navibus apud Graecos et Romanos aliosque populos veteres pariter atque apud recentiores certa quaedam nomina imponi solita, quibus appellari et inter se distingui possent, discique id non a Schellero solum potuit, qui breviter tantummodo moris mentionem facit, sed aliquanto plenius a Ruhnkenio, qui in notissima de tutelis et insignibus navium dissertatione et testimonia veterum scriptorum pleraque omnia adscripsit, et exempla quoque rei, quotquot reperire potuit, e libris et inscriptionibus collecta suisque generibus disposita attulit. Nullum tamen in his exemplis invenitur, quod facere aliquid possit ad istam de Clisthene nave coniecturam probandam. Sunt enim omnia aut deorum heroumque no- 5
mina, velut Aesculapius, Apollo, Ceres, Cupido, Diana, Dioscuri, Hercules, Isis, Iuppiter, Liber pater, Mars, Mercurius, Minerva, Neptunus, Nereis, Ops, Perseus, Triton, Venus, Vesta, aut virtutum bonorumque eventuum, ut Clementia, Concordia, Εὔπλοια, Fides, Fortuna, Θεραπεία, Iuventus, Iustitia, Pax, Pietas, Providentia, Salus, Spes, Victoria, Virtus, aut a regibus atque imperatoribus indita, Antigonis, Augustus, Dacicus, Demetrias, Elissa, Ptolemais, aut a regionibus, montibus, fluviis, insulis, Aetna, Anapus, Cyane, Euphrates, Europa, Libya, Mincius, Padus, Salaminia, Sidon, Syracusia, Tiberis, aut ab animalibus varii generis, Aquila, Aries, Canis, Capricornus, Κάπρος, Centaurus, Cetus, Chimaera, Cycnus, Delphis, Equus, Gallus, Gryps, Hippalectryon, Leo, Pegasus, Pristis, Python, Siren, Taurus, Tigris, pauca denique ab armis, Clypeus, Galea. Nonnulla ex his exemplis aut incerta esse aut manifesto commenticia nihil nunc facit ad rem: a personis quidem desumpta nomina certa sunt omnia, quae qui attendat, praeter divina nullum plane in iis virile nomen videbit, nisi imperatorum Romanorum cognomina Augustus, Dacicus: cetera in femininam formam deflexa, ut ab Antigono Antigonis, a Demetrio Demetrias, a Ptolemaeo Ptolemais dicatur: et haec sola graeca sunt, illa romana: quae observatio apud prudentes hanc

certe vim habebit, ut ne temere virorum nomina apud Graecos navibus imposita esse statuant. Ceterum ego illud ipsum de multo maiore numero exemplorum affirmare possum, quam quae a Ruhnkenio congesta sunt. Habeo enim indicem triremium et quadriremium atticarum prope ducentarum, quarum quum una quaeque suo nomine appelletur, nullum tamen in his nomen virile est, sed prorsus omnia muliebria. Et quo melius consuetudo Atheniensium cognoscatur, exempla quaedam proponam. Pleraque navium nomina adiectiva aut participia sunt vel laudis vel boni ominis causa imposita, velut *Χρηστή*, *Πετομένη*, *Πετηνή*, *Ἐρωμένη*, *Νεωτάτη*, *Θρασεῖα*, *Ἀκροτάτη*, *Εὐκώπη*, *Ἐπιπηδῶσα*, *Ναυκρατοῦσα*, *Ἀγρεύουσα*, *Ἀνθηρά*, *Στίλβουσα*, *Στεφανοῦσα*, *Σῴζουσα*, *Νικῶσα*, *Ἄμεμπτος*, *Κουφοτάτη*, *Ἱκανή*, *Εὔχαρις*, *Κρατοῦσα*, *Πολυαρίστη*, *Μακαρία*, *Ἡδίστη*, *Κρατίστη*, *Εὐπρεπής*, *Τρυφῶσα*, *Ὠκεῖα*, *Πρόπλους*, *Τροπαία*, *Μεγίστη*, *Στεφανουμένη*, *Γενναία*, *Ἀνθοῦσα*, *Δυνατή*, *Γοργῶπις*, *Πολεμονίκη*, *Σωσίπολις*, *Κλεοστράτη*, *Ἀξιονίκη*, *Ὑπεραίχμη*, *Νικαρίστη*, *Καλλινίκη*, *Ἀγαθονίκη*, *Φερενίκη*, *Φιλονίκη*, *Πολυνίκη*, *Καλλιξένη*, qualibus nominibus fere etiam mulieres appellabantur: alia non fere pauciora substantiva sunt, quae item virtutis ac laudis aut alicuius bonae rei significationem habent, ut *Ἀνδραγαθία*, *Εὐφροσύνη* (quae nuper naufragium fecisse dicitur), *Προθυμία*, *Ἀρετή*, *Εὐτυχία*, *Δύναμις*, *Δόξα*, *Σωτηρία*, *Πρόνοια*, *Εὐπορία*, *Φιλοτιμία*, *Φήμη*, *Εὐδία*, *Ἀπόβασις*, *Εὐδαιμονία*, *Εὐφημία*, *Στεφανηφορία*, *Ἄνυσις*, *Χάρις*, *Ἀνδρεία*, *Εὐετηρία*, *Ῥώμη*, *Νίκη*, *Νικησώ*, *Εὐημερία*, *Εὔνοια*, *Ἀκοή*, *Γνώμη*, *Ἀνδραγαθία*, *Βοήθεια*, *Ἐλευθερία*, *Δημοκρατία*: alia quae ad ludos festaque sollemnia pertinent, *Τριετηρίς*, *Νεμεάς*, *Τραγῳδία*: alia ab armis aliisve instrumentis, ut *Οἰστός*, *Τρίαινα*, *Πανοπλία*, *Σάλπιγξ*, *Λαμπάς*, *Αἰχμή*: alia a locis, ut *Κωλιάς*, *Περσίς*, *Αἰθιο-*
6 *πίς*, *Ἀμφίπολις*, *Ἑλλάς*, *Θήρα*, *Ἰωνική*, *Σαλαμινία*, *Πάραλος*, *Ἀκτίς*, *Δηλιάς*, *Κυθηρία*, *Σουνιάς*, *Ἔλευσις*, *Ἀμπρακιῶτις*, *Παλληνίς*, *Παραλία*: ab animalibus *Ἱππία*, *Δελφίς*, *Δελφινία*, *Ἀλκύων*, *Περιστέρα*, quibus accedunt nonnulla fabulosorum animalium nomina, *Σείρην*, *Ἱπποκάμπη*, *Κενταύρα*: porro a numinibus *Ἀμφιτρίτη*, *Θέτις*, *Νηρηΐς*, *Δωρίς*, *Ἥβη*, *Ὥρα*, *Θέμις*, *Πειθώ*, *Ἰασώ*, *Πανάκεια*, *Ἀγλαΐα*, *Ἔως*, *Γαλάθεια*, *Ταυροπόλη*, *Φοίβη*, *Πολιάς*, *Ἡγεμόνη*, aliaque a deorum nominibus deflexa, *Ἀφροδισία*, *Ἀρεία*, *Ἡφαιστία*, *Δῖα*: denique nomina heroinarum, *Πρό-*

κρις, Πρόκνη, Ὠρείθυια, aut ab heroum nominibus ducta, ut *Κεκροπίς, Λεοντίς, Ἱπποθωντίς*, quae etiam tribubus a Clisthene indita, porro *Αἰαντεία* (tribus *Αἰαντίς* dicta) et *Ἀχιλλεία*. Humana nomina nulla insunt nisi muliebria illa quae supra commemoravi, unumque praeterea *Σιμαίθα*, de quo quid statuendum sit doceri me cupio a viro doctissimo, cui luculentam de matre Hyperboli dissertationem debemus: virilia vero nomina prorsus nulla. Neque causa huius rei in obscuro est. Nam naves feminini generis sunt, et ut *παρθένοι* inducuntur v. c. ab Aristophane in Equitibus, quemadmodum etiam in meo triremium indice unam *Παρθένον* dictam invenio, alteram *Νεανίδα*. Absurdum igitur Atheniensibus videbatur virorum iis nomina imponere, idque quam sedulo caverint vel illud documento est, quod noluerunt *Κένταυρον, Αἴαντα* naves appellare, sed *Κενταύραν, Αἰαντείαν*, neque *Ἀντίγονον, Δημήτριον, Πτολεμαῖον*, sed *Ἀντιγονίδα, Δημητριάδα, Πτολεμαΐδα*. Credemusne igitur Clistheni hoc insolitum genus honoris a civibus habitum esse, ut navem eius nomine appellarent? An in contumeliam eius hoc factum interpretabimur, quippe qui corporis habitu et moribus mulieri quam viro similior esset? An vero illi quidem non Clisthenem sed Clistheniam aliquam aut Clisthenida navem habebant, Aristophanes autem irridendi hominis gratia Clisthenem dixit? Quid igitur de Cleocrito fiet et Cinesia? Nam etiam his nominibus naves appellatas esse a viro sagacissimo docemur. Nimirum aut haec quoque nullo negotio e virilibus in muliebria nobis convertet, aut hoc si nolet, aliam quamlibet rationem inveniet, aut denique negabit ex iis quae a nobis prolata sunt recte illud conclusum esse quod proposuimus, naves ab Atheniensibus nunquam esse virorum nominibus appellatas. Etiamsi enim contrariam denominandi consuetudinem paullo frequentiorem fuisse exempla illa ostendant, et melius etiam muliebria quam virilia navibus nomina convenire videantur, nequaquam tamen quod frequentius factitatum sit, semper fieri necesse fuisse, et quum genus navium non nisi grammatice femininum, ipsa autem natura neutrum sit, nihil sane impedivisse quominus ab Atheniensibus, sicut ab aliis olim et hodieque a nostratibus, etiam virorum navibus nomina imponerentur. Idque re vera ita factum esse vel hunc unum Aristophanis locum satis superque demonstrare, quippe qui aliter explicari plane non possit. Iamque iterabit nobis illud: „unde tandem Hercules intelligit" et cetera. — Intelligit, opinor, Hercules propterea quia

graece scit, neque ignorat, id quod hic interpres ignorare videtur, quid significet *ἐπιβατεύειν τινί*. Nimirum *ἐπιβατεύειν* nihil est aliud quam *ἐπιβάτην εἶναι: ἐπιβάτης* autem apud Athenienses proprie dicitur miles classiarius, ὁ *ἐν τριήρει στρατευόμενος καὶ μὴ κωπηλατῶν ἀλλὰ μόνον πρὸς τὸ μάχεσθαι ἐπιτήδειος*, ut aiunt Harpocratio, Suidas, Etymologus aliique multi quos commemorare superva-
7 caneum est. Hinc *ἐπιβατεύειν νεώς, ἀντὶ τοῦ ὡς ἐπιβάτην πλεῖν*, apud Phrynichum Bekkeri p. 40, 27; *ἐπιβατεύειν ἐπὶ τῶν νεῶν* aliquoties apud Herodotum; *ἐπιβατεύειν τινὶ* autem, v. c. *τριηράρχῳ, ὡς ἐπιβάτην προστετάχθαι*, alicui praefecto navis tanquam epibatam subiunctum esse operamque classiarii militis praestare. Non potuit igitur Hercules non intelligere quid sibi vellet Dionysi responsio *ἐπεβάτευον Κλεισθένει*, classiarius fui Clistheni h. e. Clisthenis imperio subditus: neque veteres interpretes de vera sententia verborum ambigere poterant, quam non dubito quin pluribus verbis exposuissent, si tantam cuiusquam caecitatem praevidere potuissent, ut ne his quidem *μετὰ Κλεισθένους ἐστρατευσάμην* admonitus verbi *ἐπιβατεύειν* significationem agnosceret. Quod autem addunt strategum Clisthenem fuisse, etiamsi fortasse falsum, multo tamen minus ineptum est quam si navem Clisthenem fuisse dixissent. Imperatorem quidem Clisthenem ab Atheniensibus creatum fuisse parum sane credibile: sed trierarchiam obire coactum, utpote hominem locupletem, quis est qui dubitet? quum praesertim centum illo tempore naves emitterentur immunisque nemo esset.

Iam de Cleocrito et Cinesia videbimus, qui et ipsi ab ingenioso viro ex hominibus in naves transformantur. Ranarum v. 1477 Euripides a Dionyso consilium rei publicae salutare expromere iussus,

> *εἰ*, inquit, *τὶς πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ*
> *αἴροιεν αὖραι πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα*,

interpellatusque Dionysi interrogatione

> *γέλοιον ἂν φαίνοιτο, νοῦν δ' ἔχει τίνα;*

pergit ita:

> *εἰ ναυμαχοεῖν, αὖτ' ἔχοντες ὀξίδας*
> *ῥαίνοιεν ἐς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων.*

Mirum sane consilium dignusque interprete nodus. Quid igitur noster? „Minime vero", inquit, illud ferendum est quod ad hunc locum ita scribunt: *φησὶν οὖν ὅτι εἴ τις ἀντὶ πτερῶν Κλεοκρίτῳ Κινησίαν παραβάλοι ὥστε φέρε-*

σθαι μεταρσίους. Capitalis error, quem adsciverunt Berglerus, Vosssius et, si quaeris, caeteri ad unum explicatores. Non invideo ipsis *eiusmodi nugas comicorum principe tam indignas,* facileque patior eos *monstra* loqui: si Cinesias (homo tenuis) loco alarum applicetur Cleocrito (homini pingui atque obeso), ut sublimes in aere ferantur: quamquam ne hoc quidem senserunt, Cleocritum, de quo vid. Avv. v. 876, hominem non minus gracilem et procerum fuisse Cinesia. Sed cuicumque nec hominum volatus neque navalis pugna in medio aere commissa nimis placuerint, is intelliget, spero, Cleocritum et Cinesiam naves atticas fuisse, idque sine ulla dubitatione e versu *αἴροιτ' ἐν αὔρᾳ* (ita enim lectionem huius versus refingendam putat) *πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα,* maximeque ex illis *εἰ ναυμαχοῖεν* concludet. Ex his porro Cleocritus navis longa fuit, ob 8
gravitatem inhabilis (*ein Kriegsschiff*), at Cinesias fuit liburna quaedam (*ein Schnellsegler*) quae si Cleocritum remulco traheret maiorem huic navi velocitatem additura esset; notum est autem, quid *πτεροῦν ναῦν, ναῦς ἐπτερωκυῖα,* similia graece significent. Hoc unum concedo, Bacchum, quum diceret *γέλοιον ἂν φαίνοιτο,* inepte, ut est ipse, h. l. eodem modo quo VV. DD. interpretatum videri. Quamobrem (?) Euripides hoc consilium dare incipit: *Deducatur navis Cleocritus, adnexa ob maiorem celeritatem veloci naviculae Cinesiae; ambae igitur vento secundo solvant feranturque in altum, pugnam navalem cum hostibus conserant; acetum ex acetabulis inspergant in palpebras oculosque hostium.*" In his omnibus *οὐδὲν ὑγιές,* nisi quod verba Euripidis a Dionyso non aliter quam ab interpretibus accepta esse confitetur: facetissimum vero illud, quod illudit propterea Dionyso prorsus *ἀπροσδιονύσως,* quia nescierit scilicet Cleocritum et Cinesiam naves esse, et *πτεροῦν* navem esse remulco trahere. Sed id, mihi crede, non Dionysus modo, sed ipse etiam Euripides cum Aristophane ceterisque quotquot erant Athenienibus pariter ignorabat, hic autem, qui se scire credit, nihil aliud nisi nescire se ostendit, quid sit scire, quid autem opinari. Sed de singulis ordine dicendum est. Primum igitur non erat quod anacoluthia orationis *εἴ τις πτερώσας — αἴροιεν αὔραι* adeo illum offenderet,

ut de emendando loco cogitaret. Est enim non admodum dissimile hoc genus anacoluthiae ei, quam Hermannus, vir summus, inesse statuebat in notissimo Sophoclis versiculo *τέκν᾿ εἰ φανέντ᾿ ἄελπτα μηκύνω λόγον*, cui excusandae quam ille rationem adhibebat Opuscc. tom. I. p. 203, eandem rectius aliquis et huic nostro loco et aliis quibusdam apud Aristophanem adhiberi posse dixerit, velut huic:

— — *ἀλλὰ τό στρόφιον λυθὲν*
τὰ κάρυα μοὐξέπιπτε.

aut huic:

μόλυβδον ἐς τουτὶ τὸ κοῖλον ἐγχέας,
ἔπειτ᾿ ἄνωθεν ῥάβδον ἐνθεὶς ὑπόμακρον,
γενήσεταί σοι τῶν κατακτῶν κοττάβων.

Nostro autem loco quo excusabilior sit anacoluthia accedit etiam hoc, quod alterum versum, *αἴροιεν πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα*, totum ut est ex tragoedia aliqua Euripidea desumptum Aristophanes inseruisse videtur. — Deinde autem illud mirum quod scribi vult *αἴροιτ᾿ ἐν αὔρᾳ*, hac scilicet structura: *εἴ τις αἴροιτ᾿ ἐν αὔρᾳ.* Vellem plane dixisset quid hoc significaret: nunc enim suspicari fortasse aliquis possit hanc eius mentem fuisse, ut *αἴρεσθαι ναῦν ἐν αὔρᾳ* eos dici crederet, qui navem ventis ferendam permittant. Sed equidem melius de viro doctissimo iudico, et hanc potius ei sententiam loci visam esse arbitror: si quis Cleocritum navem Cinesiae liburnae adnexam conscendat ventoque secundo auferatur super maris aequor: in qua explicatione illud unum sagacitatem eius fugisse videtur, *αἴρεσθαι ἐν αὔρᾳ πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα* non eos dici posse, 9 qui mari vehuntur, sed qui in aere sublimes super mare feruntur. Nolo porro mirificum illud commentum curiosius exagitare de nave bellica, praestantissima scilicet illa et in qua una discrimen pugnae salusque rei publicae maxime verteretur, sed ita tamen ob gravitatem inhabili, ut remulco trahi ad navale proelium deberet: neque illud quaeram unde acceptum habeat de liburnis Atheniensium, aut quis unquam *ἐπτερωκυῖαν*, sive quis malit *ἐπτερωμένην*, navem dixerit quae remulco trahatur, et *πτεροῦν* pro *ῥυμουλκεῖν*: quas loquutiones quum notas esse dicat, apparet profecto ipsi vim earum tam egregie notam esse, quam verbi *γράφειν*, de quo cum subtilissime aliquando contra Hemsterhusium disputare memini. Missis igitur his quisquiliis illud potius unum quaeramus, quid tandem sit cur priorum interpretum de hoc loco sententiam ferendam esse neget. Videlicet displicet ei vehe-

menter pugna navalis in aere commissa, displicet hominum volatus, ista praesertim aetate, ante Degenios aut Montgolferios. Atqui pugnam istam in aere navalem intelligere debebat a nemine nisi a se ipso committi, homines in navigia transformante: volantem autem Cinesiam sublatumque eius alis Cleocritum mirari fortasse desinet, ubi Cinesiam qui vir fuerit paullo melius cognoverit. Id etiamsi a veteribus interpretibus huius loci non expositum est, qui tantummodo de levitate et gracilitate corporis, quae summa in illo fuit, aliquid commemorant, non tamen par erat ignorari a personarum Aristophanearum scriptore: neque enim obscura res est, sed omnium maxime aperta et testata. Nempe fuit Cinesias dithyramborum poeta, h. e. fuit ex eo genere poetarum, qui tanquam alati sublimesque per aerem volantes vulgo irrideri solent. Ita, ut unum saltem testem producam, Trygaeus in Pace interrogatus,

ἄλλον τιν᾽ εἶδες ἄνδρα κατὰ τὸν ἀέρα
πλανώμενον πλὴν σαυτόν;

respondet:

οὔκ, εἰ μή γέ που
ψυχὰς δύ᾽ ἢ τρεῖς διθυραμβοδιδασκάλων.

Porroque rogatus: *τί δ᾽ ἔδρων;*

Ξυνελέγοντ᾽, inquit, *ἀναβολὰς ποτώμενοι*
τὰς ἐνδιαεριαυεριυηχέτους τινάς.

In Avibus vero ipse noster Cinesias de se praedicat Anacreontis verbis:

ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις,
πέτομαι δ᾽ ὁδὸν ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἄλλαν μελέων.

Talis igitur hominis non levissimi tantum sed plane volatilis ope *πτεροῦσθαι* in comoedia non incommode Cleocritus potuit, sive hic et ipse levis et macilentus fuit, sive gravis et obesus: nam utrum fuerit non laboro; nisi hoc tamen scio, vehementer falli qui ex Avium v. 876. manifestum fieri putat, Cleocritum non minus gracilem et procerum fuisse Cinesia, graviterque alios increpat qui ne hoc quidem senserint. — Quo autem consilio duos istos sublimes tolli Euripides velit ipse declarat; nam postquam dixit

εἴ τις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ 10
αἴροιεν αὖραι πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα,

interpellatam a Dionyso orationem ita continuat absolvitque:

εἰ ναυμαχοῖεν, κᾆτ᾽ ἔχοντες ὀξίδας
ῥαίνοιεν ἐς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων.

Est igitur consilium huiusmodi: si quando navibus pugnent — quinam vero? Cleocritusne et Cinesias? non magis profecto quam αἱ αὖραι: sed ii quorum aliquem aptare Cinesiam Cleocrito iubet, et quibus omne hoc consilium datur, Athenienses. — Hi igitur si pugnent, Cleocritum cum Cinesia in aerem attolli vult et, quum dimicare aut nolint aut non possint, ita certe ut possunt hostibus nocere, aceto desuper in oculos eorum insperso. — Tales potissimum partes cur his hominibus imponat, sciri nunc quidem a nemine potest: subesse aliquam causam ridiculam, quam Athenienses illo tempore auditores statim intelligerent, nemo non suspicabitur: sed quaenam illa esset ne veteribus quidem commentatoribus compertum fuisse scholiastarum silentium ostendit. Itaque nostrorum aliquem in tali re coniecturas periclitari summae stultitiae sit. Nos autem ne cui forte libentius vituperare alios quam laudare videamur, facere hoc loco non possumus quin sagacissimum illum Aristophanis interpretem, quum alias laudare non potuerimus, hac saltem in parte iustis debitisque laudibus prosequamur propterea quod ingenio suo temperare et praeclaro isti invento de navibus Cinesia et Cleocrito non etiam coniecturas quasdam suas de aceti et acetabulorum usu in proeliis harum navium addere sustinuit.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. VII. Id. Aug. MDCCCXXXVII.

DE QUINQUEREMI ATTICA AB HERODOTO COMMEMORATA.

Quemadmodum nuper, Commilitones, duorum Aristophanis locorum interpretatio in sermonem de navibus Atheniensium me deduxit, ita nunc quoque de navi quadam Attica ad vos disseram, non quo aut ego hoc rerum genere praecipue delecter aut lectores delectari credam, sed quoniam ex molestissimo oculorum morbo vix convalescenti non vacabat hoc tempore aliud uberius aut iucundius argumentum circumspicere, sed arripiendum erat quod maxime in promptu habebam et minimo laboro brevissimoque tempore absolvi a me posse videbam. Navis autem illius, de qua dicturus sum, mentio extat apud Herodotum lib. VI c. 87, ubi de causis belli Ol. LXXII, 2, a. Chr. 491, inter Athenienses et Aeginetas gesti exponens haec refert: *Οἱ δὲ Αἰγινῆται — — μεμφόμενοι τοῖσι Ἀθηναίοισι καὶ ἀξιοῦντες ἀδικέεσθαι, ὡς τιμωρησόμενοι τοὺς Ἀθηναίους παρεσκευάζοντο· καὶ, ἦν γὰρ δὴ τοῖσι Ἀθηναίοισι πεντήρης ἐπὶ Σουνίῳ, λοχήσαντες ὦν τὴν θεωρίδα νῆα εἷλον πλήρεα ἀνδρῶν τῶν πρώτων Ἀθηναίων κτλ.* Locus memorabilis et in quo interpretando neminem adhuc haesisse iure mireris: habet enim quod peritum lectorem magno opere offendat, sive verba tantummodo et conformationem orationis, sive rem ipsam intuearis. *Ἦν γὰρ δὴ τοῖσι Ἀθηναίοισι πεντήρης ἐπὶ Σουνίῳ: erat enim Atheniensibus quinqueremis quaedam ad Sunium.* Ita scribi ab Herodoto tum demum potuit, si ex pluribus Atheniensium quinqueremibus unam aliquam ad Sunium fuisse significaret, quam accuratius indicare aut nollet aut non posset. Atqui statim subiungit *τὴν θεωρίδα νῆα εἷλον*, ubi de una ac certa navi

cogitari articulus iubet. Quid igitur? unamne illo tempore *θεωρίδα*
4 Atheniensibus fuisse dicemus? quemadmodum et aliis et nuper doctissimo Meiero placuit, in egregia epistola, qua Academiae Georgiae Augustae sacra saecularia gratulatus est, p. XII. Ita articulus quidem recte nomini additus erit, sed permira tamen narrationis forma. Quippe manifestum est non diversam hanc *θεωρίδα* cogitari posse ab ea, quae paullo ante tanquam incerta quaedam quinqueremis commemorata est. Quo enim consilio hanc commemorarit, nisi ut de ea aliquid narraret? non narrat autem quidquam nisi de theoride. Hanc igitur quum eandem cum illa quinqueremi omnes interpretes summo consensu statuerint, nemo tamen reputasse videtur, quam incredibile sit, hanc ipsam navem, unam ac certam ipsoque nomine a ceteris satis discretam, initio narrationis ita indefinite tanquam incertam unamque de multis significatam esse, quam accuratius indicari aut non liceat aut non opus sit. Nemo profecto scriptorem ferat ita de una ac nobili navi latine loquentem: *quum Atheniensibus quinqueremis quaedam ad Sunium esset, navem theoridem Aeginetae ceperunt:* sed non potuisse aliter dici intelliget, quam quemadmodum Schweighaeuseri conversio habet: *quum Atheniensium sacra quinqueremis ad Sunium esset, huic navi Aeginetae insidiati sunt et repletam viris primariis Atheniensium ceperunt* [1]). Ad eundem igitur modum etiam Graecum scriptorem loqui prorsus necesse erat: *καὶ, ἦν γὰρ δὴ τοῖσι Ἀθηναίοισι ἡ θεωρὶς νηῦς* (s. *ἡ θεωρὶς πεντήρης*) *ἐπὶ Σουνίῳ, λοχήσαντες ὦν ταύτην εἷλον.* — Ita demum recte conformatam orationem habebimus, si quidem, ut supra diximus, unam tantum illo tempore *θεωρίδα* Atheniensium, eamque quinqueremem fuisse sumamus. At vero nobis horum

1) Laur. Valla, quantum ex H. Stephani editione et Valckenarii adnotatione cognoscere possam, locum ita latine reddidit: *erat enim Atheniensium in Sunio biremis quaedam* (sic! ut *διήρης* legisse videatur), *quam Delum iam inde a Theseo quotannis mittebant: hanc Aeginetae locatis insidiis intercepere.* Apparet, opinor, hunc quoque graecae orationis perversitate permotum ad verbum omnia convertere noluisse, sed aliquid sibi immutandam et addendam credidisse. Nam illa verba, *quam Delum — mittebant*, ut ex aliquo codice ab eo sumpta credamus, nulla est ratio: addidit ea, ut *τὴν θεωρίδα νῆα* exprimeret, adiuncta de suo explicatione, posuitque aptiore loco, quam quo graeca posita videbat. Etiam Larcher liberius convertit: *s'étant mis en embuscade, ils enlevèrent la théoris, vaisseau Athénien à cinq rangs de rames, qui étoit au promontoire Sunium.* Alias conversiones nunc inspicere non possam.

neutrum recte sumi videtur: neque quinqueremes ista aetate Atheniensibus, neque unam illam, quam interpretes hoc loco significari crediderunt [2]), Salaminiam navem *θεωρίδα* fuisse arbitramur. Ac primum quidem quinqueremes, ubicunque commemorantur, bellicae naves sunt et ad proeliandum comparatae: *θεωρίδες* autem, etiamsi nonnunquam proeliis et ipsae intererant [3]), proprie tamen nulli rei nisi transportandis legationibus sacris aut etiam nuntiis publice missis inserviebant, erantque *ὑπηρέτιδες* (Schol. ad Aristoph. Avv. v. 147) *ταχυναυτοῦσαι* (Schol. ad eund. ib. v. 1204), ut parum credibile sit. quinqueremes, maioris molis naves, huiusmodi ministeriis destinatas fuisse. Et quotquot exstant de *θεωρίσιν* Atheniensium, Salaminia, Paralo, posteaque Ammonide et aliquamdiu etiam Antigonide, Demetriade, Ptolemaide testimonia, haec omnia triremes has, non quinqueremes fuisse perhibent: quamobrem, si quem Herodotei loci auctoritas movet, is ex quinqueremi, quae olim fuerit, postmodum triremem ab Atheniensibus factam statuere debebit [4]). Porro antem prorsus incredibile est, iam illo tempore, ad quod Herodoti narratio pertinet, quinqueremes Atheniensibus fuisse, cuius navium generis insequentium temporum historia, quantum quidem ego sciam, nullum ne tenuissimum quidem vestigium ostendit, quum tamen et res navalis Atheniensium mirum in modum aucta esset, et bella pleraque maritima, et pugnae navales plurimae a scriptoribus diligenter commemoratae, omninoque res navalis Atheniensium non paucis monumentis satis nota et testata sit. Et Persico quidem bello ac Peloponnesiaco nullas quinqueremes fuisse satis plane Polybius testatur I, 63, 8: *εἰ δέ τις βουληθείη συλλογίσασθαι τὴν διαφορὰν τῶν πεντηρικῶν πλοίων πρὸς τὰς τριήρεις, αἷς οἵ τε Πέρσαι πρὸς τοὺς Ἕλληνας καὶ πάλιν Ἀθηναῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι πρὸς ἀλλήλους ἐναυμάχουν κτλ.* Denique, quod gravissimum est, quinqueremes non ante Dionysium maiorem, Syracusarum tyrannum, Ol. XCV, 2, a. Chr. 398, aedificari coeptas esse Diodorus disertis verbis commemorat, XIV, 41:

2) Praeivit L. Valla, cuius conversionem huius loci modo adscripsimus: sequuti sunt Valckenarius, Wesselingius, Larcher, Baehrius et Meierus l. l.

3) Vid. Thucyd. III, 77. Plutarch. Themist. c. 7. Polyaen. V, 36.

4) Cum Meiero l. l. — Ceterum alteram certe de duabus, Salaminiam aut Paralum, iam belli Persici secundi tempore, h. e. undecimo post illud Aegineticum bellum anno, *triremem* fuisse e Plutarcho apparet vit. Themist. c. 7.

ἤρξατο δὲ ναυπηγεῖσθαι τετρήρεις καὶ πεντηρικὰ σκάφη, πρωτος ταύτην τὴν κατασκευὴν τῶν νεῶν ἐπινοήσας. Neque quidquam invenio in omni antiquitatis historia, quod huius testimonii fidem elevet. Nam quod unum praeterea de quinqueremium inventione testimonium extat, apud Plinium H. N. VII, 57, licet a Diodoro discrepans, non tamen ita comparatum est, ut is eo refutari possit. *Biremem,* in-
6 quit Plinius, *Damastes Erythraeos fecisse auctor est, triremem Thucydides Amiuoclem Corinthium* [5]), *quadriremem Aristoteles Carthaginienses, quinqueremem Mnesigiton Salaminios.* Quis fuerit hic scriptor et quando vixerit non compertum habemus: nisi tamen post Alexandri Magni tempora scripsisse ex iis, quae statim a Plinio adduntur, manifestum fit: *decemremem Mnesigiton Alexandrum Magnum fert instituisse.* Dissensio autem inter hunc et Diodorum, quum quinqueremium inventionem alter ad Salaminios alter ad Dionysium Syracusanum referat, etiamsi componi certa aliqua ratione non potest — nam coniecturis facile cuilibet se offerentibus nihil proficitur, — non tamen eo valere apud prudentes poterit, ut centum fere annis ante tempus a Diodoro indicatum quinqueremes vel apud Athenienses vel apud alios Graecos in usu fuisse credantur; omniumque minime quemquam Mnesigitonis auctoritate ita abusurum esse speramus, ut propter Salaminiorum commemorationem ipsam illam Salaminiam navem Atheniensium quinqueremem fuisse a Salaminiis inventam autumet: cui opinioni quam multa obstent, ex iis quae supra diximus satis apparet. — Sequitur alterum, quod proposuimus, non videri Athenienses circa Ol. LXXII. unam tantummodo *θεωρίδα* navem habuisse, Salaminiam illam sive Deliam, quam quidem iam inde a Thesei aetate fuisse fabulae perhibent. Illud qui probare conatus est, Meierus epist. grat. l. l., argumento utitur admodum infirmo, quod Plutarchus vit. Themist. c.7, de pugna ad Artemisium referens, Architelem quendam dicat *ἐπὶ τῆς ἱερᾶς νεὼς τριήραρχον* fuisse: ostendere enim articulum, unam illo tempore sacram navem fuisse, quum, si duae iam tum fuissent, Paralus et Salaminia, scribere Plutarchum *ἐπὶ τῆς ἑτέρας τῶν ἱερῶν νεῶν* oportuisset. Hoc quam incertum sit iudicium vel Demosthenis locus ostendere potest, is quem ipse Meierus protulit, Philipp. I, p. 50, 1: *τὰ τελευταῖα δ' εἰς Μαραθῶνα ἀπέβη (ὁ Φίλιππος), καὶ τὴν ἱερὰν ἀπὸ τῆς χώρας ᾤχετ' ἔχων τριήρη.* Ita Demosthenes lo-

5) De hoc tamen cf. intt. ad Thucyd. II, 13. Part. III vol. 1 p. 138 Popp.

quitur eo tempore, quo duae haud dubie erant sacrae triremes, illae quas modo nominavimus, et fortassis etiam tertia, Ammonis. Nimirum notum erat auditoribus quaenam harum a Philippo abducta esset: et Paralum fuisse nobis quoque e Philochoro et Androtione ap. Harpocrationem s. v. *ἱερὰ τριήρης* compertum est. Simili igitur ratione fieri potuit, ut a Phania Eresio, quem Plutarchus se in illa narratione auctorem habere profitetur, aliqnid antea commemoratum esset, ex quo appareret, utra de duabus sacris triremibus in illa apud Artemisium classe fuisset, Plutarchus autem articulum incuriosius retineret; quemadmodum etiam alias non raro in articuli usu paullo indiligentior est, ut nonnulli inferioris subsellii grammatici articulum 7
adeo sensu indefinito nonnunquam ab eo poni crediderint. Cf. F. A. Wolf. ad Reiz. de accent. inclin. p. 76. Et ut Paralum navem non post bella Persica demum comparatam esse credamus, efficit praecipue Parali herois commemoratio, a quo nomen illi impositum esse voluerunt. Vid. Harpocrat. s. v. *Πάραλος: μία τῶν παρ' Ἀθηναίοις πρὸς τὰς δημοσίας χρείας διαπεμπομένων τριηρῶν, ἀπό τινος ἥρωος τοὔνομα λαβοῦσα Παράλου.* Huius herois prima, quod sciam, mentio apud Euripidem fit, Suppl. v. 661 (681 Herm.), qui eum Thesei aequalem facit; apud Plinium H. N. VII, 57 medius inter Semiramidem et Iasonem ponitur et a nonnullis pro longae navis inventore haberi dicitur. Sacellum eius, *τὸ Παράλιον*, Demosthenes commemorat ctr. Timoth. p. 1191, 25 et Photius Pors. p. 386. Iam vero quum dubitari vix possit, quin propter navem *Πάραλον* herois persona conficta sit, apparet, opinor, parum probabiliter navem istam et herois religionem cultumque recentiori demum tempore ortum esse statui, inter bellum Persicum secundum et Euripidis eam, quam diximus, tragoediam, h. e. inter Ol. LXXV, 1 et LXXXIX, 4 (a. Chr. 480—421): nam hoc fere tempore Supplicum fabulam actam esse Boeckhius et Hermannus probarunt.

His expositis iam ad Herodoti locum revertendum est; qui quo minus sanus haberi possit, et forma orationis perversa et rei ipsius incredibilitas obstat. Neque vero difficilis est emendatio, quum praesertim in duobus codicibus, Cantabrigiensi (Arch.) et Vindobonensi, pro *πεντήρης* — *πεντηρίς* scriptum sit, quod manifestum est e *πεντετηρίς* ortum esse, quemadmodum etiam lib. IV, 94 pro *πεντετηρίδος* iidem illi duo codices *πεντηρίδος* offerunt. Itaque si *πεντετηρίς* nostro loco pro *πεντήρης* restituitur, omnis offensio removetur: ne-

que quinqueremis contra omnem historiae fidem tam remota aetate Atheniensibus tribuitur, neque eadem navis prius tanquam incerta quaedam et una de multis, ac deinde subito tanquam nota et proprio nomine insignis commemoratur. Nam articuli in emendato loco longe diversam rationem esse apparet. Commemorato enim festo quinquennali ab Atheniensibus ad Sunium celebrato, navis ea qua vecti erant festum celebraturi non poterat non cum articulo poni. Quae autem dubitationes et obiectiones contra illam emendationem fortasse proferri possint, recte aestimantibus leviores omnes nec tanti esse videbuntur, ut spernendam eam prae vetere lectione persuadeant. Primum si quis eos, qui ad festum non extraneum, sed in ipsa Attica celebrandum proficiscerentur, theoride navi, ut theoros, vehi potuisse negaverit, hanc nos obiectionem vanam esse neque ex re, sed ex inani et arbitraria quadam opinione ductam respondebimus. Quamvis enim theo-
8 ori plerumque ad externa tantum sacra missi commemorentur, tamen si quo in oppido intra ipsius terrae fines sito festum aliquod agebatur non solis oppidi eius incolis proprium, sed publicum et universae civitatis nomine concelebrandum, δημοτελές, non δημοτικόν, qui eo ex urbe a re publica delegabantur, non video cur non et ipsi theori dicti credantur, aut quonam alio commodiore nomine appellari potuerint. Neque testatur quisquam e veteribus, θεωρῶν nomen non esse nisi de iis, qui ad externa sacra mitterentur, usurpatum; multi prorsus generaliter θεωροὺς dicunt τοὺς εἰς θεοὺς πεμπομένους (Harpocr. s.v.), aut τοὺς τοῖς θεοῖς τὰς ἀπαρχὰς[6]) ἀπάγοντας (Hesych.), aut τοὺς πεμπομένους θῦσαι καὶ θεραπεῦσαι τὸν θεόν (schol. Plat. Phaed. in.), aut τοὺς τὴν θυσίαν ἀπάγοντας εἰς τὸ ἱερὸν πρὸς τὸ θῦσαι καὶ θεραπεῦσαι τὸν θεόν (Thom. M.). Cur autem navi potius theori ex urbe Sunium quam pedibus iverint, si quis sibi rationem reddi postulet, hic cum veteribus illis ἐνστατικοῖς quaerat etiam, cur apud Homerum Ulysses ad piacularia sacra Apollini offerenda Chrysam navi vehatur, quo item pedibus perveniri potuerit. Scilicet commodius haud dubie navale quam terrestre iter fuit, et fortassis etiam ad rationem Suniensis illius festi convenientius. Quamquam hoc ipsum quodnam fuerit pro certo dici non potest. Nec sane mirum in tanta festorum Atticorum multitudine, quae duplo plura ibi

6) De hac voce cf. comm. ad Isae. p. 312.

quam in reliqua Graecia celebrata esse dicuntur [7]), plurima nobis ne nomine quidem nota esse. Ceterum non sine veri similitudine in Sunio promontorio eum potissimum deum praecipua quadam religione cultum esse credemus, cuius in tutela promontoria erant, Neptunum, quem Sunii cultum esse etiam *Σουνιαράτου* cognomen fidem facit, ap. Aristoph. Equitt. v. 564. Cf. et Avv. 868.

Scrib. in univers. Gryph. a. d. XV. Cal. April. MDCCCXXXVIII.

---

7) Xenoph. de re publ. Ath. III, 9: *ἄγουσιν ἑορτὰς διπλασίας ἢ οἱ ἄλλοι.*

DE APOLLINE CUSTODE ATHENARUM.

3 Apollinis apud Athenienses praeter publicas religiones etiam privata ac domestica sacra civibus omnibus communia fuisse constat, adeoque cum ipsa civitate coniuncta, ut, qui eorum expers esset, hoc ipso etiam civitatis se expertem esse proderet [1]). Genus autem hoc sacrorum privatorum, quae a maioribus ad posteros una cum hereditate per manus transmittuntur, *πατρῴων ἱερῶν* appellatione designari solet, quique dei huiusmodi sacris coluntur, propterea ipsi quoque *πατρῷοι θεοί* vocantur [2]). Sic igitur Atheniensibus Apollo *πατρῷος* erat, eoque nomine apud porticum regiam eamque, quae Iovis Liberatoris dicebatur, aedem consecratam habebat, in qua pictam eius imaginem ab Euphranore positam fuisse Pausanias memorat [3]). Huic *πατρῴῳ*, quem latine vel patrium vel patritum dicere licet, pueros civium, posteaquam in phratriae suae albo inscripti erant, a parentibus adduci et quasi commendari solitos esse ex Demosthenis oratione adversus Eubulidem cognoscimus, ubi Euxitheus, cui civitatis controversia ab Eubulide mota erat, inter alia argumenta, quibus se civem esse probet, etiam hoc utitur, p. 1315 §. 54, quod a cognatis, qui curam ipsius patre mortuo suscepissent, et in phratriam intro-

---

1) Schol. Aristoph. Nub. v. 1472.

2) Cf. diss. de orgeonibus p. 6 [185 sq.] et Meier. de gentil. Att. p. 28. Coniunguntur saepe *ἱερὰ οἰκεῖα καὶ πατρῷα*, velut Plat. Euthyd. p. 302 e.

3) Lib. I c. 3, 3. — Locum aedis accuratius definire difficile est, nec plane consentiunt inter se qui in veterum Athenarum topographiam diligentissime inquisiverunt, velut Forchhammer Topogr. Ath. p. 35, Leake p. 177 ed. Saupp., Radulph. Rochette Journal des Savants ann. 1851 p. 616. Add. Zestermann. de Basilic. p. 43.

ductus et in Apollinis patrii aedem deductus sit: quumque in eadem oratione, p. 1319 §. 67, *Ἀπόλλωνος πατρῴου καὶ Διὸς ἑρκείου* 4
γεννῆται memorentur, utriusque dei sacra non modo singulis familiis propria ac domestica, sed etiam gentilibus inter se communia fuisse videmus. Eorundem sacrorum professionem ab iis exactam esse legimus, qui aliquem magistratum gesturi essent, quum in examine interrogarentur, *εἰ Ἀπόλλων ἐστὶν αὐτοῖς πατρῷος καὶ Ζεὺς ἑρκεῖος*[4]). Denique etiam qui heliastae sortiti erant, in iure iurando, quo se munere suo sancte religioseque functuros esse promittebant, quum alios deos, tum Apollinem suum patrium obtestati esse dicuntur[5]). Neque apud Athenienses tantum, sed apud ceteros quoque Iones, eos quidem certe, qui ab Atheniensibus originem suam repeterent, similem quandam patrii Apollinis religionem fuisse Socrates Platonicus fidem facit, quum Euthydemo interroganti, Iovemne patrium habeat, *οὐκ ἔστιν*, inquit, *αὕτη ἡ ἐπωνυμία Ἰώνων οὐδενί, οὔϑ' ὅσοι ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως ἀπῳκισμένοι εἰσίν, οὔϑ' ἡμῖν, ἀλλὰ Ἀπόλλων πατρῷος.* Simul etiam causa additur, cur ab his Apollo sic appelletur: nempe *διὰ τὴν τοῦ Ἴωνος γένεσιν.* Nam pervagata haec fuit apud Atticos

---

4) Iul. Poll. VIII, 85, qui quod nominatim thesmothetarum *ἀνάκρισιν* dicit, propter Demosthenis locum adv. Eubul. p. 1319 §. 67 factum videtur. De omnibus magistratibus testatur schol. Aristoph. Nub. v. 1472: *οἱ ἄρχοντες, ὅτε ἐχειροτονοῦντο.*

5) Poll. VIII, 122. Cf. quae de hoc heliastarum iure iurando dicta sunt in Process. Att. p. 131. In Lex. Seguer. p. 443, 31 pro Apolline *Ἥλιος* nominatur, quod quum ex confusione horum numinum frequentissima explicandum dixissem, quaesivit ex me aliquis, utrum scriptoris ipsius an librariorum errori hanc confusionem imputarem. Id vero nec decerni facile potest, nec magni refert, quandoquidem de ipsa confusione dubitari nequit, quae quidem etiam in causa fuit, ut nomen utrumque eodem signo ☉ notari soleret, quod a librariis modo pro Apollinis modo pro Solis nomine haberetur, unde factum e. c. ut ap. Harpocrationem s. v. *ϑεμιστεύειν* Delphici oraculi possessionem post Themidem Sol (*Ἥλιος*) habuisse diceretur, donec hoc vitium a Dindorfio sublatum est. Eodem modo nonnunquam etiam Apollonium poetam a librariis Solem factum esse videmus, aut Heliodorum ex Apollodoro: de quo genere vitiorum vid. C. G. Müller. ad Tzetz. schol. in Lycophr. vol. I p. 476. Gaisford. ad Hesiod. Theog. v. 708 p. 113 ed. Oxon., Meinek. histor. com. Graec. p. 510. O. Schneider. in Diurn. antiquar. (Zeitschr. f. d. AW.) ann. 1848. p. 786. Vater. ad Eur. Rhes. p. 200. — Minus facile ad explicandum est, quod in formula iuris iurandi heliastici ap. Demosth. in Timocr. p. 747 pro Apolline Neptunus vocatur, qua de re quid statuendum sit pariter nunc incertus sum, atque olim in libr. de ord. iudic. l. l.

opinio, Ionem, abs quo nomen Ionum ortum esset, Apollinis filium
5 fuisse e Creusa, Attici regis Erechthei filia, procreatum [6]), quamquam alii pro Apolline Xuthum nominabant, Hellenis filium. Est tamen haec nominis magis quam rei ipsius diversitas, siquidem dubitari nequit, Xuthum re vera nihil aliud esse quam Apollinis cognomentum, itidem ut Ξανθόν, Hellenis autem hunc filium dictum esse propter vetustam Hellenici cuiusdam populi memoriam e Thessalia, antiquissima Hellenicae gentis sede, in Atticam olim profecti et cum indigenis Ionibus, qui in Pelasgis numerandi sunt, mixti. Hi enim advenae quum Apollinis maxime cultores essent eiusque sacra secum in Atticam attulissent, Apolline duce profecti dicebantur, moxquo obscurata fabulae significatione ex dei cognomine heros Xuthus factus est. Ex huius porro cum Attici regis filia coniugio ut ortum Ionem esse perhiberent, propterea factum est, quod Ionicae migrationis eius, quae primum ex Attica in Aegialeam, moxque, quum hinc Iones ab Achaeis cedere cogerentur, rursus in Atticam atque hinc in Aegaei maris insulas et Asiae minoris littora progressa est, initia causasque ab illo Xuthi et Hellenum in Atticam adventu et cum priscis incolis coniunctione repetendas esse intelligebant, quippe cum auctae sic hominum multitudini Attica terra non sufficeret. Et manifestum est, ab illo Xuthi s. Apollinis filio eorum tantum Ionum nomen repeti potuisse, qui post hanc priscorum Atticorum cum Hellenicis advenis coniunctionem extiterunt, et quorum abundans multitudo in Aegialeam ac postea in Asiam insulasque migravit, neque natam illam de horum eponymo Ione fabulam prius esse, quam quum nulli amplius praeter Atticos eosque qui ex Attica oriundi credebantur numerari in Ionibus solerent. Nesciebant enim fabulae auctores, aut, si non nesciebant, nihil certe curabant, Ionum gentem fabuloso isto eponymo longe antiquiorem latiusque olim non modo in Graecia sed etiam in Asia insulisque diffusam fuisse, cuius gentis nomen ab illo Xuthi filio repeti nullo modo potuit, ferebantur autem alii fortasse eponymi, quorum tamen in his quas hodie novimus fabulis nulla satis certa vestigia demonstrari possunt.

Haec, licet iam alibi accuratius a nobis disputata sint [7]), repetenda
6 tamen hoc loco fuerunt, quoniam facere aliquid posse videntur ad per-

6) Cf. Schol. Arist. Nub. v. 1458. Avv. 1526. Harpocrat. s. v. Ἀπόλλων πατρῷος. Lex. Seguer. p. 292, 4. Schol. Aristid. p. 28. Ddf. aliique multi.

7) In Animadverss. de Ionibus, p. 6—14. [153—165.]

vagatam istam de Apollinis patrii cultu opinionem rectius aestimandam. Etenim si veram huius cultus causam hanc esse credimus, quod pater Ionis Apollo dictus sit, consequens erit, ut ascivisse eum Athenienses dicendi sint propter fabulam recentioris fabricae, quam aliquanto demum post colonias in Asiam deductas nasci et divulgari potuisse certissimum est. Atqui illud quidem non raro factum videmus, ut propter aliquas religiones, quarum causae in obscuro essent, fabulae quaedam excogitarentur, quae rationem earum redderent: cuius generis exempla sat multa apud unum Pausaniam inveniri poterunt; religiones autem, quae ex fabulis tam recentibus ortae fuerint, nullas facile inveniemus, tales certe, quae non a paucis quibusdam hominibus, sed ab omni civitate, immo ab omnibus aut saltem a plerisque totius gentis civitatibus pariter observarentur. Quamobrem si quis hanc patrii Apollinis religionem in causa fuisse statuat, quo facilius Ion, gentis Ionicae eponymus, Apollinis filius esse crederetur, hunc ego sobrie ac prudenter iudicare dicam; illos contra, qui propter hanc ficticiam Ionis personam Apollinis patrii religionem ab Atheniensibus ceterisque Ionibus susceptam esse volunt, multo minus audiendos esse censebo. Neque desunt sane indicia, quae istam opinionem, quamvis pervagatam, haudquaquam tamen unam ab omnibus probatam fuisse arguant. Primum enim, quum Apollinem plerique non alium quam Solem esse iudicarent, fuerunt qui eum ut patrium deum propterea cultum esse statuerent, quod omnium generator esset. „Apollinem" inquit Macrobius, Sat. I, 17 p. 302 Zeun. πατρῷον cognominaverunt non propria gentis unius aut civitatis religione, sed ut auctorem progenerandarum omnium rerum, quod Sol humoribus exsiccatis ad progenerandum omnibus praebuit causam." Is igitur quum unius gentis aut civitatis religioni hanc πατρῴου appellationem propriam esse negat, obloquitur haud obscure iis, qui proprium Atheniensibus aut Ionibus Apollinem patrium esse dixerunt, neque causam appellationis eam haberi vult, quae vulgo ferebatur et ad illos solos pertinebat, sed quae pariter omnes impellere poterat, ut Apollinem patrii nomine colerent. Id quinam praeter Athenienses aliosque Iones fecerint, quaerere nunc nihil attinet: sed horum ipsorum πατρῷον Apollinem nonnulli propterea habitum esse autumant, quod populi sui ac gentis ortum et generationem Athenienses ab eius dei vi genitali repetiverint. Horum unus, οἱ πρῶτοι 7
Ἀθηναίων γεγενημένοι, inquit, γονέας ᾤοντο εἶναι γῆν καὶ ἥλιον.

ὁ δὲ Ἀπόλλων ἥλιος εἶναι δοκεῖ, καὶ διὰ τοῦτο πατρῷος[8]). Alter: φασί τινες Ἀθηναίους αὐτόχθονας φῦναι καὶ διὰ τοῦτο γονέας ἔχειν γῆν καὶ ἥλιον, ὅς ὁ αὐτός ἐστιν Ἀπόλλωνι[9]). Tertius: πρῶτον ἄνθρωπον ἐκ τῆς Ἀττικῆς γεγενῆσθαι νομίζουσιν, οἷον συγγενομένου ἡλίου τῇ γῇ, ἢ φυσικώτερον ταῖς ἀκτῖσι διαθάλψαντος καὶ τουτὶ τὸ ζῷον ἀπογεννήσαντος. Ἐπεὶ δὲ ἐπώνυμον τοῦ ἡλίου τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ὄνομα, πατρῷον ἐντεῦθεν τὸν Ἀπόλλωνα οἴονται[10]). Poteraut fortasse etiam plures eiusdem generis testes produci, sed nihil opus est. Neque enim diffiteor horum omnium non magnam esse auctoritatem, quippe qui et recentissimi sint, et de Apollinis numine ea proferant, quae doctrinam potius physicorum quam veterem popularemque religionem sapiant. Huc accedit, quod in istam opinionem ea maxime ratione inducti videri possunt, quod ipsum πατρῴου vocabulum quandam quasi paternitatis significationem habere crederent, a quo errore ne nostra quidem aetate viri doctissimi satis sibi caverunt.[11]). Est autem error manifestus. Nam quamvis hoc quidem dubitari nequeat, si qui deos quosdam aut generis sui, aut populi, aut antiquorum populi regum ac principum progenitores fuisse crederent, ab iis hos potissimum deos ut πατρῴους coli solitos esse, non tamen rem sic inverti licet, ut quos quis πατρῴους habeat, eosdem etiam progenitores credidisse dicatur. Id vel Vesta πατρῴα refutare potest, vel Diana: nam hanc quoque ut πατρῴαν a quibusdam cultam esse legimus[12]). Quippe harum neutram genetricem habitam esse apparet, et si habitae essent, μητρῷαι, non πατρῷαι dici debuissent[13]). Sed,
8 quemadmodum iam initio diximus, ut πατρῷα dicuntur, quaecunque

8) Lex. Seguer. p. 291.

9) Schol. Plat. Euthyd. tom. II p. 324 Tauchn.

10) Mich. Psell. p. 105 Boiss.

11) Velut G. Hermann. ad Soph. Trachin. v. 288: „Proprie πατρῷοι dii sunt, qui paterni generis auctores habentur.“ — Hoc tamen recte Hermannus observavit, nonnunquam illud vocabulum etiam latius extensa significatione usurpari. Sic apud Aristophanem Strepsiades filium, a quo mulcatus erat, Iovem πατρῷον vereri iubens, non eum significat, qui aut sacris domesticis coleretur aut generis auctor esset, sed pietatis parentibus debitae vindicem; itemque Plato Legg. IX p. 881 d si quis parentem contra filii iniurias non defendat, eum Iovis γενεθλίου καὶ πατρῴου vindictae obnoxium esse vult. Cf. et Arrian. dissert. Epictet. III, 11, 5.

12) Pausan. II, 9, 6.

13) Cf. Xenoph. Hellen. II, 4, 21. de venat. 1, 15.

a maioribus posteri tradita acceperunt, sive pecunias aliasque possessiones, sive sacra et religiones, sic etiam θεοὶ πατρῷοι ii omnes sunt, quorum cultum a patribus traditum posteri observant: eodemque modo μητρῷοι sunt, quorum religiones a materno genere illatas habent. Et qui accuratius vocabulorum discrimina notarunt, inter πατρῷα et πάτρια hoc interesse docent, ut alterum de privatis potissimum, alterum autem de iis dicatur, quae universae civitatis aut populi sint [14]): quod si verum est, ut mihi quidem esse videtur, etiam πατρῴους deos non tam publicis quam privatis sacris cultos esse colligitur, sive ea domestica fuerint sive gentilicia, neque obstat huic sententiae, quod aliquoties πατρῴους θεούς totius civitatis aut populi fuisse audimus, velut Apollinem Atheniensium aliorumque Ionum: scilicet quia cultum eius nulla non domus aut familia aut gens observabat, non tamen publicis, sed privatis tantum sacris [15]). Nam publica ea demum dicenda sunt, quae publico sumptu fiunt et ab omnibus simul celebrantur [16]), qualia sacra πατρῴου Apollinis non fuisse certum est. Nullo autem modo ex hoc dei cognomine cultuque intelligi potest, utrum parentem eum Athenienses vel universi generis humani, vel sui populi, vel veterum suorum principum crediderint [17]), an aliam eius colendi causam habuerint. Istam vero de Apolline opinionem, ut non diversus a Sole putaretur, pervagatam quidem iam tragicorum aetate videmus, neque tamen eandem etiam vetustissimis Graecis asserere licet, quamvis magnam similitudinem eius numini cum Sole intercedere agnoscamus. Sed de hoc postea dicendum erit: nunc autem tribus illis testibus, quorum auctoritatem levissimam esse professus sum, fideiussorem fortasse minus levem addere licebit Philochorum. Is enim 9

---

14) Cf. comm. ad Isae. p. 218. ad Plut. Ag. p. 100. diss. de orgeon. p. 5. [185] seqq.

15) C. F. Hermannus Antiqu. sacr. §. 7 not. 5 in πατρῴων θεῶν cultu omnem civitatem quasi unius magnae familiae instar fuisse ait; quod vereor ut probari possit, siquidem familiarum sacra ab omnibus qui unius familiae sunt coniunctim unoque tempore celebrantur; contra πατρῴους eosdem quidem omnes in civitate familiae gentesque, neque tamen simul unoque tempore colebant. Neque recte πατρῷοι plane cum γενεθλίοις, ἀρχηγέταις, πατρογενείοις ab Hermanno confunduntur.

16) Δημοτελῆ ἱερά. Vid. Lex. Seguer. p. 240, 28 et all. ap. Herm. l. l. §. 8 not. 14.

17) Hanc ab causam qui tale quid significare volunt non satis habent πατρῷον Apollinem dicere, sed addunt insuper aut καὶ τοῦ γένους ἀρχηγόν, ut Plut. Demetr. c. 40, aut πρόγονον, ut Diod. Sic. XVI, 57.

quosdam primigenios, qui tanquam proavi humani generis *τριτοπάτορες* appellarentur, Tellure ac Sole prognatos esse dixit, Solem autem esse Apollinem. Haec a Suida referuntur[18]): *πατρῴου* Apollinis cultum hinc a Philochoro repetitum esse, licet in iis, quae relata sunt, non perscriptum legamus, vix tamen dubitari potest, quum praesertim illum totum in Atheniensium antiquitatibus versatum esse constet. Quamobrem, nisi coniectura fallit, Philochorum quoque, scriptorem sane non indoctum, in iis numerabimus, qui patrii Apollinis religionem propter Ionis fabulam ab Atheniensibus ascitam esse negarunt.

Aliud eiusdem iudicii documentum haud contemnendum a Cicerone servatum habemus. Is enim in libro tertio de natura deorum, ubi theologorum sententias de diis commemorat, cap. 22 §. 55: „Vulcani" inquit „complures: primus Caelo natus, ex quo et Minerva Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. Itemque cap. 23 §. 57: „Apollinum antiquissimus is, quem paullo ante ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum." Dubitari enim non potest, quin custodem hunc Athenarum, cuius in tutela ea civitas esset, non alium quam *πατρῷον* theologi dixerint[19]). Hunc autem Vulcani et Minervae filium eundem etiam Ionis patrem ab iis habitum esse parum credibile est, siquidem is in fabulis Pythius s. Delphicus est, Iovis et Latonae filius, quem theologi tertium Apollinem numerarunt, quemadmodum Cicero eodem loco docet, neque causa ulla probabilis exputari potest, cur pro Latonae filio ipsi illum omnium antiquissimum substituerint, in tali praesertim fabula, quae nec argumentum haberet ex antiquissimo tempore, nec ipsa admodum antiqua videri doctis viris posset. Doctos enim illos theologos fuisse et Alexandrinae eruditionis copiis instructos, quum Ciceronis tum aliorum testimoniis credimus, etiamsi in tractandis deorum fabulis rationem eos fefellisse videmus.
10 Nam aut in omnibus aut in plerisque eam viam tenebant, quam post Hecataei aliorumque veterum quasi praeludia Euhemerus maxime

18) S. v. *τριτοπάτορες*. Non erat igitur quod Muellerus, Minerv. Pol. sacr. p. 2 not. 2, theologos Ciceronianos, de quibus statim dicetur, quum Apollinem *πατρῷον* Minervae et Vulcani filium facerent, ad unum e tritopatoribus respexisse suspicaretur minus apte Apollinem dictum. Nam non unum e tritopatoribus, sed patrem horum Apollinem dictum videmus.

19) Ioannes Lydus de mens. IV, 54 p. 105 (91 Bonn.) Ciceronis locum convertens, *ἀρχηγέτην* dicit.

praeiverat, ut eas ad historiam revocare conarentur, deos olim homines fuisse rati aut potentia aut rebus gestis eximios et post obitum divinis honoribus affectos, quamobrem aut historica haec ratio aut pragmatica vocari solet, quumque multa de singulis tradi viderent, quae nec hominis nec aetatis unius esse possent, plures inter se cognomines sed diversis temporibus ac locis vixisse statuebant, unde rationem eorum τὸν μεριστικὸν λόγον nonnulli appellarunt [20]). Sed quamvis longe a vero aberraverint, hoc tamen concedendum erit, viros non indoctos et qui fontibus uterentur multis hodie deperditis, non temere et pro arbitrio, sed certis rationibus permotos deorum personas, tempora resque gestas dispescuisse videri. Quosnam eorum Cicero maxime sequutus sit, quum ipse indicare neglexerit, sciri a nobis non potest; sed e Clemente Alexandrino, qui in Protreptico, II §. 28, similia veterum theologorum placita commemorat, de Apolline antiquissimo, Vulcani et Minervae filio, ab Aristotele scriptum esse intelligimus, quem quidem non Stagiritam esse, sed alium quempiam hodie ignotum, pro certo affirmari potest, licet ipse Clemens simpliciter Aristotelem nominet. Eundem hunc esse suspicor, cuius theologumena citantur a Macrobio Sat. I, 18 p. 308, quo loco item de Apolline agitur [21]). Neque obstat huic coniecturae, quod non pragmaticam ibi sed physicam rationem proponi videmus: nam a multis fabularum enarratoribus aut duplicem aut etiam triplicem rationem adhibitam esse constat, ut in fabulari historia alia pragmatice, alia mythice s. poetice dicta statuerent, h. e. alia ad rerum gestarum memoriam re- 11
vocarent, aliis physicam quandam allegoriam s. significationem subesse dicerent, alia denique meris poetarum lusibus imputarent, quem-

---

20) Ioann. Lyd. de mens. IV, 48.

21) „Aristoteles qui theologumena scripsit" inquit Macrob., hoc ipso additamento haud dubie significans scriptorem a Stagirita, τοῦ πάνυ, diversum, quemadmodum recte iam a Fabricio Bibl. gr. lib. III c. 7 et ab Hemsterhusio in not. marg. ad Hesiod. ap. Gaisford. poet. min. III p. 544 observatum est. Minus probabiliter Schneidewinus in Philol. I p. 13 a Stagirita in Peplo illud quod Clemens refert de Apolline scriptum fuisse coniicit, Schellingius autem (Philos. myth. Opp. sect. II, 1 p. 257) apud Macrobium aliquem errorem aut corruptelam nominis subesse credit. Idem etiam de Theophrasti libris theologicis dubitanter loquitur, quod nulla ratione factum esse vel ex iis perspici potest, quae a Menagio dicuntur ad Diog. Laert. V, 48, quem locum ipse Schellingius in mente habuisse videtur, quamquam in eius libro Diodorus pro Diogene nominatur.

admodum etiam post renatas litteras quum ab aliis tum ab uno praestantissimo G. I. Vossio factum est. — Illum igitur, quem Cicero auctorem habuit, sive is Aristoteles sive alius fuit, in magna multitudine fabularum, quae olim de Apolline ferebantur, quarum quae hodie supersunt exiguam tantum partem esse nemo facile negaverit, aliquid traditum invenisse arbitrabimur, quo illum, qui custos Athenarum haberetur, Vulcani et Minervae filium esse intelligeret, diversumque a Iovis et Latonae filio, quem ipse tertium numerat, et ex Hyperboreis Delphos venisse h. e. Pythium Apollinem esse memorat. Neque igitur propter Ionem custos Athenarum et πατρῷος factus videri potuit, sed propter aliam causam magis fortasse reconditam: quamquam potuit vel hoc satis causae esse videri, quod Minervae filium in urbe Minervae praecipue coli eiusque fautorem et custodem haberi consentaneum fuit. Nisi quis forte eos potius audiendos credat, qui hunc antiquissimum Apollinem una cum matre a Cecrope ex Aegypto advectum, cultumque eius ad Aegyptiarum religionum exemplum institutum esse autumant: Minervam enim eandem esse volunt, quam Neitham, Saitarum deam, Apollinem autem Neithae filium Horum, Vulcanum denique eum, qui ab Aegyptiis Phthas dicatur, nec movet eos, quod sic ab eo ipso, cuius relationem illustrare se hoc modo putant, tamen in summa re dissentire coguntur. Nam is quidem Vulcanum Apollinis patrem disertissime distinguit ab eo, qui Phthas dicatur, neque minus diserte, §. 59, Apollinis matrem Minervam diversam a Saitarum Neitha esse testatur. Illi autem quid aiunt? Scilicet errasse aut Ciceronem aut eum, quem is sequutus est; sibi autem veram rationem exploratam et perspectam esse affirmant [22]. — Contra huiusmodi opinionum vanitatem disputare supervacaneum est, quum praesertim Cecropis ista colonia Aegyptiarumque religionum inter Athenienses institutio iam-
12 dudum a Muellero aliisque tam firmis argumentis refutata sit, ut qui hodieque perditam causam tueri conantur, nihil aliud nisi nolle se verum audire ostendant.

Sed ut de respuendo Aegyptio Apolline plane Muellero assentior,

22) „Apparet confusum esse a Cicerone Vulcanum eum, quem primum h. l. nominat Caelique filium, cum eo, quem antea Nili filium et h. l. secundum (Phthas) nominat, quem eundem custodem esse Aegypti volunt.“ Verba sunt Baehrii, de Apolline patricio et Minerva primigenia (Heidelb. 1820) p. 17. De confusis duabus Minervis dicere oblitus est.

sic ea, quae idem vir praestantissimus de illo Vulcani et Minervae filio indicat, minus probare possum. Datos enim hos Apollini parentes ab iis esse putat[23]), qui deum hunc, serius demum et peregre in Atticam introductum, cum priscis numinibus cognationis quodam vinculo coniungi debere censuerint. Nam vetustissimas Atheniensium religiones in Minervae maxime cultu constitisse, cui deae non alia numina quam Vulcanum et Mercurium Neptunumque eum, qui Erechtheus cognominatur, adiuncta fuisse; Apollinis religionem postea demum invectam esse ab iis, quos Muellero Iones dicere placuit, qui Xutho duce in Atticam immigraverint, subactisque priscis incolis imperium usurpaverint. Atque initio quidem Apollinem ab his solis eorumque posteris, qui eupatridae dicti sint, tanquam *πατρῷον* coli potuisse, quippe qui soli Iones essent, illumque deum eponymi sui herois patrem dicerent; postea tamen, quum Solonis et Aristidis legibus aequato cum eupatridis iure etiam plebeii, priscorum Atticorum posteri, ad honores rei publicae admitterentur, factum esse, ut illum eupatridarum *πατρῷον* hi quoque adsciscerent, atque sic Apollo ex patricio, quo nomine eum Baehrius ornavit, etiam plebeius fieret. Mira profecto in religionibus novatio[24]), ad quam confugere nihil opus fuit, quandoquidem omnem istam de Ionibus opinionem, ut Xutho duce Atticam occupaverint terraeque domini et eupatridae facti sint, prorsus reiiciendam esse certissimis argumentis demonstrari potest. De ipso autem Apolline, qualem et quo nomine et ex quo tempore Athenienses colere coeperint, perdifficilem sane quaestionem esse video, ad quam solvendam ex his, quae extant, fabulosis narrationibus vix quidquam certi atque explorati vel sagacissimus indagator eruat. Pythii quidem cultum ii attulisse videri possunt, qui cum Xutho ex Thessalia venisse dicuntur: quamquam ne hoc quidem plane certum est. Nam iam ante Xuthum, Cranai regis tempore, Amphictyonem, Hellenis fratrem, eum 13
a quo amphictyonum concilium institutum sit, in Atticam venisse adeoque regnum aliquamdiu occupasse a nonnullis certe scriptoribus traditum legimus[25]), quod quid aliud esse dicemus, quam invasisse

23) Dor. I p. 239 et 246. Cf. eiusd. script. min. II p. 195.

24) Assentitur tamen huic opinioni etiam Welckerus, in diss.: Der Felsaltar des höchsten Zeus, in Act. Acad. Berol. 1852 p. 279 (s. p. 15).

25) Apollod. I, 7, 2, 7: *γίνονται δὲ ἐκ Πύῤῥας Δευκαλίωνι παῖδες, Ἕλλην μὲν πρῶτος — δεύτερος δὲ Ἀμφικτύων ὁ μετὰ Κραναὸν βασιλεύσας τῆς Ἀτ-*

aliquando in Atticam populum aliquem ex eorum numero, qui amphictyonici foederis erant, et per hunc etiam Atticos ei foederi adiunctos esse?[26]) Quod si ita est, eodem tempore etiam Pythium deum in Attica coli coeptum esse consentaneum est. Habent autem quae de hoc Amphictyone narrantur aliquam cum Xuthi fabula similitudinem. Nam ut Xuthus Erechthei filiam Creusam, sic ille Cranai filiam Atthidem in matrimonium ducit[27]): ut Xuthus, sic etiam Amphictyon de Chalcodontidis Euboicis victoriam reportat[28]), quae victoria quod in Boeotia, non in Attica, reportata esse dicitur, meminisse debemus etiam Boeotiae partem olim ab eadem qua Atticam gente possessam fuisse: denique ut post Xuthi adventum regnum tamen apud indigenas permanet, sic post Amphictyonem advenam regnum ab indigena Erichthonio recuperatur. Nec fortasse nimis audax coniectura videbitur, si quis ut Xuthi sic etiam Amphictyonis nomen pro antiquo Apollinis coguomine habendum dicat, cui, utpote amphictyonici foederis deo, non minus aptum id cognomen fuerit, quam Cereri, quam propter similem causam *Ἀμφικτυονίδα* cognominatam esse accepimus. — Non alio consilio haec posui, quam quo ostenderem, quam facile esset ex fabulis coniecturas derivare non certe absurdas, nihiloque aliis coniecturis incertiores. Nam incertissima profecto ea omnia dici debent, quaecunque de vetustissima Atheniensium historia a viris doctissimis,
14 aliter ab aliis, excogitata sunt, quae quum considero admirabilem quidem ingeniorum promptitudinem ac perspicacitatem agnosco, sic tamen, ut nimis saepe mihi obliti esse videantur, in quali campo versemur et qualibus e fontibus hauriendum sit. Quidquid enim de omni hac historia traditum habemus, uni fere generi scriptorum debetur,

τικῆς. Id. III, 14, 6, 1: *Κραναὸν δὲ ἐκβαλὼν Ἀμφικτύων ἐβασίλευσε. Τοῦτον ἔνιοι μὲν Δευκαλίωνος, ἔνιοι δὲ αὐτόχθονα λέγουσι.* Diversum hunc in Attica Amphictyonem a Deucalionis filio etiam ii fecerunt, quorum auctoritatem Marmor Par. Ep. V. v. 8 et Iustinus II, 6, 7—10 sequuntur, iisque assentitur Boeckhius C. I. II p. 311, simul hunc Atticum ad Calauriam amphictyoniam pertinere ratus. Mihi talis cognominum personarum distinctio lubrica neque unquam nisi cogente necessitate admittenda videtur: nec distinxerunt duos Amphictyones Castor, quem Eusebius sequatus est, Chron. I p. 134. II, 251. 280, et Pausanias I, 2, 5.

26) Pausan. X, 8, 2 iam ab Amphictyone Iones foederi adscriptos esse vult.

27) Pausan. I, 2, 5.

28) De Xutho vid. Eurip. Ion. v. 59. 294, de Amphictyone Plutarch. amator. narr. c. 3.

Atthidum compositoribus, Clidemo, Phanodemo, Demoni, Androtioni, Philochoro, Istro, quorum omnium opera ipsa perierunt, frustulaque tantum hic illic, a grammaticis maxime, servata sunt. Ex iisdem etiam Apollodorus pendet, cuius bibliothecae aut compendii bibliothecae pars extrema Atticas fabulas a Cecrope usque ad Theseum persequitur. Inter ipsos autem permagnam in his fabulis narrandis dissensionem fuisse non modo Strabonis, Iosephi [29]) aliorumque testimoniis constat, sed etiam ex reliquiarum comparatione apparet. Nec mira haec dissensio videri potest in huiusmodi materia, cuius maximam partem non aliunde nisi ex populari traditione, eaque haudquaquam una et aequabili, petere possent, quum quae passim vel in urbe vel in pagis s. *δήμοις* fabulae ferrentur, conquirendae ipsis et pro unius cuiusque captu ac iudicio componendae essent. Nam plenam eiusmodi fabellis omnem Atticam fuisse legimus, multaque passim in demis tradita magnopere vel inter se vel ab urbanis fabulis diversa [30]). Causas autem huius fabularum et multitudinis et diversitatis quum alias fuisse intelligimus, tum unam maxime advertendam, quod Atticae terrae incolas non ab initio unius civitatis vinculo, ac ne stirpis quidem unitate coniunctos, sed multifariam divisos fuisse, et paullatim demum ex pluribus civitatibus, advenisque etiam passim admixtis, in unius populi corpus coaluisse constat [31]). Nec bella inter eos defuerunt, quorum unum Eleusinium a Thucydide, II, 15, ut documentum antiquae divisionis commemoratur, aliorum autem vestigia in fabulis haud obscura deprehendi possunt, unde aliquoties etiam de principatu summoque totius Atticae imperio inter eos certatum, et modo hos modo illos, partim etiam auxiliis peregre accitis, superiores factos esse videas. Horum igitur omnium suae separatim fabulae fuerunt, quibus vel conditores suos, vel religionum atque institutorum origines, vel maiorum res gestas et antiqua de principatu certamina victoriasque 15
celebrarent, quae fabulae fieri non potuit quin multis modis cum aliis, quae alibi ferrentur, discreparent. Quumque in universum haud magnam earum existimationem apud prudentiores fuisse Lysis Platonicus ostendat, anilibus eas cantilenis adnumerans [32]), negligi tamen ab At-

29) Strab. IX p. 392. Ioseph. ctr. Apion. I c. 3.
30) Strab. IX p. 396. 397. Pausan. I, 14, 6.
31) Cf. Antiquitt. i. p. Gr. p. 162 sqq.
32) Plat. Lys. p. 205 c.

thidum scriptoribus non poterant, quandoquidem his omnia studiose conquirenda erant, unde aliquid lucis in antiquissimorum temporum historiam redundare posse videretur. Hos igitur quomodo iis usos esse putabimus? Nempe delectum quemdam et iudicium adhibuisse, ut seligerent, quae consilio suo accommodari et in quandam perpetuae historiae speciem componi posse censerent, ceteris, quae repugnarent, exclusis. Sic e. c. Ogygen a multis exclusum esse videmus, quem fabulae quaedam, Eleusiniae fortasse, non modo in Boeotia sed etiam in Attica regnasse, ipsumque aut eius filium Eleusinis conditorem fuisse ferebant[33]). Philochorus eum ascivit[34]), verum ita, ut post eius regnum Atticam, diluvio vastatam, per centum amplius annos vacuam et incultam fuisse statueret usque ad Cecropem, abs quo nova regum series inciperet. Alii Actaeum quendam Cecropis decessorem atque socerum fuisse volebant, patremque Aglauri, Hersae, Pandrosi, quas plerique Cecropis filias dixerunt[35]). Etiam Cranai nulla a Philochoro mentio facta esse videtur, quem alii non modo regnasse, sed a nomine suo quum unam de quattuor tribubus, tum populum universum appellasse volebant, quamquam utrum ante Cecropem an post eum regnasset, ambigebant. Hunc Lamptrensium maxime fabulis celebratum fuisse ex eo coniicias, quod eius sepulchrum illi apud se ostendebant, et sacra quoque a Charidarum gente procurata apud eosdem fuisse videntur[36]). Pandionis nomen ex Megarensium fabulis ascitum esse crediderim, apud quos et monumentum eius et cultum fuisse legimus[37]), Megaridem autem aliquando ad Atticam pertinuisse notum est. Porphyrionem et Colaenum, alterum Athmonensium alterum Myrrhinuntis regulum, utrumque Cecrope et Actaeo antiquiorem,
16 ex unius Pausaniae testimonio novimus[38]), ut ab Atthidum scriptoribus silentio praetermissi esse videantur. Ne Mopsopi quidem aut Mopsopis nomen a plerisque celebratum esse apparet, siquidem nulla eius mentio in Atthidum fragmentis invenitur: et fuisse tamen legi-

33) Pausan. I, 38, 4. Cf. Meurs. de regg. Att. I c. 4 et Clinton. Fast. Hell. I p. 37 y.

34) Vid. Euseb. Praep. ev. X, 10 p. 489. C. Mueller. fragm. hist. gr. I p. 385.

35) Vid. locc. ap. Meursium, de regg. Att. I c. 6, et Clinton. I p. 60.

36) Pausan. I, 31, 2. Hesych. s. v. Χαρίδαι.

37) Pausan. I, 5, 3 et 41, 6.

38) Lib. I c. 14, 6 et 31, 3.

mus, qui universam Atticam aliquando ab eius nomine Mopsopiam dictam esse vellent[39]. Ex iis autem, qui ab Atthidum scriptoribus nominati sunt, plures autochthones h. e. terra editi dicuntur, Cranaus, Cecrops, Erichthonius, Erechtheus, quorum unum quemque credibile est in vetustissimis fabulis primum regem et ceterorum progenitorem fuisse. Quod quum tamen in hac tralaticia regum serie Cecropem Cranao, Erichthonium Amphictyoni, Erechtheum Pandioni postpositum videamus, non immerito, ut arbitror, omnem hanc seriem ab illis Atthidum scriptoribus compositam, genuinis autem fabulis ignotam fuisse dicemus. Iisdem scriptoribus haud dubie imputandum est, quod Cecropis et Pandionis personae duplicatae sunt, quo commodius haec omnis regum historia describi et ordinari posset. Nam Erechtheum ab Erichthonio iam ante eos alii distinxerant, quod utrum recte an secus factum sit, hodieque inter mythologos ambigitur. — In hac igitur tali tamque dubitabili fabularis historiae compositione arduum sane ac difficile opus suscipiunt, qui veram rerum gestarum memoriam veterumque institutorum ac religionum origines indagare, et quae earum antiquiores, quae posteriores fuerint, dignoscere conantur: quo in opere fieri profecto non potest, quin nubem saepenumero pro Iunone amplectantur. Atque hoc ipsum vereor ne iis acciderit, qui Apollinem priscis Atheniensibus Vulcani et Minervae filium fuisse propterea negant, quod in hac tralaticia historia non hunc, sed Pythium tantum aut Delphinium, qui Iovis et Latonae filius esse dicitur, commemoratum inveniunt. Nam nihil causae est, quominus Atheniensium antiquitates doctis illis de quibus supra dictum est theologis paullo melius quam nobis cognitas fuisse concedamus. Neque illud eorum fidem elevare potest, quod a Demosthene aliisque hunc auctorem sequutis Pythium Apollinem πατρῷον Atheniensium vocari videmus[40]. Quippe non plures Demostheni Apollines esse videbantur, quemadmodum 17
theologis, sed deus unus idemque custos Athenarum et πατρῷος Pythiique oraculi praeses, quamvis multis cognominibus invocare-

39) Strab. IX p. 397. Steph. Byz. s. v. *Μοψοπία* et *Μόψιον*. Cf. Meineke, Anslect. Alex. p. 381.

40) Vid. Demosth. pr. coron. p. 247. Diodor. XVI, 57. Liban. declam. 29. Aristid. Panath. p. 161 Dindf. Harpocr. s. v. *Ἀπόλλ. πατρ.* — Qui etiam Platonis locum huc traxerunt, de republ. IV p. 427 c, recte a Schneidero refutati sunt. Cf. Ellendt. Lex. Soph. II. p. 565.

tur[41]), et parentes quoque eius alii fortasse alibi dicerentur. Neque enim hoc in religione cultuque deorum a veteribus quaesitum esse arbitror, unde quisque eorum ortus esset, sed quod eius numen, quae potestas, quae beneficia essent: quaestiones istae genealogicae fabularum scrutatoribus et theologis curae erant, ad religionem nihil magnopere pertinebant.

Commune autem Graecorum religionibus hoc erat, ut multa ubique et varia deorum cognomina essent, unde hos non raro *πολυωνύμους* a poetis vocari videmus[42]). Ea cognomina partim quidem a rebus externis ducta erant ad ipsam deorum notionem non pertinentibus, velut quum Iuppiter Idaeus, Dodonaeus, Atabyrius, Iuno Argiva, Neptunus Heliconius, Apollo Abaeus, Diana Brauronia, Minerva Sunias, Mercurius Cyllenius dicebantur, partim autem varias eorum potestates, munia ac beneficia significabant, propter quae ab hominibus invocabantur et colebantur. Plurimorum significatio ambigua et obscura est, nec semper certo cognosci potest, utrumne propria potius deorum nomina, quae graece *κύρια* vocantur, an cognomenta tantum propriis nominibus addita s. *ἐπίθετα* dicenda sint. De talibus quidem, qualia sunt *ἀλεξίκακος, ἀγυιεύς, προστατήριος, κουροτρόφος, νόμιος, ἵππιος, πρόμαχος, θεσμοφόρος, μειλίχιος* aliaque similia, nemo errabit: non paucorum tamen ratio haudquaquam expedita est. Nec dubitari potest, quin primitus omnia deorum nomina, etiam ea quae propria habentur, appellativa fuerint, hoc est ad notionis alicuius significationem imposita, quamquam quae sit haec significatio plerumque nos fugit, sive quod ea nomina ex antiquissimo planeque obsoleto sermone Graecorum servata, sive quod ne graeca qui-
18 dem sed peregrina, et forma tantum graecanica induta sunt, id quod de nonnullis utique concedendum est. Sed de iis quoque, quae apertam habent significationem vulgoque pro epithetis habentur, equidem non dubito, quin multa olim in deorum invocationibus sola usurpata, neque aliis tanquam epitheta adiuncta fuerint, praeterquam his gene-

41) Extat anaglyphum, Apollinem cum lyra exhibens (vid. C. O. Mueller. A. Denkm. II, 12, 130), cum hac inscriptione: *Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἀπόλλωνος ἀγυιέως, προστατηρίου, πατρῴου, Πυθίου, Κλαρίου, Πανιωνίου.* C. Inscr. I no. 465.

42) Cf. Spanhem. ad Callim. h. in Dian. v. 7. Apollinis cognomina viginti quattuor secundum ordinem litterarum enumerantur in epigrammate Anthol. Palat. IX, 525: aliquanto plura Gerhardi index habet, quibus ipsis unum atque alterum addi poterit.

ralibus, quae nulli deo propria, sed omnibus communia sunt, *θεός* vel *δαίμων*. Notissimum est Herodoti dictum de diis quondam sine nomine adoratis. *Ἔθυον δέ*, inquit, *πάντα πρότερον Πελασγοὶ θεοῖσιν ἐπευχόμενοι, ἐπωνυμίην δὲ οὐδ᾽ οὔνομα ἐποιεῦντο οὐδενὶ αὐτῶν, θεοὺς δὲ προσωνόμασαν ἀπὸ τοῦ τοιούτου, ὅτι κόσμῳ θέντες τὰ πάντα πρήγματα καὶ πάσας νομὰς εἶχον.* Errare Herodotum in hac *θεῶν* nominis interpretatione constat fere hodie apud peritos, neque illud facile quisquam affirmare audeat, certam quandam memoriam illius priscae aetatis apud Dodonaeos, quos ille auctores laudat, servatam fuisse, non magis quam, quod iisdem auctoribus addit, nomina deorum pleraque ex Aegypto ascita esse. Sed res ipsa per se in dubium vocari nequit, quamvis longe remotam illam antiquitatem fuisse putemus, qua sic sine propriis nominibus dei a Graecis invocati sint. Et ne posterioribus quidem temporibus innominatos deos plane deesse videmus. Tales erant Pallantiorum in Arcadia *θεοὶ καθαροί*, quorum nomina aut ignorabantur aut celabantur, *θεοὶ ἄγνωστοι* Athenis et Olympiae, *θεοὶ μέγιστοι* Tritaeae in Achaia, et *θεὸς μέγιστος* Bulidiorum in Phocide, quem Pausanias Iovem esse suspicatur, item *θεοὶ μειλίχιοι* apud Locros Amphissenses, et *ἄνακτες παῖδες*, quos alii Curetes, alii Dioscuros alii Cabiros interpretabantur, *ἀγαθὸς θεὸς* apud Megalopolin, denique *ἀγαθὸς δαίμων*, ubique locorum etiam ab epulantibus invocari solitus[43]. Igitur sic olim factum esse putabimus, ut ex eiusmodi appellativis, quae in alicuius numinis invocatione praeter cetera frequentarentur, paullatim propria evaserint, licet quae fuerit eorum significatio nos lateat. Frequens erat, exempli causa, in feminei cuiusdam numinis invocatione vocabulum *Ἀθήνη*, quo quid significatum sit, nesciri a nobis fatendum est[44], sed hoc tamen dubitari nequit, aliquam eius numinis vim et efficaciam eo designatam esse, et frequenti usu factum, ut illi numini tanquam proprium nomen haereret. Item invocabatur 19
dea quaedam *Παλλάς*, cuius vocabuli non minus quae fuerit significatio ignoramus, sed hoc tamen intelligimus, non alienam fuisse ab eius deae numine, quam alias *Ἀθήνην* vocarent, unde factum, ut huius pariter utrumque proprium nomen fieret. Non opus est pluribus exemplis ad explanandam rem ipsam per se indubitabilem. Nonnun-

---

43) Vid. Pausan. I, 1, 2. V, 14, 6. VII, 22, 6. VIII, 36, 3. 44, 5. X, 37, 3. 38, 3, 4.
44) Non improbabilem sententiam Gerhardus proposuit Mythol. I p. 225.

quam autem Graecos ipsos de his deorum nominibus vel cognominibus errasse et inter se dissensisse videmus, veluti quum deus quidam *Ἀρισταῖος* appellaretur, hoc alii Iovis, alii Apollinis cognomen esse crediderunt, alii proprium nomen dei ab Apolline generati. Invocabatur alicubi deus *Ἰσοδαίτης*: hunc alii Dionysum, alii daemonem quendam interpretati sunt in Dionysi comitatu [45]). Cretenses *Βριτόμαρτιν* quandam adorabant, h. e. ut Solinus ait cap. 18, nihil aliud quam d u l c e m v i r g i n e m. Haec dulcis virgo plerisque Diana visa est, quum alii nympham esse mallent Dianae comitem. Habebant haud dubie utrique quod sequerentur, alteri similitudinem quandam numinum ac religionum, alteri dissimilitudinem. Et quam facile Graeci etiam peregrinos deos et barbaros propter mediocres saepe similitudines cum suis confundere soliti sint, nemini ignotum est. Sic Aegyptiorum Ammonem pro Iove, Butonem pro Latona, Horum pro Apolline, Bubastin pro Diana habuerunt, Assyriorum Belum aut Iovi aut Saturno, Mylittam Veneri, Medorum Anaitin Dianae, Phrygiam Cybelen Rheae, Attin Dionyso, Thracum Bendin Dianae, Carum Imbramum Mercurio, Arabum denique deos Alilat et Urotal Veneri et Dionyso aequipararunt. Neque id adeo mirum videri potest, si quis religionum graecarum naturam atque indolem eam fuisse reputet, ut notiones deorum omnes perquam indefinitas, incertas, variabiles haberent, in nulla certae doctrinae formula, qualis existere apud eos tantum potest, qui revelationis divinae beneficio edocti sunt aut educti esse sibi videntur. Apud Graecos autem quidquid de diis rebusque divinis opinionis aut persuasionis erat, id omne non ex alio fonte quam ex hominum suspicione et coniectura fluxerat, quae quidem in rebus huiusmodi, quarum certa cognitio et scientia supra humanum captum est, non pot-
20 erat non lubrica, instabilis, somniorum similis esse, ut aliud aliis, neque idem iisdem omni tempore verum videretur, nullaque esset omnium in eandem sententiam firma et constans consensio [46]). Constabat hoc unum, esse quandam vim et naturam divinam, qua omnia

45) Plutarch. de *εἶ* ap. Delph. c. 9. Harpocr. s. v. — Sed etiam Pluto *ἰσοδαίτης* fuisse dicitur, aut etiam Sol. Cf. Hesych. s. v. c. Hemsterh. annot. s. v. *θεοὶ ξενικοί*. Lex. rhet. p. 267.

46) Lectu digna sunt quae Arnobius adv. gent. libro III de errantibus et vagis atque dissonis gentilium opinionibus circa deos suos disputat, impr. c. 4. 18. 37. 42.

regerentur, eamque in multas deorum personas dispertitam esse, quorum suam quisque partem in rerum administratione haberet, hominibusque aut bene facere aut nocere posset; sed quinam et quot illi dei essent, quo quisque nomine, qua potestate praeditus, quae cuiusque partes in rerum administratione propriae, quae communes cum ceteris, quo quisque cultu ac ritu maxime gauderet, de his harumque similibus rebus constare certam quandam fixamque in omnium animis sententiam haud facile potuisse manifestum est. Ritus quidem et caerimoniae publicis legibus ordinari poterant, et quinam dei quibusve modis a civibus coli deberent praescribi; de ipsis vero diis rebusque divinis vix unius populi non nimis magni una erat eademque omnium sententia, nedum plures inter se populi plane conspiraverint. Aliquam sane aequabilitatem opinionum Homeri eiusque similium poetarum carminibus effectam esse videmus: nam poetis certas atque distinctas et quasi ad vivum expressas personarum etiam divinarum species proponere necesse erat; itaque et formas deorum et aetates et ingenia moresque describebant, quantoque magis eorum carmina popularibus placebant, tanto magis etiam quae in his propositae erant imagines et opiniones animis auditorum insinuabantur, et hactenus verum est, quod Herodotus ait, Homerum et Hesiodum theogoniae conditores fuisse, ab iisque Graecos accepisse quae de muneribus et potestatibus formisque et ingeniis deorum vulgo crederentur: sed ut taceam ne ipsos quidem poetas plane inter se conspirasse, ut idem omnes de iisdem rebus dicerent, auctoritas eorum haudquaquam tanta erat, ut non ubivis et fabulae plurimae generis diversi et opiniones populorum religionesque servarentur cum his, quae illi cecinerant, nullo modo conciliandae [47]). Quae autem veriora, quae minus vera essent, nemo profecto exploratum sibi perspectumque esse tam confidenter credebat, ut non in aliis quoque opinionibus ac religionibus aliquid 21
veri inesse posse fateretur, neque in iis solum, quae apud Graecos, sed etiam quae apud barbaros obtinerent [48]).

Hinc igitur quum illud appareat, quam ob causam Graeci alienas religiones, quibus aliquid saltem similitudinis cum suis intercederet, non contemnendas atque damnandas, sed conciliandas potius, quan-

47) Cf. quae dixi in compar. theog. Hesiod. c. Homer. (a. 1847) p. 4.

48) Cf. W. Mure, critic. history of the language and litterat. of ant. Greece vol. IV p. 357.

tum posset, cum suis crediderint, sic etiam hoc iam manifestum esse puto, quam difficile saepe sit in Graecorum ipsorum religionibus discernere, quae quibusque propria, quae communia fuerint pariterque apud omnes recepta. Fuerunt autem huius generis aliquanto quam crederes pauciora, quum in ceteris partibus tum in deorum notionibus, raroque nominibus iisdem easdem plane ab omnibus notiones comprehensas esse videmus. Quod quum tamen fieri vix potuerit, ut iisdem nominibus dii appellarentur, nisi etiam numen eorum aliqua saltem ex parte idem esse videretur, quaestio de uno quoque sic institui debebit, ut quid de eo hic illic creditum sit ex fabularum et sacrorum diligenti consideratione indagemus, ac deinde ex iis, quae sic particulatim collegerimus, unam quasi summam notionis universae efficere conemur. Apparebit sic multorum deorum notiones non quidem aequo apud omnes modo conceptas, neque tamen adeo dispares fuisse, ut conciliari inter se prorsus nequirent. Item munia quaedam ac potestates pluribus tam communes fuisse videbimus, ut qui ea munia easque potestates exerceret, modo hic modo alius haberi posset, neque tamen hoc nos conturbabit universa cuiusque notione recte percepta, ex qua intelligi poterit, qua ratione ea munia potestatesque cuique deo conveniant.

Haec praemunienda fuerunt reliquo sermoni, quo brevius iam, quae de Apolline dicenda restant, absolvi possint. Omnem enim de hoc deo quaestionem ea, quam indicavi, ratione institutam hoc loco repetere neque licet neque opus est, siquidem praeiverunt eam iam antehac alii, nuperrime autem duo viri praestantissimi, Gerhardus et Prellerus, sic persequuti sunt, ut propemodum exhausta videri possit. Hi igitur quae de Apollinis notione universa disputarunt, ea mihi quoque sic probantur, ut in summa re prorsus iis assentiar. Numen eius dei primitus cum lucis et caloris natura coniunctum fuisse statuo, quae
22 quum in Sole conspicua sit, neque tamen ex hoc uno originem habere videatur, factum est, ut modo confundi cum Sole Apollo, modo discerni ab eo posset. Est autem lucis et caloris natura ea, ut tenebris, frigori, squalori et torpori ubique adversetur eaque pellat, diluat, exterminet, utque augescere laeteque vegetari et stirpes et animantes faciat, nonnunquam tamen, ubi nimius calor ingruit, etiam interimat. Sic igitur Apollinis numine frigus hibernum pelli tempore verno aeremque, qui natura est maxime frigidus, suaviter tepescere, caelum, nubibus et nebulis hiemalibus fugatis, purum ac serenum fieri, terram

frigore constrictam molliri, humores nimios et noxios, hibernis imbribus et aquarum exundationibus effusos, reprimi et coerceri, fontes ac rivos, modica caloris temperatione admixta, nutriendis ac laetificandis stirpibus salubrem liquorem praebere, mare denique, sedatis una cum hieme tempestatibus, tranquillum opportunumque navigantibus fieri videmus. Neque vero hanc lucis et caloris vim Apollo in corporeis tantum rebus exercet, sed ad mentes quoque et animos hominum transfert. Eius numinis beneficio fervor quidam animorum debetur, quo commoti homines, abiectis curis et molestiis, hilari cantu se oblectant; is deus, ut ipse purus est et candidus omnique foeditati infestus, sic etiam hominibus puritatem caram facit, quumque maculas peccatorum et scelerum contraxerunt, has abluendas et expiandas esse monet; is denique, ut nihil ipsi obscurum est, sic etiam humanis mentibus lucem quandam impertit [49], ut vates fieri et quae ceteris in obscuro latent videre et effari possint. Longius haec et singulatim omnia persequi non opus est; nam satis iam apparere arbitror, quam late patens quamque multiplici potestate praeditum Apollinis numen fuerit. Sed in hac tanta numinis amplitudine et multiplici potestate non mirum est nec notionem dei apud omnes eam fuisse, quae hanc numinis amplitudinem plane aequaret omnesque eius potestates amplecteretur, et harum potestatum non paucas etiam aliis quam Apollini deis attributas esse. Nomen Apollinis unde ductum sit et quamnam dei notionem exprimat, incompertum est, nec defuerunt, qui id non graecum sed barbarum esse crederent, alii sanscriticum [50], alii ex
Phoenicum aut Babyloniorum sermone corruptum [51]), ii scilicet, qui 23
religiones Graecorum, si minus omnes, at plerasque saltem ex oriente repetere amant. Nempe orientalium populorum religiones vetustissimae, quo minus accurate notae certaque auctorum fide traditae sunt, tanto liberiorem ingeniosis hominibus coniectandi facultatem praebent, qua facultate sic uti solent, ut ignotas graecarum religionum causas et origines ex orientalium religionibus nihilo notioribus, sed quarum ipsi speciem consilio suo aptam commenti sint, explicare conentur. Et nuper admodum Apollinem a viro quodam docto et sollerti disertis

49) *Φῶς ἐν τῇ ψυχῇ πρὸς τὸ μέλλον*, inquit Plutarch. de Pyth. or. c. 7.

50) Hitzig, Urgesch. u. Mythol. der Philister p. 311.

51) Kaone, Mythol. I p. 82. Sickler, Kadmus p. LXXXIX, ne de Creuzero eiusque sequacibus dicam.

verbis barbarum deum non graecum dici meminimus [52]), non aliam ob causam, quam quod fabulosas quasdam de Lyciis et Hyperboreis narrationes huic sententiae accommodari posse, et cultum Apollinis in Asia minore late sparsum videret, eumque idonei testes antiquissimum et Ionum in Asiam migratione priorem fuisse affirmarent. Atqui nihil aliud hinc effici potest, quam fuisse apud Asianos deum quendam Apollini aliqua ex parte similem, ideoque a Graecis pro eodem acceptum. Nam promptissimos Graecos fuisse ad talem peregrinorum deorum cum suis confusionem iam supra vidimus. Fuerit ille deus apud barbaros olim vel Branchus vel Olus, fuerintque de eo fabulosae quaedam narrationes: Graeci eum Apollinem fecerunt, fabulasque suo modo concinnarunt, in quibus etiam Brancho vel Olo aliquid loci relinqueretur. Ipsum autem nomen Apollinis cur graecum esse negetur, adhuc nullam satis gravem causam allatam esse video, quamvis obscuram habeat significationem et formam quoque declinationis solitariam. Nam cetera eiusdem declinationis omnia disyllaba sunt, ut ab Herodiano observatum est [53]). Ab eodem Herodiano nomen dei apud Dorienses non Apollinem, sed Apellinem fuisse accepimus [54]), eademque nominis forma etiam ad Romanos una cum dei cultu translata et postea demum cum altera mutata est [55]); mensem denique Apellaeum
24 apud Delphos, Thessalos, Macedones, Apellaeonem apud Tenios [56]), a dei nomine vocatum esse vix quisquam negaverit. Nihil autem probabilius, quam illam nominis formam veram et genuinam, alteram, cum o littera, corruptam esse ab iis, qui prisci vocabuli significationem non iam intelligerent. Nam plerisque *Ἀπόλλων* quasi *ἀπολλύων* esse visus est, quia scilicet nonnunquam etiam letale eius numen esset, ne de aliis interpretationibus dicam nimio absurdioribus. Quamquam non defuerunt tamen, qui etiam in illa nominis forma contrariam significationem inesse aut coniicerent aut meminissent, quum *Ἀπόλ-*

---

52) A. Schönborn, über das Wesen Apollon's u. d. Verbreitung seines Dienstes. Berlin 1854. p. 74.

53) *Π. μονήρ. λέξ.* p. 12 (35 Lehrs.).

54) Vid. Eustath. ad Il. II, 103 p. 183, 10.

55) Vid. Fest. Paul. s. v. Apellinem.

56) C. F. Hermann, Griech. Monatskunde p. 45. Bergk, Beitr. z. griech. Monatsk. p. 43 not. Cf. Mueller. Dor. I p. 303. Doederlin. in Dinrn. antiqu. (Zeitschr. f. d. AW.) a. 1838 p. 315. Schwartz., de Apollinis nat. antiq. (Berol. 1843) p. 33. Lauer. Myth. p. 256.

λωνα dictum statuerent *ὡς ἀπαλλάττοντα καὶ ἀπολύοντα τῶν περὶ τὸ σῶμα νοσηματικῶν παθῶν τὸν ἄνθρωπον* [57]), quae interpretatio, licet nimis angusta, non tamen spernenda est. Nam videtur utique in vetustissimorum Graecorum sermone verbum *ἀπέλλειν* fuisse, quod illam repellendi et averruncandi significationem haberet, aptam sane tali deo, qui et noctis tenebras et hiemis iniurias et omnis generis mala et molestias fugaret et repelleret, essetque non uno modo *ἀλεξίκακος, οὔλιος, σωτήρ*, quibus cognominibus Apollinem invocatum esse aliquot monumenta testantur [58]). — Alterum dei nomen, *Φοῖβος*, minus ambiguum est. Consentiunt enim fere grammatici *φοῖβον* esse *τὸ καθαρὸν καὶ ἀμίαντον*, unde et *φοῖβον ὕδωρ* a poetis dicitur de aqua pura et limpida, et *ἀφοίβαντος* apud Aeschylum est pro *ἀκάθαρτος*, et *ἡλίου φοίβη φλόξ* ab eodem quae alias *λαμπρά* dicitur. Manifesta est igitur puritatis et claritatis significatio, neque audiendi sunt qui aliter sentiunt: quumque epitheton vocabulum esset, tam proprium tamen Apollini fuit tamque frequenter de eo usurpatum, ut mox proprii nominis locum obtineret, neque coniunctim tantum *Φοῖβος Ἀπόλλων* aut, quod rarius est, *Ἀπόλλων Φοῖβος*, sed etiam hoc solum *Φοῖβος* diceretur.

Delius Apollo ab insula Delo cognominatus videtur, sed hoc ipsum insulae nomen equidem haud dubitandum esse credo, quin impositum sit propterea quod deus ille, cuius lucido numine omnia clarescerent, ibi primum a Latona, h. e. ex tenebris nocturnis natus esse diceretur. „Haec insula“, inquit Macrobius, Sat. I, 17, „ideo Delos vocatur, quia ortus et quasi partus luminum omnia facit *δῆλα*, i. e.

57) Plutarch. fr. de Daedal. c. 5, 2. vol. V p. 19 ed. Paris.

58) Cf. L. Lersch, Apollon der Heilspender. Festprogramm zu Winckelmann's Geburtstage. Bonn 1848. — Pellae urbis Macedoniae nummi, de quibus vid. Mionnet. descr. de méd. 482. 245. Combe, Mus. Hunt. T. 42. IV. V, caput Apollinis habent laureatum, et in altera parte lyram aut tripodem, ut videntur Pellaei Apollinem praeter ceteros deos coluisse, unde obvium est coniicere, etiam nomen urbis a dei Apollinis nomine non alienum fuisse. Fuitne igitur in vetustissimo Graecorum sermone etiam verbum *πέλλω?* Id si accipitur, litteram *α* in *Ἀπέλλων* pleonasticam dicere licebit, ut quum *ἀλαπάζω* dicitur pro *λαπάζω*, et *ἀλεγίζειν, ἀλεγύνειν* a stirpe quae est *λεγ:* item *ἀμύνω* pro *μύνω*, cuius forma passiva saltem extat, licet significatione coartata: nec non *ἀμέλγω* huc pertinet, si recte id cum lat. mulgeo componitur. Potest autem illud *α*, quod pleonasticum dici solet, a praepositione ortum credi vel *ἀπό* vel *ἀνά*, ut Doederlino visum est. Vid. eius librum: Etymolog. Beilage p. 126. 128.

aperta clarescere[59]." Tegyraei quoque in Boeotia, qui natum apud se Apollinem esse volebant, montem in agro suo *Δῆλον* vocabant[60]), neque exoleverat apud Graecos memoria, Delum antiquissimis temporibus aliter vocatam fuisse[61]). Nam non primas ibi Apollinis religiones fuisse, sed ante Apollinem Neptunum cultum esse colligitur ex ea narratione, quam ex Ephoro Strabo VIII p. 374 retulit, concessam insulam Latonae esse a Neptuno, qui Calauriam pro ea acceperit, h. e. nisi fallor, cultum Latonae eiusque filii in Calauria antiquiorem quam Deli fuisse, postea autem huc translatum in causa fuisse, ut Neptunus coli desineret, cuius religiones Calauriae deinceps maxime florere coeperint[62]).

Pythius cur vocatus Apollo sit ambigitur. Nam etiamsi vocabu-
26 lum ab loco oraculi ductum creditur, quem olim *Πυθώ* appellatum esse constat, hic ipse cur ita appellatus sit in dubio est, quum alii nomen ab eo, quod est *πύθειν* (putrefacere), alii contra a *πυθέσθαι* (interrogare) repetere malint. Neque solum apud recentiores viros doctos, sed iam a veteribus sic dubitari videmus, quamquam paullo diversa ratione. Nam veteres fere de serpente cogitant oraculi quondam custode, qui postquam interemptus ab Apolline et solis calore putrefactus sit, hanc ob causam et ipsum Pythonem dictum, et loco etiam nomen hinc inditum esse volunt, quam rationem iam ab hymni Homerici in Apollinem auctore indicatam[63]) plerique sequuntur. Fuerunt tamen qui praetermissa serpentis et loci mentione deum illum, cuius numen cum luce et calore coniunctum esse intelligerent, propterea *Πύθιον* vocari statuerent, quod nunquam sine vi caloris

59) Minus probabilis est altera ratio a Stephano Byz. s. v. commemorata, dictam esse Delum *διὰ τὰς μαντείας· δηλοῦσι γὰρ ἦν τὰ δυσεύρετα.* Oraculi Delii fama nullo tempore magna fuisse videtur.

60) Plutarch. Pelop. c.16.

61) Cf. Steph. Byz. s. v. et Plin. H. N. IV, 12 p.216 Gron.

62) Apollinis cultum Deli non a principio fuisse, sed posterius demum et quidem e continente Graecia eo translatum etiam Hoeckius statuit, Kret. II p. 123. 130. Fuerunt qui eum ex Attica translatum vellent per Cecropis filium Erysichthonem. Vid. qu. cit. Meurs. de reg. Att. I, 11 p. 53. Postcaquam autem semel invaluit opinio, Apollinem in ea insula natum esse, non mirum est quod plerique eum hinc in continentem Graeciam, et Athenienses quidem in Atticam, atque hinc demum Delphos profectum esse dixerunt, velut Aeschylus in prologo Eumenidum.

63) V. 185 (363): *ἐνταυθοῖ νῦν πύθευ ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ* et 193 (371): *τὴν δ' αὐτοῦ κατέπυσ' ἱερὸν μένος ἠελίοιο, ἐξ οὗ νῦν Πυθὼ κικλήσκεται.*

efficeretur, ut res aliqua putresceret[64]). Recentiores contra non hanc vim caloris eo nomine denotari putant, quae efficiat putredinem, sed eam potius, quae putredini adversetur finemque imponat. Nam serpentis imagine pestilentem illam putredinem significari, quae in locis humidis ac depressis ex fontium scaturigine aquarumque terrestrium stagnationibus oriri soleat[65]), unde consequitur, deum Pythium, serpentis interfectorem, eum esse, qui salubri calore pestilentem illam putredinem impugnet atque devincat. Rursus autem alii non hanc pestilentem putredinem intelligi volunt, sed illam magis innocentem, quae ubique existit, vere novo quum se putrescens gleba resolvit. Nam hiemem sub Graecorum caelo imbribus potissimum et eluvionibus contineri, vere autem redeunte, ubi imbres deficiant, humidam terram solis radiis putrescere, unde et mensem vernalem Pythium h. e. putredinis effectorem, dici, et deum hoc mense natum, quippe qui vim suam verno tempore exercere incipiat[66]). Haec omnia ingeniose excogitata
et propemodum ad persuadendum apta esse fateor, modo hoc unum 27
viri doctissimi addidissent, ut verbum illud *πύθειν*, aut potius eius passivum *πύθεσθαι*, vel de glebis verno calore putrescentibus vel de putredine locorum humidorum aquisque stagnantibus oppletorum in Graecorum sermone tritum et vulgari usu receptum fuisse aliquot idoneis exemplis demonstrarent. Nam ubi de significationibus vocabulorum agitur, non quid potuerit commode fieri, sed quid vere fieri solitum sit spectandum est. Itaque excusabitur fortasse si quis assensionem adhuc cohibeat, neque deteriorem sibi alteram rationem videri fateatur, qua nomen quum oraculo eiusque custodi, tum deo vaticinanti a verbo *πυθέσθαι* inditum esse statuitur, scilicet quia sciscitarentur ibi homines quae sibi aperiri a deo cuperent. Attulerunt hanc rationem veteres quidam scriptores haud sane indocti, quorum unus, Strabo, simul etiam obiectionem quandam a scrupulosioribus grammaticis oppositam non magni momenti sibi videri ostendit. *Κεκλῆσθαι* ait IX p. 419 *καὶ τὴν προφῆτιν* (*Πυθίαν*) *καὶ τὴν πόλιν* (*Πυθώ*) *ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι, ἐκτετάσθαι δὲ τὴν πρώτην συλλα-*

64) Macrob. Sat. I, 17 p. 304 Zeun.: „*Ἀπόλλων Πύθιος οὐκ ἀπὸ τῆς πεύσεως*, id est non a consultatione oraculorum dictus a physicis existimatur, sed *ἀπὸ τοῦ πύθειν* i. e. *σήπειν*, quod nunquam sine vi caloris efficitur. Hinc ergo *Πύθιον* dictum existimant.“

65) C. F. Hermann., de sacris Coloni p. 42.

66) F. G. Schwartz., de antiquissima Apollinis natura (Berol. 1843) p. 30 sq.

βὴν ὡς ἐπὶ τοῦ ἀθανάτου καὶ ἀκαμάτου καὶ διακόνου. Licet igitur prima syllaba in verbo *πυθέσθαι* corripiatur, in nominibus autem hinc derivatis producatur, non incredibilem nec sine exemplo talem quantitatis mutationem esse iudicat. Et poterat exemplis etiam similioribus uti, velut quae in *χρυσός* syllaba producitur, eadem in *χρύσεος* corripi solet, quae in *Τυφώς* et *Τυφῶν* longa, eadem in *Τυφωεύς, Τυφάων* brevis est. Et quid obstat, quominus etiam eiusdem verbi, cuius in aoristo *πυθέσθαι* vocalis brevis comparet, praesens tempus non modo *πεύθεσθαι*, sed etiam *πύθεσθαι*, longa vocali, fuisse atque hinc illa nomina eandem quantitatem accepisse credamus? Quemadmodum in Latonae nomine factum esse videmus. Haec enim quin ab eo dicta sit, quod est *λαθεῖν*, nemo facile dubitabit: sed eius verbi praesens tempus fuit *λάθειν* vel ionice *λήθειν*, unde apud Dorienses *Λατώ*, apud Iones *Λητώ* dicta est. Nam de permutata cum aspirata littera tenui non opus est dicere. Denique nomen oraculo inditum a sciscitando perquam sane veri simile videri debet, nec deest alterum eiusdem generis exemplum, non quidem graecum, sed barbarum. Nam in Lusatia montem quendam a verbo
28 prascha s. praschau, quod item sciscitandi et consultandi significationem habet, Praschiva s. Praschwiza dictum esse legimus, quod is futuram tempestatem sciscitantibus indicaret et certis quibusdam signis praemonstraret [67]).

Sed Pythii oraculi locum etiam Delphos vocatum esse notum est, itemque Pythoni serpenti, eius loci custodi, Delphynae quoque s. Delphinae nomen fuisse dicitur, quod nomen eiusdem quam Delphos stirpis esse manifestum est. Neque minus illud a viris doctissimis pro certo habitum est, stirpem hanc non diversam esse ab ea, unde *Θέλπουσα, Τέλφουσα, Τίλφουσα, Τιλφῶσσα* ac similia descendant, quae omnia aut fontium ac rivorum nomina sunt, aut locorum aquis irriguorum [68]). Sed *δελφύς* quoque, quod uteri, *δέλφαξ*, quod porci, *δελφίς*, quod piscis delphini nomen est, apertius etiam eiusdem se stirpis esse produnt. His igitur omnibus quum aliquid communis significationis subesse necesse sit, quid tamen et quale hoc sit,

67) Vid. Abr. Frencel. Nomenclator utriusque Lusat., in Hoffmann. scriptt. rer. Lusat. II p. 31.

68) Cf. Hymn. in Apoll. v. 66 (244). Polyb. II, 54, 12. Strab. IX p. 410. 411. 413. Athenae. II p. 41 E. Paus. VIII, 24. 25. Steph. Byz. s. vv. Unger, Thebana paradoxa p. 117 sq.

minus liquet. Sed omnia perpendenti haec maxime probabilis videbitur sententia, ut in illa stirpe, itidem ut in similibus *ΘΑΛ* et *ΘΑΛΠ*, quaedam fovendi, vegetandi, alendi significatio inesse statuatur [69]). Sic igitur et *δελφύν* dictam dicemus propterea, quod in utero fetus foventur et aluntur, et *δέλφακα*, quod hoc genus animalium imprimis vegetum esse et celerrime pinguescere solet, nec delphinorum absimilis natura videtur, qui etiam a nostratibus porci marini, Meerschweine, vocantur. Fontes vero et rivi, aut loca bis irrigua, quum alendis, fovendis, vegetandis stirpibus atque animalibus idonea sint, hinc etiam nominari potuisse apparet. Et Delphorum quoque agrum irriguum fuisse certum est; nam fuerunt ibi, ne de Plisto amne dicam, Castalia, Cassotis et tertius quidam fons cui nomen ab illa ipsa stirpe *Δέλφουσα* fuit [70]). Hinc igitur etiam serpentem vel dracaenam *Δελφύνην* sive *Δελφίνην* vocatam esse dicemus, — nam apud plerosque feminino, apud pauciores masculino genere est [71]), —
quod nomen, licet e recentioribus tantum poetis innotuerit, non ta- 29
men profecto ab his usurpatum esset, nisi idem etiam apud veteres usurpatum invenissent. Nimirum rarius erat, quam illud alterum Pythonis, quemadmodum etiam urbis nomen Delphi minus quam Pytho frequentabatur [72]) ante quam ea urbs Crissaeorum imperio liberata sui iuris fieret, id quod circ. Ol. XLVII. factum est. A Delphine autem dracaena devicta, aut potius ab eodem quo hanc loci nomine etiam Apollinem **Delphinium** cognominatum esse mihi certissimum videtur [73]), quamquam multi, nec solum veteres, quod minus miror, sed etiam recentiores a pisce delphino id nomen repetere maluerunt [74]). Scilicet narratur in hymno Homerico fabella, ut Apollo quondam del-

---

69) Cf. L. Prelleri Delphica, in relatt. act. soc. scient. Sax. (Berichte üb. d. Verh. d. K. Sächs. Ges. d. W.) ann. 1854 p. 148.

70) Ad hunc fontem dracaenae cubile fuit. Hymn. in Apoll. v. 122 (300).

71) De variis formis et apud quos quaeque scriptores inveniatur, satis est Bernhardyum citare ad Dionys. p. 636; de ipsa autem nominis formatione in *ύνη* v. *ίνη* vid. Lobeck. Proleg. Pathol. p. 213 et 228.

72) Delphorum nomen non prius invenitur quam in hymno Hom. in Dianam, XXVII, 14, et in fragmento Heracliti apud Plutarch. de Pyth. or. c. 21.

73) Etiam *Τιλφώσσιος* vel *Τιλφούσιος* Apollo dicebatur. Strab. IX p. 411. Schol. Lycophr. v. 562.

74) Cf. Hymn. in Apoll. 316 (495). Plutarch. de sollert. anim. c. 36. Etym. M. p. 255, 18. Orion. s. v. *Δελφ.* Tzetz. ad Lycophr. v. 208. Serv. ad Verg. Aen. III, 332. Hoeck. Kret. III p. 153. Schwartz. de Apoll. p. 66 et all.

phini forma assumpta nautas Cretenses ad littus Crissaeum appellere coegerit ibique templi sui antistites fecerit. Utrum autem probabilius sit, fabellam nomini, an nomen fabellae originem dedisse, a peritis quidem vix dubitari posse crediderim [75]). Alii Apollinem non quidem propter istam fabellam, sed propterea sic cognominatum esse putant, quod delphinus sacratum deo marino animal esset, Apollo autem etiam in marinorum deorum numero haberetur, quippe quum numine suo fracta hiemis saevitia mare placaret tranquillumque et opportunum navigantibus praestaret, quemadmodum supra vidimus. Id nobis hactenus probatur, quod nomen ab illa fabella ortum esse negant: novam autem eius rationem comminisci nihil opus fuit, siquidem multo promptior et expeditior illa altera est, ut Delphinius propter eandem causam dictus sit, quae dracaenae Delphinae nomen dedit [76]). Nihil mirum autem, id cognomen ab iis maxime, qui maris accolae erant rei-
30 que maritimae operam darent, ascitum et in eam sententiam acceptum esse, ut marinum numen significaret navigantibus propitium, cui delphinus sacer esset [77]). Neque igitur audiendi sunt, si qui Delphinium Apollinem primitus a Pythio diversum fuisse opinantur, eiusque religionem aliunde invectam, et ad ipsos Delphos ab exteris allatam. Immo idem ab initio fuit in Parnasso Pythius et Delphinius, neque hymni Homerici auctoritas tantum valere debet, ut alterius aut adeo utriusque cultum a Cretensibus primum ibi institutum esse creda-
31 mus [78]). Nam templum quidem Apollinis in Parnasso iam ante Cre-

75) Cf. Matthiaei ad hymn. Hom. p. 33 prudens iudicium.

76) Etiam Diana Delphinia dici potuit (Iul. Poll. VIII, 19), non propter piscem aut propter dracaenam, sed eodem fere sensu quo et ἀλφειωνία, ἀλφειοῦσα, ἀλφειαία dicta est.

77) De cultu Apollinis Delphinii in maritimis civitatibus cf. Hoeck. Kret. III p. 155 sqq. Preller. Delph. p. 144. — Strabo IV p. 179 eum Ionibus omnibus communem fuisse ait; et tamen Panionia Asiana non Apollini sed Neptuno celebrabantur, quum contra Doriensos, qui omnium maxime genuini Hellooes erant, Apollinis in Triopio sacra communia haberent. Vid. Antiqu. i. p. Gr. p. 413. 414. Apud Athenienses autem Apollinis religiones plures sanctioresque quam Noptuni fuisse videmns.

78) A Muellero licet quaedam de Apolline eiusque religionum origine et propagatione minus recte disputata esse concedam, hoc tamen rectissime factum arbitror, quod eius cultum ad Parnassum non a Cretensibus aliisve insulanis mari advectum, sed potius e Thessalia repetendum esse statuit. Ipse hymni Homerici poeta, quamvis Cretensibus favens, tamen Apollinem statim ex Olympo in terras

tensium adventum conditum ab Agamede et Trophonio fuisse ne ipse quidem hymni poeta dissimulat (v. 116 aut 294 sqq.), et urbem quoque Crissam, quae nonnullis propter quandam nominis similitudinem Cretensium colonia visa est, iam ante in eo loco fuisse ostendit (v. 91. 104. 260 aut 269. 282. 438 sqq.), nihilque aliud Cretensibus suis tribuit, quam aram ab iis Delphinii Apollinis in littore erectam, ipsos autem templi atque oraculi in Parnasso primos antistites factos esse. Haec omnia ex vano hausta esse ne ego quidem credo. Fuisse aliquando artiorem quandam Cretensium cum Delphico templo coniunctionem e compluribus indiciis colligi posse video: non exiguas Cretensium in his sacris ordinandis atque amplificandis partes fuisse suspicor, neque improbabile puto, etiam sacerdotalem quandam gentem a Cretensibus oriundam summae quondam auctoritatis apud Crissaeos fuisse[79]), donec hi ab Amphictyonibus coercerentur Delphorumque possessione privarentur, quae gens si gloriabatur maiores suos etiam omnium primos templi atque oraculi antistites fuisse, quantum fidei Cretensibus ha-

degressum primum Pieriam, deinde Lectum, hinc Emathiam, porro Enienes, Perrhaebos, Iolcum, Euboeam, Boeotiam adire, templum vero in nullo horum locorum sibi condere facit, sed in Parnasso demum. Apparet poetae consilium hoc fuisse, ut hanc sedem ab Apolline ceteris omnibus, quae in illis locis fuerunt, praelatam iisque antiquiorem esse diceret, id quod non potuit commodius fieri, quam si cetera loca visitata quidem ab eo sed minus probata diceret. Testimonii quidem auctoritatem nemo huic poetae narrationi tribuet; verum tamen nulla causa est, cur Cretensium narrationi plus auctoritatis tribuatur. Neque illud praetermittendum, quod et sacra Delphorum et fabulae quaedam persuadere possunt, dei religionem a Tempibus ad Parnassum translatam esse: velut quod primum templum in Parnasso de ramis lauri Tempicae fuisse dicitur (Paus. X, 5, 5), quodque daphnephoriae ad Tempe pergebant, ubi Apollinem interfecto Pythone purgatum atque hinc demum ad Parnassum reversum esse templumque ibi statuisse aiebant (Aelian. V. H. III, 1). Atque ii quoque, qui expiationi Apollinis Cretensem Carmanorem aut eius filium Chrysothemin immiscuerunt, haudquaquam tamen omnes eam etiam Cretae, sed complures Tempibus factam esse dixerunt (Hypoth. Pind. Pyth. p. 298 Boeckh. 485 Heyn.). Ad Thessaliam pertinet etiam fabula de Apollinis apud Admetum servitute, item Aesculapius Apollinis filius, quodque Asclepiadae Podalirius et Machaon in Thessalia regnant (Il. II, 729). Haec aliaque, quae exponere longum est, impediunt quominus Prellero de Cretensibus sacrorum Delphicorum auctoribus assentiar. Tanto libentius profiteor, de Lycia et Hyperboreis cum viro egregio, a quo nunquam non aegre dissentio, prorsus plane que mihi convenire. Cf. eius Mythol. I p. 157 et 161 sq.

79) Sic etiam Frankius statuit ad v. 361. Hymnus Homericus hanc illius gentis auctoritatem aut iam fractam, aut certe verendum esse significat ne frangatur.

bendum sit, notissimo Callimachi praeconio admonemur, cuius auctoritatem etiam Divus Paulus assensu suo comprobavit. Ceterum Delphinii Apollinis appellationem cultumque insulanis maxime et maritimis civitatibus acceptum fuisse iam supra dixi, atque hinc explicandum est, quod etiam religiones eius in his civitatibus ad eam potissimum notionem dei accommodatas esse videmus, quam ibi praevaluisse consentaneum est, ut marinum eius numen haberetur, non multum a Neptuno diversum, et cui proinde etiam tridens itidem atque huic assignari posset[80]). Contra Pythii cognomine fatidicam potissimum dei vim et naturam designabant religionesque huic notioni
32 accommodabant, atque sic apud plerosque unius dei hae duae quasi personae distinguebantur. Id etiam ab Atheniensibus factum est: quamquam apud hos unum tamen certissimum atque evidentissimum documentum servatum videmus, unde appareat, Delphinium primitus non alium quam Pythium habitum esse. Erant enim Athenis ephetarum iudicia de caedibus, alia aliis locis pro variis causarum generibus exercenda. Horum unum apud Palladium erat, ubi de caedibus iudicabatur inconsulto factis: isque locus huic iudicio propterea assignatus erat, quod, quum Palladium illud Troia capta ab Argivis quibusdam in Atticam delatum esset, ibi certamine inter hos et Athenienses orto aliquot homines inconsulto ab ignorantibus occisi essent[81]). Apud Delphinium autem de eiusmodi causis iudicium erat, si quis commissam a se caedem non inconsultam esse fateretur, sed iustam esse defenderet, propterea scilicet, quod Apollo dracaena interfecta eiusmodi caedis exemplum edidisse videbatur. Manifestum est igitur, dracaenam illam vetustissimis Atheniensibus non modo Pythonem sed etiam Delphynen sive Delphinen dictam, Pythiumque Apollinem eundem pro-

---

80) Cf. E. Curtius, die Ionier vor der ionischen Wanderung p. 19 et 49. Ceterum qui unus de Apollinis tridente locus extat, Dion. Chrys. or. XXXIII p. 451 Emper., non immerito criticis aliquid dubitationis iniecit. Equidem tridentem Apollini nolo ereptum ire, significationem tamen eius teli vix alium fuisse credo, quam quae vulgo adhuc credita est: scilicet convenire id deo marino propterea visum, quod piscatores eo uterentur in captura piscium quorundam maiorum, velut thunnorum. Vid. quae cit. Krusius, Hellad. II, 1 p. 346. Diversam rationem, subtiliorem illam et mysticam, Curtius excogitavit, de qua mihi nondum liquere fateor.

81) Vid. Paus. I, 28, 9. Harpocr. s. v. *ἐπὶ Παλλ.* Iul. Poll. VIII, 119 et all. apud Matthiaeum de iudic. Ath. in Miscell. philol. II p. 149.

pterea etiam Delphinium fuisse[82]). Accedit quod illud iudicium Aegeus instituisse dicitur, Delphis h. e. a Pythii Apollinis sede Athenas reversus[83]).

A quibus autem et quo modo huius seu Pythii seu Delphinii dei 33
cultus apud Athenienses primum introductus sit, coniectari fortasse aliquid argute ingenioseque possit, sciri autem nihil posse fatendum est. Ego quidem ne illud quidem me scire profiteor, ipsum nomen Apollinis utrumne iam prius quam illa duo, an una demum cum iis Athenienses cognoverint. Hoc tamen credo, veterum theologorum apud Ciceronem auctoritate permotus, fuisse apud eos Apollinem quendam *πατρῷον*, cui parentes Minervam et Vulcanum esse docti antiquitatum scrutatores agnoscerent. Non diversum autem hunc a Pythio visum esse Demosthenis aliorumque testimoniis constat, licet is vulgo Iovis et Latonae filius diceretur: neque id adeo mirum esse arbitror, siquidem ad populares deorum religiones minus intererat, quibus quemque parentibus esse poetae aut theologi dicerent, quam quo quisque numine esset quamve potestatem haberet. Quamobrem etiamsi fortasse credibile sit, Apollinis nomen antiquissimis Atheniensibus nondum notum fuisse, fieri tamen facile potuit, ut postquam Apollo iis innotuit, non diversum ab eo deum suum *πατρῷον* esse

82) Usus est hoc argumento etiam Muellerus ad Aeschyl. Eumen. p. 149, cui recte assentitur Prellerus Delphic. p. 149.

83) Lex. Seguer. p. 255, 20. — Memoratu dignum est, quod Aegeus ipse *ἐν Δελφινίῳ*, h. e. in templi consepto, habitasse dicitur (Plut. Thes. c. 12), quo significata videri possit artior quaedam connexio eius stirpis, quae Aegei persona repraesentatur, cum Delphinii Apollinis religionibus. Porro quum Aegeus a nonnullis Scyrii filius fuisse dicatur (Apollod. III, 15, 5, 4. Tzetz. ad Lycophr. v. 494), stirpem illam e Scyro insula in Atticam migrasse aut certe cum Scyriis aliquid ei coniunctionis et cognationis intercessisse coniicias. Denique quum Aegeum etiam Neptuni cognomentum fuisse pro certo statuere liceat (Mueller. Prolegg. p. 272. cf. Serv. ad Aen. VII, 761. Preller. Myth. II, 191), significari credideris aliquam Delphinii Apollinis et Neptuni religionum coniunctionem. Ad eandem quam Aegeus stirpem etiam filius eius Theseus pertinet, qui cum Troezene Athenas venisse dicatur, stirpem eam pariter in tribus his locis, Attica, Scyro et Troezene, radices egisse credibile erit. Nullam autem probabilem rationem esse video, cur Gerhardus, Mythol. I p. 293 not. 1 c, Delphinii Apollinis religionem a Theseo spretam esse velit. Nam neque inest haec significatio in Pausaniae narratione I, 19, 1 cuius etiam ipsa verba vir doctissimus non recte interpretatus est, et religiose Delphinium a Theseo cultum esse ex iis quae Plutarchus refert c. 12. 14. 17. 18. 22. satis apparet.

iudicarent, licet is adhuc non eodem nomine appellatus esset. Nam in tanta Apollinei numinis amplitudine tamque multiplici potestate non paucos cum eo deos confundi potuisse iam supra monuimus. Atque possit aliquis, non reformidans audaciae crimen, longius etiam coniectando progredi. Audimus enim etiam Erichthonium quendam fuisse, cui Minerva aut mater aut saltem matris instar, pater autem Vulcanus fuerit, quos deos a theologis etiam Apollini *πατρῴῳ* parentes dari vidimus. Erichthonii autem nomine, quod e *χϑών* cum adverbio *ἐρί* factum est, vim quandam significari apparet, qua terra afficiatur, ut fecunda fiat fetusque pariat. Talem vim in fontium aquis inesse videmus terram aridam irrigantibus, quamobrem Neptunus, qui aquarum numen habet, non modo maris, sed earum quoque, quae fontibus et rivis continentur, etiam *Ἐριχϑόνιος* dici potuit[84]).
34 Idem nomen in Mercurium conveniebat[85]), si quidem hunc recte viri doctissimi pluvium quendam deum interpretati sunt[86]). Nam pluviis terra fecundatur. Denique *Ἐριχϑόνιος* etiam is deus dici potuit, qui caloris salubri temperatione terram fovet fecundatque, quam vim in Apolline esse cognovimus. Talis igitur fuit etiam antiquus ille Athena-

84) Et dicitur sic ab Apollodoro III, 15, 1, quamquam probabiliter ibi Heynius alterum nomen *Ἐρεχϑεύς* reponi voluit. — De Neptuno omnium aquarum deo, unde et *κρηνοῦχος* et *νυμφαγέτης* dicitur, vid. Cornut. d. n. d. p. 129 et Osann. comm. p. 314. Heraclit. Alleg. Hom. c. 7. Mueller. script. min. II p. 39. Völcker. Myth. Iap. p. 163. C. F. Hermann. de sacr. Colon. p. 21. nostr. diss. de Ocean. et Nereid. catal. p. 18. Preller. Myth. I p. 365. Etiam *φυταλμίου* cognomen hinc explicandum esse liquet, de quo cf. Plutarch. Symp. VIII, 8, 4. Sept. sap. conv. c. 15. Völcker. l. l. Dissen. ad Pind. Nem. III, 54. Valcr. ad Eur. Rhes. p. 272. Neque non illud advertendum, quod Neptuni Erechthei sacerdotium Athenis apud Butadarum gentem erat, quorum nomen ad agriculturam, non ad rem maritimam spectat. Quid? quod Neptunum ipsum aratorem videmus in Philostrati Imagg. II, 17 p. 78 Iac. — Nomen *Ποσειδῶν* nonnullis a *πόσις* et *δᾶ* factum videtur, scilicet quod *δᾶ* dorice pro *γᾶ* dictum fuerit. Est hic error inveteratus, qui tanto pertinacius hodie a multis retinetur, quod eius auctores etiam doctos Alexandrinos habent, in quibus Theocritum. Obloquitur autem recte Ahrens. dial. dor. p. 80. Verum et genuinam nominis formam servarunt Dorienses, *Ποτιδάν*, *Ποτειδάν* (vid. Ahr. p. 243 sq.). cuius postrema pars *δάν* nihil aliud quam deum significabat, itidem ut *Δεύς*, quicum componitur ab Herodiano *π. μονήρ. λ.* p. 6, 17 (16 Lehrs.). Prior pars recte ab eo derivatur, quod est *ΠΟΩ*, unde *πέπωκα* et *ποτός*.

85) Etymol. M. p. 371, 49. Etym. Gud. p. 208, 29.

86) Vid. Preller. Mythol. I p. 242 sqq.

rum πατρῷος, ideoque Erichthonius dici, nec diversus ab Apolline haberi potuit. Sed posteaquam Erichthonius ille, propter vetustas quasdam fabulas, quarum veram sententiam posteriores ignorarent, etiam veteribus Atticae regibus adnumerari et mortalis haberi coeptus est, factum est, ut vera et genuina eius significatio prorsus in oblivionem abiret ex unoque duo fierent, alter mortalis et antiquus rex, cui nomen Erichthonii proprium haesit, alter immortalis, quem ut custodem Athenarum patriumque suum Apollinem Athenienses adorabant.

Haec nobis fere in mentem veniebant, quae de Apolline custode Athenarum haud improbabiliter dici posse viderentur, neque alienam huiusmodi materiam putabamus ab hac scriptione, quae destinata esset indicendis academiae nostrae saecularibus dd. xvii. xviii. xix. m. Oct. h. a. celebrandis. Nam in magna et multiplici varietate litterarum, quae in academiis tractantur, quamvis dissimilibus docentium et discentium studiis, ipsum tamen academiae nomen eius nos civitatis admonere debuit, unde id petitum est, quaeque omni genere bonarum artium aut invento aut exculto eam gloriam meruit, ut hodieque quae civitates artium studiis maxime florent nullo magis honorifico praeconio se ornari posse censeant, quam si veterum Athenarum laudem, licet aequare non possint, aemulari saltem quantum possint dicantur. Non mirabuntur ergo, qui has pagellas lecturi sunt, hoc potissimum genere disputationis, quod in Athenarum antiquitatibus versatur, indicendis academiae saecularibus prolusum esse. Indicimus enim haec sacra nostra omnibus bonarum artium cultoribus, quicunque aut in simili nobiscum statione collocati litteras in academiis et gymnasiis docent, aut in rei publicae administratione versantes otium studiis nostris et necessaria subsidia procurant, ceterisque omnibus, qui amorem litterarum liberali disciplina haustum etiam inter diversa vitae negotia retinuerunt: hosque omnes ad laetitiae nostrae ac gratulationis societatem invitamus, petimusque maxime quidem, ut sacris nostris ipsi praesentes intersint, votorumque ac precum ceterorumque actuum sollemnium testes ac participes fieri dignentur, sin praesentes interesse nequeant, ut animo saltem et voluntate nobis adesse ne recusent.

Dabamus in academia Gryphiswaldensi d. xxviii m. Iun. a. mdccclvi.

DE DIIS MANIBUS LARIBUS ET GENIIS.

3 Praeclare apud Ciceronem [1]) Scipio Africano nepoti praecipit, quo sit alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeat: omnibus, qui patriam conservarint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur. Nihil enim illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, esse acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociatos, quae civitates appellantur. Harum rectores et conservatores illinc profectos illuc reverti. — Nam sane, ut ait alibi Cicero [2]), nulla est res, in qua propius ad Deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas, aut conservare iam conditas: quamobrem quum nihil inter homines bonum atque laudabile perficiatur sine divini numinis instinctu, ipseque adeo animus, rectae rationis et virtutis capax, non terrenam habeat sed caelestem originem ingeneratusque sit hominibus a supremo deo, tum hoc, quod in nobis divinum est, in nullo magis conspici atque clarescere potest, quam in iis, qui in regio ac principali statu collocati coetus hominum societatesque civiles cum iustitia, fortitudine, sapientia regunt et moderantur. Hoc et veteribus Graecis obversabatur, quum bonos reges διογενέας aut διοτρεφέας, a deo ortos aut educatos vocarent, et Romanis, quum Genios principum adorarent numenque eorum post mortem divinis honoribus prosequerentur et, ut ipsi loquebantur, consecrarent. Nobis autem nunc, in EIUS REGIS obitu, quem illi, si quem unquam, consecratione dignum habituri fuissent, quum honorem EIUS MANIBUS habendum

1) Somn. Scip. c. 13.
2) De re publ. I c. 7.

et parentalia a collegio nostro pie celebranda indicturi simus, non alienum esse videtur, veterum illorum sententias animo repetere, et quaenam iis, quum principes suos consecrarent, de animi humani natura, de Genio, de Manibus ac Laribus, opiniones obversatae fuerint, exponere. Nec fortasse sine aliquo pietatis nostrae fructu fiet, ut nunc in hac clara euangelicae veritatis luce tenuiores illos et obscuriores luminis radios contemplemur, quibus olim gentilium animi, quamvis non plane illustrati, erecti tamen certe et excitati longeque supra hanc mortalem et terrenam humilitatem evecti sunt. Morem 4
quidem ipsum consecrationis ritumque quo peragi soleret non persequemur; sunt enim haec ab aliis satis accurate perscripta [3]); neque illud a nobis commemorari opus est, quam saepe Romani honorem, bonis principibus debitum, servili ac foeda adulatione profanaverint, quum eos quoque consecrare et divos dicere non vererentur, qui non modo nulla eximia virtute et laude praeter ceteros insignes, sed vix communi et vulgari humanitate ornati essent, qua qui carent, tantum abest ut prope ad deos accedere videri possint, ut etiam infra homines abiecti esse dicendi sint. Talis foeditatis commemorationem ab optimi et piissimi Regis honore procul abesse decet, illudque unum haud inconveniens est, ut opiniones veterum, cum religione eorum ac pietate coniunctas, ex quibus ille mos originem habuit, proponamus. Opiniones autem dicimus, quo statim hoc ipso nomine lectores admoneantur, non stabiles ac certas, sed vagas admodum et errantes has fuisse sententias, aliter aliis temporibus ac locis conceptas, et ne in eiusdem quidem aetatis ac populi hominibus easdem, sed varias ac multiplices, quum rerum sua natura non comprehensibilium pro suo quisque captu et ingenio notiones sibi informaret. Neque enim sciri de huiusmodi rebus quidquam ab hominibus posse apparet; et quae ab uno vel altero sapiente excogitata erant, nunquam in certae cuiusdam disciplinae theologicae formulam composita sunt, quam vel doctores puerorum publice constituti, qui ipsi perdiu nulli erant, vel

3) Praeter scriptores a Fabrico Bibliogr. ant. cap. VIII §. 25 enumeratos vid. I. Columbus de apotheosi. Holm. 1683. 8. A. Scarin. apotheoseos veterum et recentiorum parallelismus. Aboae 1732. 4. Spanhem. de usu et praest. num. II p. 489. Schöpflin. de consecratione Imp. Rom. Argentor. 1730. 4. Eckhel. Doctr. numm. VIII, p. 456. Böttiger Ideen zur Kunstmythologie II p. 44 sqq. Etiam Mitscherlichii dissertationem de apotheosi extare e Creuzero cognovi Symbol. III p. 45 ed. 2.: ipse eam non vidi.

sacerdotes et caerimoniarum antistites propagarent ac custodirent. Quumque tria distingui possint gentilis theologiae genera, mythicum, physicum, civile [4]), ex his primum illud, utpote multis mendaciis summa cum licentia a poetis diffictum, et ad oblectationem, non ad pietatem comparatum, cordati homines fugiendum potius quam accuratius pernoscendum ac pertractandum esse statuerunt [5]); alterum, in philosophorum scholis tractatum, pro scholarum varietate et ipsum variabat omninoque parum aptum erat, quod extra scholae parietes ad populum proferretur [6]); tertium denique nihil habebat, nisi quos deos
5 publice colere, quae sacra et sacrificia quemque facere par esset [7]), neque quidquam in eo erat doctrinae, quae ad certas quasdam et distinctas de natura deorum rebusque divinis sententias populum perduceret [8]). — Illae autem de animo humano eiusque divina et immortali natura opiniones quum in universum non aliae apud Graecos quam apud Romanos fuisse dicendae sint, consecrationis tamen mos aliquanto apud Romanos pervagatior fuit [9]); quamobrem nos nunc de his potissimum quaeremus, Graecorum opinionibus praetermissis, nisi si

---

4) Stoicorum erat hoec divisio, ut testatur Plut. de plac. philos. I, 6 tom. 5 p. 241 Tsnchn. Adoptavit eom Varro in libr. antiquitt. div., de quo exponunt Augustin. Civ. D. VI, 5 (4) et Boeth. de diis et praesens. (ad Cic. Topic.) tom. V, 1 p. 392 Orell.

5) Boeth. l. l. „hoc totum, quia poeticis est mendaciis adornatum et scenicis ac theatralibus nugis deputatum, omnino putat (Vorro) esse sacrilegum."

6) Cf. ipsa Vorronis verbo ap. Augustin. l. l. „quae facilius intra parietes in scholo, quam extra in foro ferre possunt aures."

7) Haec quoque ipsa Varronis verba sunt, ap. Augustin. et Boeth.

8) Doctrinam a sacris, etiam a mysteriis, in quibus multi nescio quid arcanae sapientiae traditum esse opinati sunt, prorsus abfuisse, liquidissime a Lobeckio in Aglaophamo demonstratum est, cui demonstrationi duo corollaria lectu digna addidit G. G. Nitzschius, et alterum quidem nuperrime, in ind. scholar. univ. Kilon. bib. 1839—1840.

9) Non desunt tamen apud Graecos exempla *τιμῶν ἡρωϊκῶν* mortuis etiam historica aetate hominibus decretarum, de quibus cf. Dissen. ad Pindar. fr. p. 653 ed. Goth. Imprimis apud Theraeos morem hunc *τῆς ἀφηρωΐσεως* frequentatum esse inscriptiones docent. Vid. Corp. Inscr. II p. 377 sqq. Sed haec consecratio non publica erat, sed privata, quae et ipsa apud Romanos longe frequentissima fuit. Cf. Guther. de iure manium II, 4 in Graev. Thes. A. R. tom. XII. De sacris etiam viventibus hominibus apud Graecos institutis cf. comm. ad Plut. Cleom. p. 225, exemplisque ibi commemoratis add. Plut. Lysand. c. 18, aliaque ap. Keil. spec. onomatol. Gr. p. 9.

quid ex his aut adoptatum esse a Romanis et in religiones eorum manasse, aut aliqua ratione ad pleniorem rei intellectum pertinere videbitur. Ac primum quidem illud non dubitamus profiteri, puriores minusque deformatas de diis rebusque divinis opiniones priscorum Romanorum fuisse, quam quae apud Graecos, certe inde ab Homerica aetate, invaluerunt. Neque enim simulacra deorum illi habebant ad humani corporis similitudinem efficta [10]), neque fortasse omnino deos humana specie indutos credebant, aberatque omnis illa fabularum multitudo [11]) in quibus, ut Xenophanis verbis utar,

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε
ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστί,
κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν [12]):

cuiusmodi fabulis quamquam haud facile quisquam negaverit, si minus omnibus, at permultis tamen, et pluribus profecto, quam quis primo aspectu putet, rationem aliquam subesse vel physicam vel ethicam vel historicam, primamque earum originem non ex inani quodam ingeniorum lusu et otiosa delectatione, sed ex animo repetendam esse ad verum intento, idque quantum poterat verbis et imaginibus eloqui 6
conante, haud dubie tamen et manca ab initio atque imperfecta fuit veri cognitio, et mox a primitiva ratione fabulae adeo degenerarunt, ut prorsus haec obscurata et oppressa lateret, neque dignosci facile a figmentis aliunde adsumptis posset: quamobrem parum has fabulas ad religionem in populi animis sanasque deorum notiones alendas et conservandas facere potuisse apparet. Extiterunt postea philosophi, qui quae cognoscere sibi et intelligere de diis rebusque divinis viderentur, non iam figurate et poetice, ut illi veteres, sed philosophice, h. e. verbis propriis et rem ipsam declarantibus, proponere conarentur. Ceterum hi, quamvis damnarent poetarum fabulas, neque id iniuria, ipsi tamen de divina natura vix poterant aliquid amplius co-

10) Varro ap. Augustin. C. D. IV, 31: „antiquos Romanos plus annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse.“ Cf. Plutarch. Num. c. 8. De omni ratione veteris relig. Rom. lectu digna sunt quae Ambroschius attulit, Studien und Andeutungen. Hft. 1 (Vratisl. 1839), p. 63 sqq.

11) Dionys. A. R. II, 18, 19.

12) Servavit hos versus Sextus Empiricus adv. Mathem. IX, 193. Plane eodem modo Varro loquitur ap. Augustin. VI, 5: „omnia diis attribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam quae in contemptissimum hominem cadere possunt.“

gnoscere, quam quod illis quoque primis fabularum auctoribus obversatum fuerat, differebatque inter utrosque hoc unum maxime, quod quae illi obscurius senserant, neque eloqui nisi per ambages et imaginum involucra potuerant, haec philosophi et clarius planiusque sentiebant, et minus perplexe eloquebantur. Hinc igitur etiam apud hos innumerabilis illa multitudo deorum; iique ipsi qui unum supremum deum, totius mundi creatorem aut rectorem agnoscebant, — et fuit vix quisquam, qui non agnosceret [13], — plurimos tamen huic adiungebant deos inferiorum ordinum, tanquam ministros quosdam atque satellites, suae quosque parti mundi ac rerum naturalium aut humanarum praepositos: fabulosas autem poetarum narrationes aut quantum fieri poterat allegorica interpretatione ad suam rationem revocabant [14], aut, si quae probabilem interpretationem non reciperent, tanquam impias et absurdas spernebant et reiiciebant. De ipsa vero natura divina quidnam veteres illi senserint, non aliunde rectius colligi posse videtur, quam ex nomine, quo eam significabant. Constat autem hodie inter peritos [15], Graecum θεός, Latinum *deus* eiusdem stirpis esse cum Sanscritico nomine *dewa*, quod deducitur a *diw*, *diwa*, *coelum*. A *coelo* autem dii vocati videntur non solum propterea quod in coelo habitare credebantur, sed quod naturam haberent *coelestem* h. e. *aetheream*. Supremi dei nomen, si formam eius Aeolicam aut Boeoticam Δεύς (Δέϝς) teneas [16], itidem ut Latinum *Iovis* h. e. *Diovis*, et *Iupiter* h. e. *Diupiter*, *Dius pater*, *Diespiter* [17], nihil
7 aliud proprie quam *dium* significat, h. e. *illud sublime candens*, quod

13) Vid. testimonia ap. Elmenhorst. ad Minuc. Fel. p. 40 et Ouzel. ad eund. p. 80. (Lugd. Bat. 1652. 4.) Add. Pfanner. theolog. gentil. p. 53. sqq.

14) De huiusmodi interpretationibus conf. quos laudavimus ad Plut. Ag p. 69.

15) Pott. Etymolog. Forschungen I p. 98. sqq. Hoefer. Beitr. z. Etymologie u. vergl. Grammatik. 1 p. 267. [A. Kuhn. in Haupt. Zeitschr. f. deutsch. Alterth. II p. 231 sqq.]

16) Vid. Ahrens. de gr. ling. dialect. I p. 175.

17) Cf. Varro de L. L. V, 66: „Olim *Diovis* et *Diespiter* dictus, id est *dies pater*. A quo *dei* dicti qui inde, et *dius* et *divos*, unde *sub divo*.“ Add., qui iam a Muellero laudatus est, Max. Schmidt in Jahnii Annal. philol. et paed. a 1831 tom. XII 3 p. 333, et Doederlin. Etymol. I p. 6, II p. 68. [Wernberger. Etymol. Untersuch. üb. d. Namen Jupiter. Monach. 1846.] Ceterum facile ex hac nominis origine intelligitur, non adeo proprium hoc uni summo deo fuisse, ut non alii quoque *Diovès* s. *Diupitres* appellari possent, qua de re dixerunt E. Spangenberg. de vet. Lat. relig. domest. p. 13 et Creuzer. Symbol. I p. 545.

coelum est sive aether, unde lux et dies sparguntur: alterumque eius nomen *Ζάν*, *Ζήν*, etiamsi fortasse non eiusdem stirpis, sed cum verbo *ζῆν* coniunctum sit, et ad vim vitalem et vivificam pertineat [18]), haec ipsa vis veteribus in calore posita, calor autem omnis ab aethere manare videbatur [19]). Cum hac autem ratione, quam nomina demonstrant, plane philosophorum placita conspirant; qui ubi primum de natura divina aliquid pronuntiare ausi sunt, aut aerem s. aetherem dixerunt cum Anaximene [20]), aut ignem s. calorem sempiternum cum Heraclito [21]), aut cingens omnia coelum, candidum illud atque igneum, unde lux, calor, vita per omnia dimanat [22]): eaque ratio, a Stoicis maxime expolita [23]), longe plurimorum assensu omni tempore comprobata est, quum illorum iudicium, qui deorum vel unius summi dei naturam prorsus incorpoream statuebant, paucos haberet assentientes neque unquam extra philosophorum scholas pervagaretur [24]). Iam vero de veteribus Romanis equidem plane non dubito, quin vere Balbus apud Ciceronem [25]) profiteatur, omnium consensu Ennium dixisse

Aspice hoc sublime candens quem invocant omnes Iovem:

quodque a Cotta [26]) obiicitur, omnes potius Capitolinum, h. e. deum humana specie indutum, quam coelum Iovem appellare, huic facile responderi a Balbo hoc fere potuit: numen quidem Iovis in coelo esse h. e. in aethere illo lucido, igneo, divino, cuius vis per omnem mundum pertineat omniaque vivificet; fingi tamen a poetis et credi a vulgo personam quandam divinam, humana specie indutam, quae illo numine praedita instructaque sit: id autem fieri propter imbecillitatem humanae mentis, quae concipere vim sentientem, sapientem, ratione agen-

18) Certe plurimos sic statuisse notum est; hodie tamen eos errasse satis constat. Cf. Pott., l. l. p. 99, qui *Ζάν* (*ΔΑΝ*) cum Sert. *diwan* (*dies*) componit.

19) Cf. Balbi disputationem ap. Cic. de N. D. II, imprimis a cap. 9—16, et quae ibi ab intt. laudantur. Add. Sturz. ad Pherecyd. fr. p. 45 sqq. Lips. physiol. Stoic. II. diss. XII. — Ceterum haberet ita etiam Hermanni *Ζεὺς Fervius*, quo se tueretur, quum praesertim apud Ciceronem quoque de N. D. II, 11, 30 *mundi ille fervor* dicatur. Cf. c. 15, 41. Lactant. I, 11.

20) Cic. de N. D. I 10, 26.

21) Clem. Alex. Strom. V p. 599 B. C.

22) Stobae. Eclog. I p. 500.

23) Vid. Lipsius l. l p. 96 sqq.

24) Cf. Pfanner. Theolog. gentil. cap. II, 19 p. 77 sqq.

25) De N. D. II, 2, 4.

26) Ibid. III, 4, 11.

tem nisi cum humana figura non facile possit[21]): neque tamen obstare hoc, quominus vis ipsa ac natura deorum cogitetur non, sicut hominum, sensuum instrumentis et membrorum ministerio indigens, sed incomprehensibili quadam et incomparabili ratione per omnem mundum aut per suam cuiusque mundi partem diffusa atque permeans, idque esse illud quod dicatur *numen* deorum, et in quo insit
8 eorum divinitas[28]), non in illis corporibus, quae poetae finxerint et quorum simulacra in templis adorentur. Itaque poetae Romani, quamvis ad vulgi captum artisque suae leges orationem accommodantes ἀνθρωπομόρφους deos inducerent, nunquam tamen veriti sunt etiam ea de iis canere, quae nullo modo in istas personas ac species deorum hominibus similium, sed tantummodo in numen eorum caderent, velut Cicero, quum populariter loquens Capitolinum Cottae Iovem inducat,

ni post, excelsum ad columen formata decore,
sancta Iovis species claros spectaret in ortus:

et paullo post,

atque una fixa ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna;

tamen in eodem carmine de numine Iovis haec ponit:

Principio aethereo flammatus Iuppiter igne
vertitur et totum collustrat lumine mundum,
menteque divina coelum terrasque petissit,
quae penitus sensus hominum vitasque retentat,
aetheris aeterni saepta atque inclusa cavernis[29]).

Talia de diis apud Romanos poetas permulta sunt; rariora apud Graecos veteres, neque tamen inaudita; ac ne apud Homerum quidem nu-

---

27) Humanam esse deorum formam postea Epicurei etiam ratiocinatione quadam confirmare conabantur. Vid. Cic. de N. D. I, 18.

28) Nihil profecto ad rectum intellectum religionis Romanorum maioris momenti est, quam ut veram vim ac potestatem eius vocabuli, quod est *numen*, quo Graecorum sermo caret, quantum fieri potest probe perspectam habeamus. Hartungius quidem quum alia multa parum subtiliter et accurate, tum de numine ea scripsit, quae nullo modo satis faciunt, et ne originem quidem vocabuli, recte ab ipsis veteribus traditam, assequutus est.

29) Sunt hi versus ex libro secundo de consulatu suo, ab ipso citati de divin. I, 11, 12.

men deorum ita plane sub humana forma delitescit, ut nunquam extra appareat [30]).

Tenebimus igitur hoc, obscuratam quidem, nequaquam tamen plane extinctam in hominum animis, Romanorum inprimis, hanc rationem fuisse, quae omnibus de diis opinionibus ab initio suberat, esse vim quandam sentientem, quae esset toto confusa mundo [31]), animam quandam pertinentem per omnia, omnibus vitam et motum impertientem, eamque coelestem esse, aetheream, igneam: quae quamvis in plures quasi personas deorum varie distributa esset, ut alii alibi dominarentur, aliudque aliorum numen esset, genus tamen omnium unum esse et originem communem. — Iam vero ubi de sese homines et de sua natura quaerere coeperunt, primum vel ipsa mortui corporis cum vivo comparatio facile iis persuasit, vim illam vitalem, qua vegemus, movemur, sentimus ac cogitamus, non inesse in hac terrena atque humida materia, quae etiam in cadavere rigido et immobili remanet, sed in alia quapiam natura huic admixta, quae in morte abscedat. Quod quum spiritu mortuos carere viderent, ab initio in hoc vim illam vitalem inesse arbitrati sunt. Itaque Homericae aetatis haec fuit opinio, ut corporis quidem vita nulla esset absque spiritu, spiritus autem etiam a corpore separati esset quidem aliqua vita, sed manca illa atque imperfecta, quum superesset quidem ipse, formamque pristini corporis retineret, sed totus aerius esset, utpote ex aere duetus, et nebulae instar, nulloque membrorum usu nisi catenus, ut moveri ac circumvolitare posset, et ne mentis quidem actione,

30) Unum insigne exemplum est in Xanthi certamine cum Achille, Iliad. XXI, ubi quum haud dubie deus humana specie, sicut ceteri, praeditus inducatur, multa tamen de eo dicuntur, quae manifesto ad ipsum flumen aquarum pertinent, et confusam atque commixtam divinae personae et fluminis notionem produnt, velut v. 234: *ἐπέσσυτο οἴδματι θύων, πάντα δ' ὄρινε ῥέεθρα κυκώμενος*, et v. 248: *οὐδέ τ' ἔληγε μέγας θεός, ὦρτο δ' ἐπ' αὐτὸν ἀκροκελαινιόων*, et 324, *ἦ καὶ ἐπῶρτ' Ἀχιλῆϊ κυκώμενος, ὑψόσε θύων, μορμύρων ἀφρῷ τε καὶ αἵματι καὶ νεκύεσσι*, itemque v. 356, postquam Vulcanus vim ignis ei opposuit: *καίετο δ' ἶς ποταμοῖο* et 361: *φῆ πυρὶ καιόμενος*. Ad idem autem genus pertinent, quae aliquoties leguntur, *ἐπέφερον ἀλλήλοισι πολύδακρυν Ἄρηα*, et *ἐγείρειν ὀξὺν Ἄρηα*, et *κεῖνοι μεμαῶτες Ἄρηϊ*, et *ἀφίει μένος ὄβριμος Ἄρης* de telo dictum, aut *σπλάγχνα ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο*, aut *Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν*, aliaque, quae per *σχῆμα μετωνυμίας* grammatici facilia sibi explicatu credunt. Cf. Plutarch. de aud. poet. c. 6.

31) Verbis utor Ciceronis de divin. I, 52, 118.

et cogitatione satis valens, nisi ad brevissimum tempus, si oblato animalium sanguine calido saturatus esset[32]). Posterior autem aetas non hunc solum spiritum aerium, sed tenuiorem aliquam naturam inesse in homine statuit, decerptam illam e coelesti aethere sive anima illa universali, quae ubique permeans omnia vivificaret: quae quum divina esset, etiam hominis animum divinum haberi consentaneum fuit[33]). Quumque animam illam universalem in plures quasi personas deorum divisam crederent, sua quamque vita et actione propria praeditas et munera sibi attributa ratione et consilio administrantes, ad harum similitudinem humanus animus, quippe ipse quoque rationis et consilii particeps, proxime accedere videbatur, quum ceterae animantes, quamvis et ipsas eadem illa anima universalis animaret, propria tamen vi mentis ac rationis, qua homines excellunt, carere viderentur. Itaque animam quidem illam divinam nusquam non esse, sed deorum simile nihil usquam, nisi in homine[34]). Ipsius autem hominis animum in duas plerique partes diviserunt, alteram participem rationis, alteram expertem[35]): et hanc rursus irrationalem partem in plures quasi species varie distinxerunt, quarum aliae cum bestiis homini communes essent, velut sensualis, in qua sensus esset gaudii, timoris, irae aliarumque affectionum, et vitalis, qua etiam vilissima animalium corpora moverentur, una autem, quam *φυτικήν* illi s. *θρεπτικήν*, nos vegetativam dicimus, etiam herbis et arboribus inesset et alendi atque crescendi causam haberet[36]). Sed omnem hanc irrationalem animi partem non esse nisi cum corporibus coniunctam, iisque dissolutis et ipsam solvi et quasi refluere in universalem illam animam mundi: rationalem autem animum, etiamsi habitaret in corpore, vim tamen eius et naturam talem esse, ut corpori superstes viveret, quumque morte ab hoc solutus esset, aut reverteretur, unde or-

32) De his Homericae aetatis opinionibus vid. accuratam Völkeri disputationem vernacule scriptam: *Ueber die Bedeutung von ψυχή und εἴδωλον in der Ilias und Odyssee.* Gissae 1825. 4.

33) Cf. Elmenhorst. ad Arnob. p. 71. Herald. ad eund. p. 90.

34) Cic. de legg. I, 7, 22.

35) Cf. Arist. de an. III, 9, 2. Cic. Tuscul. IV, 5, 10 et quae ibi ab interpretibus citantur. Add. Gies. ad Divinat. I, 29, 60.

36) Ita fere Serv. ad Vergil. Aen. V, 81 et Macrob. in somn. Scip. I c. 17, p. 79 Zenn. — Omnem hanc divisionem et subdivisionem diligenter Lipsius persequutus est, Physiol. Stoic. lib. III. diss. 16 et 17.

tus esset, h. e. in coelum, aut, ut Pythagorei statuerunt, aliud sibi corpus inhabitandum sortiretur, donec post longam multorum annorum seriem multasque migrationes et ἐνσωματώσεις, ubi plane perfectus et omnis corporeae labis victor extitisset, sempiternam in coelis sedem nancisceretur.

Haec quidem philosophi: ceterum superstites post mortem animos esse non sane hi primi docuerunt, sed fuit haec longe antiquior populorum persuasio, quam philosophi tantum subtilius expolire et physicis rationibus stabilire studuerunt. Et de Graecis quidem accuratius disputare nunc nihil attinet[37]): apud Romanos autem longe omni philosophia prior fuit deorum manium cultus, quod nomen, etiamsi nonnunquam latius usurpatum de omnibus naturis divinis, quae apud inferos essent, dicebatur, proprie tamen ad animos mortuorum pertinet[38]), qui non solum superesse post corporis mortem, sed etiam talem quandam vim ac potestatem habere credebantur, ut et curarent res humanas et bene facere aut nocere iis possent, quam ob causam etiam *manes*, hoc est nihil aliud quam *boni* dicti sunt[39]), non
quo omnes semper benigni et benefici esse iudicarentur, sed per 11
quendam εὐφημισμόν, quo magis propitii forent[40]). Horum autem

---

37) Dixit de his Wissowa in *dissertatione qua exponitur, quae fuerit vett. Graecorum sententia de rebus post mortem futuris*, in Progr. gymn. cathol. Vratislav. 1825. 4. et nuper etiam Weissius, in commentatione vernacule scripta, *Zur Geschichte des Unsterblichkeits-Glaubens unter den Völkern des Alterthums*, in Fichtii sylloge, *Zeitschrift für Philosophie und speculative Theologie*. Vol. II, part. 1, p. 109 sqq.

38) Utriusque generis exempla, quum ubivis extent, afferi nihil attinet. Ceterum ex ipso numero plurali, quem etiam in uno mortuo usurpant, intelligi potest, non satis ab initio certam ac definitam notionem fuisse, sed cum unius perfuncti animi etiam plurium apud inferos numinum cogitationem coniunctam, quorum ille in tutela aut consortio esset. Servius quidem ad Aen. III,63 fuisse docet, qui putarent *Manes* eosdem esse atque *Genios*, duosque *Manes* corporibus ab ipsa statim conceptione assignatos: sed hac ratione pluralem numerum explicari non posse arbitror, quum neque haec de duobus Geniis opinio unquam vulgo recepta sit, neque Genios eosdem cum Manibus esse alii quam philosophi quidam statuerint; qua de re mox dicemus. Sandalii autem ratio (Cosmogoniae antiquitatis primae lineae, part. 2. Hafn. 1819. p. 187 sq.) ex quattuor elementis, unde animus conflatus sit, pluralem numerum explicantis, nemini facile probabitur.

39) Cf. Serv. l. l. et all. ap. Voss. Etymol. p. 308. Fea ad Hor. Sat. I,8,29.

40) Hinc etiam in titulo sepulcrali apud Viscontium, Mus. Pio-Clement. II p. 82 pro vulgari formula *Dis Manibus* posita est altera *Dis Propitiis*.

cultum non est cur non ipsis iam urbis Romanae primordiis aequalem fuisse statuamus, quum praesertim Maniae, Mutae, Tacitae, manium deae, de qua mox dicemus, iam sub regibus sacra facta esse veteres scriptores testentur [41]). Et leges XII tabularum, ubi de funerum iustis praecipiebant, deorum manium iura haec dixisse ex hisce Ciceronis verbis colligimus [42]): „nostrae quidem legis interpretes, quo capite iubemur sumptus et luctum removere a deorum manium iure, hoc intelligunt imprimis, sepulcrorum magnificentiam esse minuendam“; ipse autem Cicero [43]) ex denicalibus feriis suo iure argumentatur, maiores eos qui ex hac vita migrassent, in deorum numero, h. e. deos manes esse voluisse, quemadmodum etiam in his quas ipse scribit legibus ad vetustum ius accommodate praecipit [44]): SOS LETO DATOS DIVOS HABENTO. Huc accedit, quod eadem de animis humanis post mortem superstitibus eorumque divina natura persuasio etiam in Larum veneratione cognoscitur, eorum certe, qui proprie a Romanis hoc nomine appellati sunt. Etruscum hoc nomen esse plerique nunc consentiunt [45]), neque nos aliter statuendum contendimus, dum ne eorum linguae vocabulum fuisse credatur, qui proprio nomine Rasenae dicti sunt, neque ante secundum ab urbe condita saeculum Etruriam occuparunt [46]), sed Tyrrhenorum illorum veterum, qui cum

41) Plutarch. Num c. 8. Macrob. Saturn. I c. 7 p. 241.

42) De Legg. lib. II c. 25 §. 62. Legem ipsam his fere verbis conceptam fuisse: *sumptus et luctum a deorum manium iure remoreto*, cum Polberio, Gothofredo aliisque statuimus, iudiciique nostri rationes contra Dirksenium, qui legem non agnoscit, exposuimus in procem. schol. hibern. 1829—30, p. 3. 4.

43) L. l. II c. 22 §. 55.

44) Ibid. c. 9 §. 22.

45) Primus, quod sciam, sententiae auctor Scaliger fuit, quem Vossius Etymol. p. 280 aliique multi sequuti sunt. E recentioribus satis est Muellerum laudare, Etrusc. II p. 90.

46) De Rasenarum nomine testem habemus Dionysium A. R. I, 30, qui tamen ipse in hos Tyrrhenorum nomen transfert, quo solebant a Graecis omnes Etruriae populi, nullo stirpis discrimine, appellari, nomine a priscis incolis etiam in advenas translato. Priscos autem illos incolas, quum plerique non alio quam hoc ipso Tyrrhenorum nomine appellent, Dionysius communi Pelasgorum nomine appellare maluit, quippe quum eos a Thessaliae Pelasgis oriundos esse cum Hellanico (c. 28) credat, Tyrrhenorumque nomen in Italia demum iis haesisse suspicetur propter sedes Rasenis, qui proprie Tyrrheni dicti sint, vicinas (c. 25). Hinc etiam haec confusio orta, ut quae Herodotus de Tyrrhenorum cum Lydis cognatione retulit, Dionysius tanquam de Rasenis dicta acciperet, ideoque argumentis parum conve-

Siculis et Aboriginibus, Latinorum maioribus, et cum Umbris quoque, 12
Sabinis et Oscis cognati[47]), late olim in hac Italiae parte sparsi fuerunt. Neque dubitamus quin ex eadem stirpe vocabulum ortum sit, qua Graecum *λαός*, quod hominum multitudinem significat, et *Larisa*, quod non lapidum struem, ut multi crediderunt, sed populi sedem et coniuncta hominum domicilia, h. e. urbem significare credimus, denique *λαύρα*[48]) h. e. via in urbe vel vicus domibus repletus; quid, quod

nientibus impugnaret (c. 30). Ceterum vel ex eo, quod ipse narrat, sedes olim a Pelasgis (h. e. a Tyrrhenis) habitatas post horum in Graeciam reditum a Tyrrhenis (h. e. ab iis qui se ipsi Rasenae dixerunt) occupatas esse (c. 26), satis ostendit, his illos in hac parte Italiae peiores fuisse, contra quam Moellerus statuit, qui (Etrusc. I p. 88. 99. 100), si recte mentem eius assequor, Tyrrhenos ex Asia ad Rasenas iam tum Etruriam habitantes advenisse credit. Assentior autem Niebuhrio (H. R. I p. 113 ed. 2 c. addend. p. 29), antiquas Rasenarum sedes in superiore Italia ac Raetia fuisse: quo autem tempore in Hetruriam migraverint, non constat. Dionysius quidem (c. 26) Pelasgos (h. e. Tyrrhenos) plerosque Italia cessisse sedesque eorum ab Rasenis occupatas statuit circa belli Troiani tempora: cuius iudicii quas rationes habuerit, nolo nunc examinare. Niebuhrio Rasenae multo posterius immigrasse in Etruriam videntur (p. 397), et mihi quidem plane non dubium est, factum hoc esse non ante illud tempus, quo Gallos primum in superiorem Italiam transiisse Livius (V, 34) refert, h. e. Prisco Tarquinio Romae regnante, et quos hic Tuscus dicit a Gallis ad Ticinum devictos, hos ipsos Rasenas fuisse arbitror, quos non mirum est pulsos a Gallis novas sibi sedes in Etruria quaesivisse. Nam quod Niebuhrius de illa Gallorum migratione Livium erroris insimulat, satis refutatum est a Dunckero (Origg. German. Hal. 1839, p. 4. 9 sqq. cf. p. 15). Tarquinii autem Romae et Latio imperantes non Rasenae sed Tyrrheni fuerunt; Porsenna contra haud dubie Rasena. Ceterum non mirum est posteriores Etruscos, e Rasenis et Tyrrhenis mixtos, plurima etiam ex lingua Tyrrhenorum Graecis cognatorum servasse, quo pertinet hoc ipsum *Laris* s. *Lartis* nomen: et in aliquot Etruriae oppidis, maxime Agyllae, Tyrrheni perdiu paene non mixti cum Rasenis habitarunt. Omnis autem Etruscorum cum Graecis coniunctio asciscendarumque artium et fabularum Graecarum consuetudo a Tyrrhenis maxime repetenda est, iisdem qui etiam Graecos mores ac religiones sub Tarquiniis Romam tulerunt. Cf. Cic. de re publ. II, 19, 21. Ambrosch. p. 208.

47) Horum trium populorum et inter se et cum Latinis cognationem lingua demonstrat, quae quum manifesto Graecae affinis sit, Tyrrheni autem et, ut equidem arbitror, etiam Siculi a Pelasgis, unde Graeci orti sunt, non longe certe disiuncti fuerint, hinc omnium horum populorum aliquam inter ipsos cognationem fuisse conficitur. De Oscis, Sabinis, Latinis conf. impr. Klenzius Philol. Abh. p. 65 ff., de Umbris Grotefend. Rudim. ling. Umbr. VIII p. 5 sqq. Cum Tyrrhenis autem Aborigines, Umbros et Oscos composuit nuper etiam Goettling., Gesch. der Röm. Staatsverf., p. 16—20.

48) Huius quidem vocabuli cognatio cum eo quod est *Lar* etiam veteribus qui-

etiam *Laurentum* fortasse, vetustissimum Latii oppidum, ipsaque adeo *Latii, Lavinii, Lacinii* nomina indidem orta videri possunt. Sed quamvis vera sit haec de stirpe nominis coniectura, vis tamen eius hinc nequaquam satis liquido cognoscitur, nisi quod tales quosdam eo signi-
13 ficari dicemus, qui ad multitudinem hominum sive ad populum aliquo modo pertineant. Et Scaliger quidem, quem plerique sequuti sunt, *Lares* nihil aliud quam *προστάτας* populorum et praestites esse statuit, unde regibus Etruscorum ac principibus *Lartis* nomen frequentatum censent, alii tanquam appellativum, quo dignitas eorum indicaretur [49]), alii tanquam proprium ex appellativo factum [50]). Quamquam quum homines *Lartes* a singulari *Lars* (Etr. *Laris, Lart, Larth*), dii autem *Lares* aut antique *Lases* dicti sint, possit sane, si quis morosior esse velit, diversis formis nominis eandem significationem temere tribulam culpare: nos tamen, quoniam res ad liquidum perduci nunquam poterit, non recusabimus nunc receptam a plerisque sententiam et ipsi amplecti. Potuerunt ita sane Lares omnes dii appellari, qui populi praestites esse credebantur [51]); apud Romanos tamen proprium nomen divinis illis animis datum est, qui humana vita perfuncti post mortem superstites hominibus rebusque humanis consulerent. Et Appuleius quidem [52]) ex animis defunctorum, qui vetere lingua latina

---

busdam io mentem venisse videtur, quorum auctoritatem Arnobius sequitur lib. III, p. 124: „Lares arbitror vulgo vicorum atque itinerum deos esse ex eo quod Graeci vias cogoominuarint *λαύρας*.“ *Larisam* huc pertinere iam Zoëga aoimadvertit, Abhandl. p. 327.

49) Goettl. l. l., p. 31 oot. 7. Valer. Max. de nom. p. 630 Kapp.

50) Mueller. Etrusc. I p. 367, 405, 408, II p. 90.

51) Ita in carmine fratrum Arvalium, E NOS LASES IVVATE, possint generaliter dii tulelares populi intelligi; sed rectius tamen hoc de laribus ruralibus interpretabimur cum Muellero II p. 91 et Klauseoio nostro, *εἴ ποτ' ἔην γε*, de carm. fr. arv., p. 62. — Omnium autem latissime Cicero nomen usurpavit in Timaeo c. 11: „Reliquorum autem, quos Graeci *δαίμονας* appellant, nostri, ut opinor, Lares, si modo hoc recte coaversum videri potest.“ Suot quos Plato, loco a Cicerone expresso, Tim. p. 40 D., *δαίμονας* appellat, dii reliqui omoes praeter ipsum demiurgum animamque mundi et sidera, itaque populares dii cuncti, e Coelo et Tellure procreati. In hos igitur omoes Cicero Larum oomen contulit, sed timide admodum et dubitanter, sentiens nimirum, quanto opere cum vulgari usu nominis pugnaret. Posteriores haud dubie *Genios* potius dicturi fuissent. Cf. Arnob. I, 23. Ammian. Marc. XXI, 14.

52) De Deo Socratis (opp. ed. Lugd. Bat. ann. 1614), p. 79. Cf. Ovid. Fast. V, 434. 443. 483.

lemures vocati sint, eos, qui posteriorum suorum curam sortiti pacato et quieto numine domum possiderent, Lares dictos familiares testatur: qui vero propter adversa vitae merita nullis certis sedibus in terra vagatione ceu quodam exilio punirentur, hos a plerisque Laruas perhiberi: quum vero incertum esset, quae cuique eorum sortitio evenisset, utrum Lares essent an Laruae, hos communi nomine Manes deos vocatos esse. Neque aliter Plotinus apud Augustinum [53]), nisi quod de lemurum significatione dissentit: dicit enim et animas hominum daemones esse, et ex hominibus fieri Lares, si boni meriti sint, Lemures, si mali, seu Larvas, Manes autem deos dici, si incertum sit, bonorum sint an malorum meritorum. Eandem vero Larum originem etiam fabulae demonstrant, quum eos filios faciant Larae et Mercurii. Nam primum quae Lara, eadem etiam Mania dicta est [54]): Maniam autem nihil aliud esse apparet, quam Manes una persona quasi comprehensos. Eadem Tacita et Muta vocatur [55]), quippe quia manes *silentes* 14 sunt [56]): nam quod apud Ovidium [57]) legimus de lingua Larae sive Lalae, quam nympham facit, propter loquacitatem excisa, poetarum lusibus debetur, post obscuratum vetustae traditionis sensum, mutam deam et elinguem fabella explicare conantium. Quod autem haec peperisse Lares ex Mercurii compressu dicitur, hanc habet rationem, quod Mercurius ψυχοπόμπος est, animasque, sicut deducit ad inferos, ita etiam reducit, eas quidem, quae meliore sorte dignae sunt, Larumque honorem nanciscuntur [58]). Quamquam apparet ne hanc quidem fabulae partem ante ortam esse, quam Mercurium suum, mercimoniorum deum, cum Graecorum Herme Romani miscere coeperant, quod quam mature factum sit, dici non potest. Munia autem Laribus tributa multa variaque sunt. Alii enim *familiares* sunt sive

---

53) De civ. Dei IX, 11.

54) Cf. Varro L. L. IX, 61. Id. ap. Arnob. III p. 124. Macrob. Sat. I, 7 p. 241.

55) Ovid. Fast. II, 572, 583, 599. — Plutarchus Num. c. 8 Tacitam unam ex musis facit, cultumque eius a Numa institutum, quo ἐχεμυθία quaedam Pythagorica civibus commendaretur: cuius iudicii vereor ut ullum probabilem auctorem habuerit.

56) Verg. Aen. VI, 264, 432. Ovid. Fast. V, 422, 483. Metam. V, 356. XV, 772, 779. Valer. Flacc. I, 750. Senec. Med. 740. Sil. Ital. XIII, 521.

57) Fast. II, 599 — 610.

58) Mirificam de Laribus eorumque ortu e Lala loquaci et Mercurio sermonis deo sententiam Wagnerus proposuit. (Vid. Seebod. et Friedem. Miscell. max. part. crit. vol. I). Vult enim sermonis eos primos inventores habitos, propterea-

domestici[59]), quorum tutela ad omnes pertinet, qui sub uno patre familias in domo vivunt, hique propterea custodes ac cultores domuum dicuntur[60]), sedemque imagines eorum habent ad focum in larario[61]), ultra domum autem munus eorum ac numen non extenditur: quamobrem qui domum suam, hi etiam Lares suos relinquunt, et filii familias, quum relicta domo paterna alio habitatum concedunt, alium sibi Larem quaerunt[62]), patres familias, quum ex alia in aliam domum migrant, Larem suum eo conferunt, invocantque ut nova habitatio fausta sibi et fortunata eveniat[63]), denique qui nullam domum sedemque certam habent, ne Larem quidem familiarem habere dicuntur[64]), quem tamen nanciscuntur haud dubie, ubi sedem fixerunt. Sunt autem hi Lares familiares ex animis maiorum, posteritatis suae curam sortiti[65]), neque vero ita, ut unus aliquis e maioribus omnium posterorum suorum Lar fieret, sed ut, quot existerent familiae separatim habitantes, tot etiam Lares ex maiorum animis suum quaeque sibi adscriptum haberent[66]). — Alii porro Lares *gentium* erant sive *gentilitatum*[67]), plures familias complexarum, quae ab uno aliquo progenitore originem suam repetebant[68]): alii fortassis etiam *curia-*

---

que, quum sine sermone nulla sit hominum societas, etiam domesticae vitae praesides factos esse et in foco, domus penetralibus, cultos.

59) *Familiares* plurimis locis dicuntur, quos afferre nihil attinet: *domestici* in inscriptione ap. Orell. no. 1666.

60) Ita Lar ipse in prologo Queroli: „Ego sum custos et cultor domus“ et ap. Plaut. Aulul. Prol. 3: „Hanc domum iam multos annos est cum possideo, et colo Patrique avoque iam huius qui nunc hic habet.“

61) Cf. Hempel. de diis Laribus p. 26.

62) Plaut. Mercat. V, 1, 7: „Ego mihi alios Deos Penates persequar, alium Larem.“

63) Plaut. Trinumm. I, 2, 1: „Larem corona nostrum decorari volo: Uxor, venerare ut nobis haec habitatio Bona, fausta, felix, fortunataque eveniat.“

64) Sallust. Catil. c. 20, 11.

65) Cf. Appuleii verba supra laudata. Hinc Plaut. Merc. V, 1, 5: „Familiaeque Lar *pater*.“

66) Queroli prolog. „Ego sum cultor ac custos domus *cui fuero adscriptus*.“

67) *Dii Lares Capeticorum gentilitatis* et *Dii Lares Caperensis gentilitatis* commemorantur in duabus inscriptionibus Hispaniensibus ap. Orell. no. 1663. [Cf. Mommsen. in Diurn. antiquar. 1845 p. 135.]

68) Gentis Claudiae Lares significat C. Claudius ap. Dionys. A. R. XI, 14: *μαρτύρομαι θεοὺς ὧν ἱερὰ καὶ βωμοὺς κοιναῖς θυσίαις γεραίρομεν οἱ τῆς Ἀππίου γενεᾶς διάδοχοι*, (h. e. deos a gente Claudia sacris gentiliciis cultos. Cf.

rum: quamquam de his non liquet. Nam quod *grundules* Lares nonnulli ad curias pertinere credunt[69]), quoniam fuerunt qui hos a grunnitu s. grunditu scrofae dictos autumarent, quae auspicium Romulo et Remo fecerit, porcis triginta editis[70]), qui idem numerus curiarum est: hoc quam improbabile sit facile apparet. Neque enim curiarum numerus a scrofae fetu repetitur, et gruudules Lares a grunnitu dictos esse multo minus credibile, quam, ut alii volunt, a *grunda.* Quippe quum olim mortuos domi sub grunda, sicut postea quoque infantes, certe qui ante quadragesimum diem obiissent, sepeliri solitos esse traditum sit[71]), horum manes, si Lares facti essent, non inepte grundiles s. grundules dictos esse statuas: quorum munus, quum quale creditum sit nemo veterum prodiderit, videri tamen potest et ipsum ad domus tutelam pertinuisse, ita ut intus Lar familiaris, in foco collocatus, extra autem hi grundules domum custodirent. — Fuerunt porro Lares *publici,* h. e. populi universi, quos statuimus ex principum animis fuisse bene olim de re publica meritorum[72]): nec diversi generis *urbium* Lares, quos Romae etiam *Hostilios* dictos arbitror, quod praeessent moenibus urbis hostesque arcerent[73]). *Compitales* porro La-

---

Hartung. 1 p. 226. Goettling. 1. l. p. 69 et 177.) *καὶ προγόνων δαίμονας, οἷς μετὰ θεοὺς δευτέρας τιμὰς καὶ χάριτας ἀποδίδομεν κοινάς.*

69) Creazer, Symbol. II p. 854 sq.

70) Cassias Hemina apud Diomed. I, 379 Patsch.: „Pastorum vulgus siae coatentioae consentiendo praefecerunt aeqnaliter iaperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit: sus parit porcos triginta: euius rei fanum fecerunt Laribus Grundalibas.“ Cf. Non. p. 114 Merc. et Arnob. I, 15. Hi tres soli grundulium Larum mentionem fecerunt, et auctor e veteribus non alius quam Cassius Hemina fuisse videtur, qui quod de fano iis consecrato scripsit, vereor ut antiquorum monumentorum fidem sequutus sit. Fabulam autem de scrofae partu translatam ab Aenea, de quo vulgo narratur, ad Romulum esse apparet.

71) Serv. ad Aen. V, 64: „Seicadam quia etiam domi saae sepeliebantur, unde orta est coasuetudo ut dii penates colantur ia domibus.“ Penates dixit pro Laribus. Rectias ad VI, 152: „Apud maiores, ut supra diximus, omnes in suis domibus sepeliebantur. Unde [ortum est ut lares colerentur in domibus, unde] etiam umbras laruas vocamus. Nam Dii Penates alii sunt.“ De suggrundariis infantium sepulcbris vid. Fulgent. p. 560 Merc.

72) Inscriptt. ap. Orell. no. 1668, 1669, 1719. Cf. Boxhorn. Quaestt. Rom. no. 6 in Graev. Thesaur. V p. 923.

73) Festus p. 102: „Hostiliis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.“ Apte Klausenius, de carm. fratr. arv. p. 63, contulit Propert. III (IV), 2, 11:

16 res, quorum in compitis vicorum sacra annua mense Decembri fiebant, ex eorum animis fuisse videntur, qui olim in illis vicis habitaverant. Certe ex hoc genere *animalium deorum*[74]) hos quoque fuisse non modo disertum habemus Verrii Flacci testimonium[75]), sed etiam inde colligimus, quod fabula illa de Larum ex Lara s. Mania et Mercurio generatione ab Ovidio proxime ad hosce compitales refertur[76]). Accedit quod apud Plinium horum cultus instituendi causam dedisse dicitur Lar ille familiaris, cuius filius Servius Tullius creditus sit[77]): familiares autem Lares quin animales fuerint dubitari plane non potest. Nec diversi generis *viales* erant: quippe quorum corpora ad vias publicas ex more sepulta erant, horum manes, Larum sortem nacti, in lucis propinquis habitare viarumque tutelam habere credebantur[78]): item *rurales*, agrorum, quos in vita coluerant, post mortem custodes, mala arcentes, proventum prosperantes[79]), una cum Acca Larentia, cuius cum Laribus coniunctionem et nominis affinitas et fabulae

„Hannibalemque Lares Romana sede fugantes," et Ovid. Fast. V, 135: „Praesunt moenibus urbis — auxiliumque ferunt." Ex Manibus autem hos urbium Lares fuisse testatur Martianus Capella II, 9, 2 p. 131 Goez.: „Manes — si prioris vitae adiuti fuerint honestate, in Lares domorum urbiumque vectuntur."

74) Serv. ad Aen. III, 168: „Labeo in libris qui appellantur de diis animalibus, — ait esse quaedam sacra, quibus animae humanae vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiunt. Hi autem sunt dii penates et viales." *Penates* pro *laribus familiaribus* perperam dictos arbitror, quemadmodum ad V, 64 (cf. supr. not. 71.); de vialibus statim dicetur.

75) Apud Festum Paul. p. 121 Muell.: „Laneae effigies Compitalibus noctu dabantur in compita, quod Lares, quorum is erat dies festus, animae putabantur esse hominum redactae in numerum deorum." Cf. id. s. v. pilae, p. 239.

76) Fast. II, 615: „Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant Et vigilant nostra semper in urbe Lares."

77) Hist. nat. XXXVI, 27, p. 693 Gron. Unum genus compitalium Larum et domesticorum s. familiarium fuisse etiam Ovidii verba modo citata probant, et quod apud Macrobium I, 7 p. 211 legimus, in Compitalibus etiam Maniae sacrificatum, et quidem pro familiarium sospitate. Ceterum quod bini in compitis lares positi fuerunt, non ita ego interpreter, quasi non plures cuiusque vici custodiam habere crediti sint; sed quum multitudo incerta esset, neque tot, quot essent, poni possent, binos tamen posuerunt, quo certe plus uno esse significarent.

78) Serv. ad Aen. III, 302: „Nam in lucis habitant manes piorum, qui lares viales sunt." Cf. Labeo apud eund. ad III, 168, quem locum paullo ante posuimus, not. 74.

79) Cf. quos supra not. 51 citavimus.

quamvis difficiae et contaminatae demonstrant[80]): denique, ut equi-
dem arbitror, etiam *permarini Lares*, quorum aedem, a L. Aemilio
Regillo navali proelio adversus praefectos regis Antiochi votam, M. Ae-
milius censor a. u. DLXXV dedicavit[81]), ex eodem erant animalium
deorum genere, animae scilicet eorum, qui, quum vivi rei navali ope-
ram dedissent et in mari periissent, post mortem navigantibus opem 17
ferre credebantur. Nam quominus Neptunum ipsum in horum numero
fuisse credam[82]), illud me impedit, quod Larum nomine in publicis
Romanorum religionibus unquam alios quam illos animales deos ap-
pellatos esse neque testimonio ullo neque indicio probari potest. Et
eos quoque, quos nonnulli privatim sibi cum Laribus familiaribus co-
lendos asciverunt et in Larario posuerunt, ut Alexander Severus Apol-
lonium Tyanensem, Christum, Abraham, Orpheum, divos principes
decessores suos, itemque Vergilium, Ciceronem, Achillem[83]), non ex
deorum superiorum numero, sed ex hominibus defunctis esse vide-
mus. Ceterum quum multi haud dubie manes piorum propter merita
ex inferis educti, neque tamen omnes certo cuidam muneri et custo-
diae praepositi esse crederentur, nihil profecto impediebat, quo minus

---

80) In universum conf. Mueller. Etrusc. II, p. 103 sqq. et Blum. Einleitung in Rom's alte Gesch., p. 198, quorum tamen neutri in omnibus assentior. Sed neque opus est nunc neque licet propter temporis brevitatem haec persequi.

81) Liv. XL, 52, 4, cf. Macrob. Sat. I, 10 p. 250.

82) Quae Muelleri sententia est, Etrusc. II, p. 91, ubi etiam *Martem* in caealibus Laribus numerat, recte dissentiente Klausenio de carm. fr. arv, p. 63 not. 168, quanquam huius quoque de Martis numine sententia, p. 36 sqq. vereor ut probari possit. Ceterum simili quam Muellerus errore Mercsias Auctar. philolog. c. 2 aliique hunc sequuti in Laribus marinis Neptunum, Tethidem, Glaucum, in familiaribus Saturnum, Picumnum, Pilumnum, in compitalibus et vialibus Apollinem, deum priscis Romanis plane non publice cultum, et Mercurium fuisse crediderunt: ad quos refellendos sufficere arbitror testimonia veterum de familiaribus, compitalibus, vialibus supra a nobis adscripta. De marinis addo etiam hoc: quod pilas iis laneas, itidem ut compitalibus, suspendi solitas e Varronis Sesquiulixe apud Nonium p. 538 discitur, (si quidem recte Turneb. Adv. XXVIII, 13 *marinis* ibi pro vulg. *marinas* reposuit,) ex hac caerimoniarum similitudine etiam similem utrorumque naturam fuisse conieceris. Denique etiam *larvarum* nomen, (quod quin a laribus deflexum sit vix dubitari potest,) quum ad manes pertineat, illos quoque omnes ex eodem genere fuisse probabile facit.

83) Lamprid. vit. Alex. c. 29. — Vitellius etiam vivos Pallantem et Narcissum Claudii Imp. libertos inter Lares coluit (Sueton. Vit. c. 2), adulatione quam foeda tam perversa.

ex horum quasi vacantium numero quos quisque vellet sibi suisque rebus praestites ac custodes conciliaret[84]: locus autem his omnibus, ubi habitarent, in coeli parte inferiore assignatus putabatur inter lunam ac nubes[85], una cum geniis, de quibus nunc dicendum est.

Coniunctum aliquo modo in populi religionibus Genii et Larum cultum fuisse vel inscriptiones docere possunt, *Genium Augusti et Lares paternos* aut *Magistrum* (h. e. praesulem collegii sacrificulorum)
18 *Larum Augustorum et Genii Caesaris Augusti* simul commemorantes[86], et quod una cum *Laribus compitalibus* etiam *Genio Augusti* sacra instituta esse Ovidius testatur[87]: sed fuisse etiam qui plane non diversi generis utrosque statuerent, multorum testimoniis constat. Ita Censorinus[88]: „Eundem esse Genium et Larem multi veteres memoriae prodiderunt, in quis etiam Granius Flaccus in libro, quem ad Caesarem de indigitamentis scriptum reliquit." Varro quoque, Granii Flacci aequalis, si recte Arnobius refert[89], Lares quasi quosdam Genios et functorum animas mortuorum esse dixit, quod qua ratione interpretandum videatur, statim proponemus. Ovidius porro[90], ubi de manium cultu placandisque animis maiorum loquitur, eumque morem ab ultima antiquitate repetit, Aeneam *patris Genio* sollemnia dona tulisse, atque hinc illum *manium* colendorum ritum apud Latinos ortum esse dicit: ex quo apparet ei Genios itidem, ut

84) Huc pertinere arbitror *Lares horrei Pupiani* in inscript. ap. Gruter., p. MLXXIV, 15, et fortasse etiam *Lares militares* ap. Orell. no. 1665. Martiani Capellae tenebricasa doctrina, l. c. 15, quantum e publicis religionibus asciverit, quantum suo pericalo coafinxerit, discerni non potest; et sunt multi apud eum laci propter librorum depravatiaues lectianis et interpretationis admodam incertae; quamobrem hunc aihil hoc tempore moramur.

85) Varro apud Augustin. VII, 6, cf. Lips. Physiol. Stoic. I, 18 p. 48 sq. — Hinc fortasse alicui prababilis videatur nonnullorum coniectura, in inscriptione arae Consi ap. Tertullian. de Spectac. c. 5 pro corruptis eadirum lectionibus reponentium *Lares coelo patentes*. Credo tamen aliud quid latere, quamquam nondum inveni quod satisfaceret.

86) Apud Orell. no. 1667 et 1662. Add. Gruter p. CVII, 6.

87) Fast. V, 145: „Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos, Urbs habet, et vici numina trina colunt." Numina trina sunt bini lares compitales (vid. not. 77) cum Genio Aug. — Add. Horat. IV, 5, 34: „Et Laribus tuum miscet numen", ad quem lnr. cf. intt., impr. Fea.

88) De die nat. c. 3.

89) Lib. IV c. 11 p. 124.

90) Fast. II, 545 coll. 533, 535.

de Laribus demonstratum est, deos animales visos esse ex manibus s. animis defunctorum quasi in altiorem dignitatis gradum promotos, plane ut Servius alicubi[91]) putare quosdam scribit, Genios eosdem et manes esse, et ab Ausonio[92]) dicitur „Genius dominum Larunda progenitus Lar.“ Verumtamen in populari religione diversos a Laribus Genios fuisse et formae, qua utrorumque imagines effingebantur, et cultus utrisque exhibiti diversitas satis probant: notionem autem Genii veram et primitivam nomen demonstrare potest, quod quin a genendi vel gignendi verbo deductum sit nemo dubitabit. „Genius“ inquit Aufustius[93]) „est deorum filius et parens hominum, ex quo homines *gignuntur*.“ Hinc Laberius in Imagine mimo[94]) Genium generis nostri (h. e. humani) parentem vocavit, et Censorino[95]) „Genius est deus cuius in tutela ut quisque natus est vivit; qui sive quod ut genamur curat, sive quod una genitur, sive etiam quod nos genitos suscipit ac tuetur, certe a genendo Genius appellatur.“ Alii vim eius non ad hominis solum, sed ad omnium rerum generationem pertinere voluerunt, unde est illa apud Festum definitio: „Genium appellabant deum, qui vim obtineret rerum omnium genendarum“, et apud Isidorum[96]): „Genium dicunt, quod quasi vim habeat omnium rerum gignendarum“, quae videtur ex Varrone petita esse. Nam hunc quoque Augustinus[97]) testatur Genium dixisse deum, qui praepositus esset ac vim haberet omnium rerum gignendarum. Hominum autem Genios popularis opinio artissime quidem cum hominibus coniunctos esse 19
credebat, adeo ut etiam voluptates corpore perceptae ad Genium quodammodo pertinere viderentur, unde natae sunt loquutiones *indulgere Genio* et huic contraria *Genium suum defraudare:* sed discretum tamen genium ab ipso homine eiusque animo esse statuebant, curamque eius quum animum tum etiam corpus complecti, quippe quod ipsius ope et genitum esset et conservaretur: unde videmus nonnunquam etiam in hominem, qui alterum nutrit et tuetur, Genii appella-

91) Ad. Aen. III, 63.
92) In Technopaegnio, Idyll. XII, de deis v. 9.
93) Apud Festum p. 94. 95.
94) Apud Nonium c. 2, §. 392, p. 119 Merc.
95) De die nat. c. 3.
96) Lib. VIII cap. 11 p. 1030, 54 Gothofr.
97) De civ. Dei VII, 13.

tionem transferri, ut apud Plautum aliquoties parasiti patronos adulatorie Genios suos dicunt[98]). Quod igitur quidam philosophantes Genium esse voluerunt cuiusque animum rationalem[99]), haec sententia dubitari non potest quin pugnaverit cum opinionibus vulgo apud populares receptis, quorum nemo, opinor, adoraturus Genium donisque et sacris placaturus fuisset, si non diversum eum a suo animo credidisset. Quamquam sicut initio a philosophis, ita mox etiam a vulgo multa Geniis tributa sunt cum vera eorum vi et natura non facile conciliandа, et ex Graecorum daemonologia assumpta, quum qualia hi de daemonibus, talia etiam Romani homines de Geniis statuere coepissent. Et apud Graecos quidem daemones a diis superis diversos primus Hesiodus commemorat. Nam Homerus nomen illud omnibus promiscue diis imponit[100]), neque custodes quosdam inferioris ordinis, ut Romanorum Genios, singulis hominibus adiunctos memorat; sed quum principibus tantum heroum, Ulixi, Diomedi, Agamemnoni, certos deos discriminum et periculorum comites adiungat[101]), apparet eum artiorem quandam cum diis coniunctionem paucioribus modo et praestantioribus viris intercedere statuisse. Hesiodo autem daemones sunt eorum animi, qui aurea aetate vixerunt, post obitum ad hanc dignitatem evecti, ut sint

ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,

98) Captiv. IV, 2, 99: „Suum gnatum, Genium meum.“ Curcul. II, 3, 22: „Ecquis est mihi qui commonstret Phaedromum, Genium meum?“ Menaechm. I, 2, 29: „Teneo dextra Genium meum.“

99) Varro apud Augustin. d. c. D. VII, 23: „Varro tres esse affirmat animae gradus. — Tertium gradum animae esse summum, qui vocatur animus, in quo intelligentia praeeminet. Hoc praeter hominem omnes carere mortales. Hunc partem animae mundi dicit deum, in nobis autem Genium vocari.“ Appulei. de deo Socr. p. 79 (ed. Lugd. 1614): „Nam quodam significatu et animus humanus etiam nunc in corpore situs daemon nuncupatur, — quem nostra lingua poteris Genium vocare, quoniam is deus, qui est animus suus cuiusque, quamquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur.“

100) Aliquo tamen sensus discrimine, quod scite exposuit Nitzsch. ad. Odyss. I p. 89. Cf. Wachsmuth. Antiq. Hell. II, 2, p. 110. Muetzner de love Homeri, p. 16 sq. Etiam posteriores poetas et Platonem quoque nonnunquam δαίμονας generali significatu dicere notum est. Ceterum de origine vocabuli longe ceteris probabiliorem sententiam Bäumleinii esse arbitror, in Zimmerm. Diarn. antiquar. a. 1829 no. 150 p. 1203.

101) Verba sunt Ciceronis de N. D. II, 66.

οἵ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκην καὶ σχέτλια ἔργα,
ἠέρα ἑσσάμενοι, πάντῃ φοιτῶντες ἐπ᾽ αἶαν.

hisque alterum sed inferius genus adiungitur eorum, qui argentea aetate vixerunt,

τοὶ μὲν ἐπιχθόνιοι μάκαρες θνητοὶ καλέονται
δεύτεροι· ἀλλ᾽ ἔμπης τιμὴ καὶ τοῖσιν ὀπηδεῖ[102]).

Posterior aetas daemonum nomen quum animis humanis tribuit corporis nexu liberatis, tum aliis innumerabilibus naturis homine quidem superioribus, sed deorum maiestate inferioribus, et media quadam inter utrosque conditione, quorum variis ministeriis dii in mundo rebusque humanis regendis uterentur. Ex horum numero hominibus suum cuique custodem et moderatorem attributum crediderunt, ut Menander ait,

εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸν τοῦ βίου,

nonnulli etiam binos statuerunt, alterum bonum ac beneficum, alterum malum, quibus tamen Menander obloquitur,

κακὸν γὰρ δαίμον᾽ οὐ νομιστέον[103]).

Auctor autem huius sententiae a Censorino[104]) Euclides nominatur Socraticus: sed antiquiorem ex Plutarcho novimus, Empedoclem Agrigentinum[105]). Horum exemplo etiam Romani, et primus, quod sciam, Lucilius[106]), binos cuique Genios, sicut illi daemones, attribuerunt: quae opinio, quamvis late pervagata, nunquam tamen vulgo apud omnes invaluisse videtur, sed plerique haud dubie cum Horatio unum cuiusque Genium, vultu mutabilem, album eundem et atrum esse crediderunt, prout aut laeta homini aut tristia acciderent vel ab ipso impertirentur. Ceterum de daemonibus eorumque cum hominibus commercio et coniunctione quam variae Graecorum opiniones fuerint, commodissime, quantum quidem ad nostrum consilium satis est, e Plutarchi libro, quem de Socratis daemonio composuit, intelligi potest. In hoc enim primum Simmiae, Socratis auditori, haec tribui-

---

102) Hesiod. Op. et D. v. 121 et 141. De utroque loco conferendus est Creuzer. Symbol. III p. 47 ed. 2.

103) Apud Meinek. Men et Phil. Fr. p. 209.

104) De die nat. c. 3.

105) Cf. Karsten. Empedocl. p. 507.

106) Hunc Censorinus nominat l. l. Posteriores citare nihil opus est. Conf. Creuzer. Symb. II p. 869. III p. 43. Boettiger kleine Schriften II, p. 337.

tur sententia, ut daemones ubique innumerabiles in aere circum homines versentur, quorum verba tamen ac monita percipi nisi tranquillis plane et imperturbatis animis non possint [107]): sed proprium cuique daemonem et individuum vitae comitem adiunctum Simmias non agnoscit. Theanor deinde Pythagoreus non cuilibet daemonem se adiungere dicit, sed iis tantummodo, qui propius iam ad perfectionem virtutis accesserint. Nam qui animi adhuc corpore quasi mersi sint,
21 et quibus per plura etiam deinceps corpora migrandum sit, his non adiungi daemonem, sed suis viribus eluctandum esse: qui autem iam per multas generationes ac migrationes in alia ex aliis corpora eluctati sint, ut perfectionem prope iam attingant, his non invidere deum quominus daemon, si quis velit, comes et adiutor fiat. Itaque aliis se alios, prout ipsis placuerit, sociare; permanere autem quemque in eius, cui se adiunxerit, societate tamdiu, quam is in eodem corpore moretur, a quo ubi morte discesserit, alium rursus ei daemonem sociari, qui autem antea sociatus fuerit, item alium sibi animum tuendum et adiuvandum eligere [108]). — Denique Timarchus in Trophonii antro haec de daemonibus edoctus esse dicitur: omnem animum humanum esse quidem mentis ac rationis participem; sed quum corporis consortio alligatus sit, plus minus a ratione abalienari et depravari. Eam igitur animi partem, quae tota corpore mersa sit, animam, *ψυχήν*, esse: eam quae libera sit corporis contagione, vulgo mentem, *νοῦν*, dici, credique et ipsam intus in corpore includi, quum tamen reapse extra sit et ab iis, qui verum videant, daemon vocetur, extrinsecus homini additus tanquam animae rector et moderator [109]). Itaque ex huius sententia daemon est animus cuiusque rationalis, quemadmodum etiam Xenocratem statuisse Aristoteles refert [110]): eamque sententiam e Romanis aliquot viri docti amplexi sunt, Genium latine dicentes, quem illi daemonem. Atque hinc explicandum est, quod nonnulli Lares aut Manes eosdem ac Genios dixerunt: scilicet his ani-

107) Cap. 20 De multitudine daemonum in aere versantium conf. et Lips. Physiol. Stoic. 1, 18 p. 49.

108) Theanoris disputatio apud Plutarchum est c. 23.

109) Plutarch. c. 22.

110) Topic. II, 6: *Ξενοκράτης φησὶν· εὐδαίμονα εἶναι τὸν τὴν ψυχὴν ἔχοντα σπουδαίαν· ταύτην γὰρ ἑκάστου εἶναι δαίμονα.* Suid. s. v. *εὐδαιμονία. . . εἰ δὴ δαίμων ἑκάστου ἡ ψυχὴ, καθὰ Ξενοκράτει δοκεῖ.*

mus ille rationalis dum vivit homo Genius esse, post mortem autem in Manium aut Larum numerum transire visus est[111]). Alii contra, quum diversos quidem ab animo humano Genios, sicut Graecorum plerique daemones putarent, hoc tamen ab Empedocle, Euclide aliisque adsciverunt, ut quemadmodum hi bonos malosque daemones, ita ipsi Genios statuerent, qua de re supra diximus. Et postquam semel haec Geniorum cum daemonibus comparatio et confusio orta est, non mirabimur eam mox etiam longius serpsisse adeoque ad extremum processisse, ut primitiva significatione plane oblitterata nomen Geniorum in omne illud deorum medioximorum genus promiscue transferrent[112]), et quaecunque Graeci daemonibus, haec ipsi Geniis munia 22
et ministeria tribuerent. Veluti quum daemones apud Graecos dicerentur maiorum deorum ministri et comites, ut Phaethon Veneris iam apud Hesiodum[113]), Curetes, Satyri, Sileni apud Strabonem[114]), Apollonii, Hermaei, Dionysii daemones apud Plutarchum[115]), aliique apud alios[116]), Romani huiusmodi famulos divos — ita enim proprie appellati esse videntur[117]) — non dubitarunt Genios deorum vocare.

111) Vid. locos supra not. 88—91 laudatos. Add. Augustin. de Civ. Dei IX, 11: „Dicit quidem (Plotinus) et animas hominum daemones (h. e. Genios) esse, et ex hominibus fieri Lares, si boni meriti sint etc.“

112) Cf. Lactant. II, 14: „Hi spiritus — sibi geniorum nomen assumunt. Sic enim latino sermone daemonas interpretantur.“ Huc pertinet, quod etiam Semones — quorum nomen mihi Sabinum esse videtur — Genii dicti sunt: certe Genii Sangi Sacellum P. Victor et S. Rufus commemorant: unde non debebat Hartung. I p. 42 concludere, nihil inter Semones et Genios proprie dictos interesse. Sunt enim plane diversi generis.

113) Theog. v. 991: *νηοπόλον νύχιον ποιήσατο, δαίμονα δῖον.* Cf. ib. Goettling.

114) Lib. X c. 3 p. 466 (tom. 2 p. 355 Tauchn.)

115) De defect. orac. c. 21 extr.: *εἰ δὲ τοῖς νενομισμένοις τῶν θεῶν ὀνόμασι δαίμονάς τινας καλοῦμεν, οὐ θαυμαστέον. ᾧ γὰρ ἕκαστος θεῷ συντέτακται καὶ παρ' οὗ δυνάμεως καὶ τιμῆς εἴληχεν, ἀπὸ τούτου φιλεῖ καλεῖσθαι. Καὶ γὰρ ἡμῶν ὁ μέν τις ἐστὶ Δῖος, ὁ δὲ Ἀθηναῖος, ὁ δ' Ἀπολλώνιος ἢ Διονύσιος ἢ Ἑρμαῖος.*

116) De universo hoc genere conf. Arnald. de diis *παρέδροις* cap. 28. Creuzer. Symbol. III p. 32.

117) Extat haec appellatio in actis fratrum arvalium, et quidem, quantum ex Orellio et Klausenio cognoscere potui (nam Marinii libro careo), tab. XXXII col. 2 lin. 2 et 11 (ap. Klausen. p. 82. 83.) et tab. XLIII (ap. Orell. no. 961 tom. 1 p. 220). Conf. et Serv. ad hunc Vergilii versum Aen. V, 95: *incertum Geniumne loci famulumne parentis esse putet.* „Per apotheosin deum ostendit effectum.

Ex hoc genere Iovialem s. Iovis Genium Arnobius et Martianus Capella, alios inscriptiones nominant, quanquam non satis certae omnes fidei[118]), et ipse adeo Mercurius propter ministeria Iovi praestita tali ab hoc elogio apud Martianum ornatur[119]):

Nam nostra ille fides, sermo, benignitas,
ac verus Genius, fida recursio,
interpresque meae mentis, honos sacer.

Deinde autem, quum multae res, in quibus, ut Ciceronis verbis utar[120]), vis inesset maior aliqua, a veteribus Romanis inter deos numerari solerent, ut Fides, Mens, Virtus, Honor, Salus, a posterioribus Genii quidam conficti sunt, quorum tanquam substantiae vim illarum rerum ac numen attribuerent, qualis est Genius Salutis in nummis Severi[121]), Genius Somni in Inscriptionibus[122]), et alii fortasse plures alibi. — Eos porro daemones, qui terrae alicuius vel urbis vel loci tutelam habere credebantur, Genios eorum locorum dixerunt[123]), et a posterioribus deos adeo ex maiorum numero, qui aliquam terram praeter ceteras tuerentur, huius Genios dictos videmus, ut a Servio Apollinem littoris Laurentini, Isidem Aegypti[124]): quo minus ab
23 eodem etiam Tiberinum Genium factum esse mirabimur[125]). Neque minus celebrantur universitatum et collegiorum, legionum, centuriarum, numerorum Genii: item theatrorum, balneorum, porticuum aliorumque aedificiorum[126]); ex quo genere Lateranum, focorum Ge-

Unde ei *famulum* dat, quasi ministrum. Singula enim numina habent inferiores potestates ministras, ut Venus Adonin, Diana Virbium."

118) Cf. Orell. ad nn. 1730. Add. no. 2188. 321. 1351. 1352. Genius Priapi est ap. Petron. p. 58 ed. Hadrian. (Lugd. 1669.)

119) Lib. I c. 18 p. 83 Goez.

120) De N. D. II, 23, 61.

121) Vid. Lindenbrog. ad Censorin. p. 19.

122) Apud Orell. no. 1680.

123) Exempla, imprimis in nummis et inscriptionibus, tam multa sunt, ut citationibus supersederi possit.

124) Ad. Aen. VII, 136. VIII, 696.

125) Ad. Aen. VIII, 31.

126) Horum quoque exempla congerere supervacaneum est. Unum afferam maxime memorabile, inscript. ap. Gruter. p. MLXXIV, 15: *Genio Larum Horrei Pupiani L. Lepidius Polinicus C. Pupius Blasius D. D.* De Laribus horrei quid sentirem supra dixi, not. 84, sed his qua ratione Genius adiungatur nec mihi liquet, neque ipsis fortasse qui inscriptionem posuerunt satis liquebat, famulumne hunc an praepositum an simpliciter socium crederent.

nium, a lateribus dictum, Arnobius irridet [127]. Sed his ego omnibus nomen illud abusive tributum arbitror, oblitterata, ut dixi, propria significatione, qua Genius nihil est nisi naturalis sive genitalis deus, rerumque naturalium generationi et conservationi praepositus [128]. Nam generationis notionem collegiis certe et societatibus, quas homines, ut lubet, inter se ineunt, aut operibus manu factis nullo modo convenire apparet, potestque de huiusmodi Geniis recte dici, quod Prudentius contra Symmachum [129] non ineleganter declamitat:

Iam primum qui sit Genius, vel qui status illi
competat ignoro, quid possit et unde oriatur,
spiritus informis sine corpore, formave an ulla
sit species, et quid sapiat, quae munera curet.
Contra animas hominum venis vitalibus intus
sic interfusas intelligo, sanguis ut ex his
accipiat motumque levem, teneruinque vaporem.
Sic hominis vitam sibi temperat atque gubernat
vivida mens, quam tu ficto componere tentas
murorum Genio, qui nusquam est nec fuit usquam.

Atque ad veram Genii, ut genitalis dei, notionem comprobandam praeter illa, quae de nominis ratione et veterum testimoniis iam ante attulimus, hoc quoque pertinet, quod satis inter omnes constat, antiqua religione Genios viris tantummodo, non item mulieribus attributos fuisse. Nimirum quum vis Genii haec esset, ut non solum generari omnes faceret, sed etiam in iis, qui generati eius ope essent, ita vigeret et polleret, ut alii rursus ab ipsis generarentur, haec generatrix vis quoniam in viris tantum, non in mulieribus inest, propterea ne Genios
quidem mulieres habere visae sunt, non quasi non etiam in harum ge- 24
neratione Genius vim suam exercuerit, (nam generari sane nemo sine Genio potuit), sed quoniam vim generandi ipsis nullam tribuit. Itaque harum tutelam Iuno suscipit, non tanquam uxor quaedam Genii, quae fuit nonnullorum opinio, quibus ipse Genius non diversus a Iove visus

---

217) Lib. IV p. 130 et 133.

128) Ex Pauli epitome Festi p. 95 cognosci potest, illam generaliorem Genii notionem a Verrio Flacco non esse nisi tanquam opinionem quorundam commemoratam. Nam postquam proposita est vera Aufustii definitio, additur: „alii Genium esse putarunt unius cuiusque loci deum.“

129) Lib. II v. 374 sqq.

est[130]), sed quia Iunonis nomen initio generale erat, nihilque nisi femineum numen significabat[131]), ac postea demum uni illi Iovis sorori ac coniugi tanquam proprium indebatur.

De his autem qui vere dicerentur Geniis doctrina physicorum et, ut arbitror, popularis etiam persuasio haec fuit, ut ab uno omnes Genio universali originem habere crederentur. Hic est ille quem Varro, in libris antiquitatum divinarum, deum dixit, qui praepositus esset ac vim haberet omnium rerum gignendarum: quae definitio Augustino[132]) in ipsum Iovem cadere visa est, quippe qui dictus sit a poetis

Iuppiter omnipotens, progenitor genetrixque:

quumque alio loco Genium Varro etiam unius cuiusque animum rationalem, (ideoque singulos singulorum), esse dixisset, talis autem etiam mundi animus haberetur, eo rem redire Augustinus ait, nihil ut differat inter mundi animum, Genium universalem, ipsumque Iovem. Atqui gignendi verbum a Varrone, quum id de Genio usurparet, propria sua vi dictum esse videtur, ut non idem quod creare, sed eam tantum generationem significaret, quae maris ac feminae coniunctione perficitur: Iovem autem ei in diis selectis eum fuisse constat[133]), non qui procrearet ipse omnia, sed qui rerum omnium causas haberet, nosset atque disponeret: mundi animum denique non unum aliquem deum esse statuit, sed per omnes diffusum et certa quadam ratione partitum. Quod autem Augustinus omnium deorum selectorum vim ad unum summum revocandum esse docet, eique haec omnia tribuenda, quae ille per viginti deos distribuerat[134]): huic, opinor, Varro ipse,

130) Ut Hartungio I p. 37. Induxit hunc Augustini locus de quo statim dicetur.

131) Vid. Creuzer. Symb. II p. 547. 8 et p. 835, qui etiam de Iunonibus dearum, ut Deae Diae et Cereris, conferendus est. Add. Orell. ad Inscr. no. 1327.

132) De civ. Dei VII, 13.

133) Hoc unde mihi constet, proxima annotatione apparebit.

134) Adscribam totum Augustini locum, lib. VII c. 30, quoniam ex eo Varronis doctrina de diis selectis eorumque muneribus vel numinibus ac potestatibus planissime cognosci potest. „Et iam ut incipiam illa unius et veri Dei opera percurrere, propter quae isti sibi, dum quasi honeste conantur sacramenta turpissima et scelestissima interpretari, deos multos falsosque fecerunt: illum Deum colimus, qui naturis a se creatis et subsistendi et movendi initia finesque constituit; [haec ad Iani eique adiuncti Termini numen pertinere videmus e cap. 7 et 9.] qui rerum causas habet, novit atque disponit; [hoc Iovis numen est, vid. c. 9.] qui vim semi-

si respondere posset, plane se assentiri profiteretur. Unum enim esse deum, unamque totius mundi animam divinam a se quoque agnosci. Haec autem qualis sit et quo modo agat, intelligi ab hominibus non posse: esse enim infinitam et incomprehensibilem: homines autem, quum infinita eius vis et actio, etiamsi reapse una semper eademque sit, aliter tamen alias manifestetur, et modo in hac modo in alia parte mundi, modo hac modo alia via ac ratione agere videatur, has unius substantiae quasi formas ac species, tanquam rivos ex uno fonte aut radios ex eodem sole profectos, multis nominibus appellasse et unum numen infinitum in plures quasi personas, suo quamque numine praeditas, distribuisse: sibi autem, quoniam res ipsa non comprehensibilis sit, id unum propositum fuisse, ut populares et a maioribus traditas opiniones, obscuratas paullatim et fabularum licentia corruptas, ad eam, quae maiorum animis, licet minus fortasse distincte, obversata fuerit, rationem revocaret: quae si minus vera sit[135]), possitque illa multitudo deorum maior quam opus esset videri, ad summam tamen

---

num condidit; [est numen Saturni, vid. c. 13.] qui rationalem animam, quae dicitur animus, quibus voluit viventibus indidit; [numen Genii, vid. c. 23.] qui sermonis facultatem usumque donavit; [numen Mercurii, vid. c. 14.] qui munus futura dicendi quibus placuit spiritibus impertivit, et per quos placet ipse futura praedicit, et per quos placet malas valetudines pellit; [numen Apollinis, vid. c. 16.] qui bellorum quoque ipsorum — exordiis, progressibus finibusque moderatur; [numen Martis vid. c. 14] qui huius mundi ignem vehementissimum et violentissimum pro immensae naturae temperamento et creavit et regit; [numen Vulcani, vid. c. 16.] qui universarum aquarum creator et gubernator est; [numen Neptuni, v. c. 16.] qui solem fecit — eique vim congruam et motum dedit; [numen Solis, v. ibid.] qui ipsis etiam inferis dominationem suam potestatemque non subtrahit; [numen Orci s. Plutonis, v. ib. et c. 28.] qui semina et alimenta mortalium — naturis competentibus attributa substituit; [numen Liberi, v. c. 16.] qui terram fundat atque fecundat; [numen Telloris, v. c. 24.] qui fructus eius animalibus hominibusque largitur; [numen Cereris,] qui causas non solum principales sed etiam subsequentes novit atque ordinat; [numen Iunonis, v. c. 16; Iuno secundarum causarum domina.] qui lunae statuit motum suum; [numen Lunae,] qui vias coelestes atque terrestres locorum mutationibus praebet; [numen Dianae, v. c. 16.] qui humanis ingeniis scientias variarum artium ad administrandam vitam naturamque concessit; [nomen Minervae,] qui coniunctionem maris et feminae ad adiutorium propagandae prolis instituit; [numen Veneris,] qui hominum coetibus quem focis et luminibus adhiberent ad facillimos usus munus terreni ignis indulsit. [numen Vestae.]"

135) Cf. ipsius Varronis confessionem apud August. IV c. 31.

non adeo multum interesse, utrum viginti cogitentur, an decem, an tres unius numinis personae. — Ceterum quod ad Genium illum universalem attinet, negari sane non potest, in eius notione definienda Varronem non satis sibi ipsum constitisse, certe aliter eam in aliis operis partibus proposuisse. Nam quum in diis selectis hunc esse Genium doceret, qui inderet, quibus vellet, animam rationalem, alio tamen loco vim ei tribuit omnium rerum gignendarum. Scilicet quum a populari religione proficisceretur, altera definitione id quod in populi opinione erat, latius extendit, altera autem artius contraxit. Nam vulgo quidem Genii ab initio nulli crediti esse videntur nisi hominum:
26 quo ducit etiam Aufustii definitio: „Genius est deorum filius et parens hominum, ex quo homines gignuntur.“ Id igitur Varro iusto latius in omnes res transtulit, in quibus quidem gignendi notio locum habet. Contra quum populari opinione vis Genii haud dubie ad universam hominis naturam, corpus non minus quam animum, pertineret, quamobrem etiam naturae deus humanae ab Horatio dicitur, Varro, quoniam hominis natura hoc habet unum praeter caeteras animantes praecipuum, ut animo rationali praedita sit, etiam Genii vim ad hoc potissimum, quod maxime in homine divinum est, referendam esse iudicavit, inductus praesertim Graecorum quorundam doctrina, de qua supra diximus, daemonem esse suum cuiusque animum rationalem. Utram autem ex his duabus sententiis veriorem aut probabiliorem iudicaverit, discerni nunc a nobis e paucis quae supersunt Varroniani operis fragmentis non satis potest. — Sed ille, qui populi religione creditur Genius, naturae deus humanae, quatenus singulorum naturae praeest, tanquam singulorum Genius colitur; quatenus universo alicui populo, publicus est vel populi Genius, notione omnium in unam generalem quasi comprehensa: isque populi Genius rursus nihil aliud esse videbitur, quam species quaedam, aut, si cui hoc vocabulum magis placebit, emanatio universalis illius Genii, qui est totius generis humani. Quamquam in his quasi gradibus Geniorum distinguendis accuratiorem subtilitatem aut constantiam et consensionem in populari religione nemo expectabit[136]). Etrusci quidem quum Genium illum,

---

136) Martiani Capellae doctrinae haec est, II, 9, 2 p. 126 Goez.: „Quoniam unicuique superiorum deorum singuli quique (sc. ex medioximorum numero) deserviunt (vid. supr. not. 116), ex illorum arbitrio istorumque comitatu et generalis omnium praesul et specialis singulis mortalibus Genius admovetur, quem etiam

unde Tages ortus esset, hoc est, ut arbitror, Genium populi Etrusci, Iovis filium dixerint[137]), si quidem Genii nomen in hac fabula proprio significatu accipiendum est, videri possunt singulorum populorum Genios ab ipso summo Deo prognatos credidisse, ut hic quasi quidam Genius universalis haberetur. Sed potest etiam, ut ipsum illum Tagetis patrem Genium universalem esse vellent, Tagetem autem, eius filium, populi Etrusci Genium humana specie indutum et aliquamdiu inter homines versatum. Et Aufustius, quum Genium hominum parentem, qui est haud dubie generis humani Genius univer- 27
salis, Deorum filium diceret, nihil aliud, opinor, voluit, quam ortum hunc esse ex aliquo superiorum deorum, qui certius definiri et indicari non posset. — E singulis autem hominibus, quanto quisque praeter ceteros aut virtute aut fortuna excelleret, tanto maiorem ei et potentiorem Genium contigisse videri consentaneum fuit: quamobrem non est mirandum, cultum et honores principum Geniis quum privatim a singulis, tum publice ab omnibus habitos, idque eo magis, quod in principum et virtute ac sapientia et salute atque incolumitate magna pars publicae salutis vertitur. De consecratione autem principum defunctorum — ut revertatur nunc disputatio eo unde exorsa est, — honoribusque divinis post mortem numini eorum habitis, satis ex iis, quae exposuimus, intelligi potest, hos honores vel Genio eorum vel Manibus vel utrisque habitos esse. Et Genio quidem ex eorum sententia, qui hunc ipsum nihil aliud quam animum cuiusque rationalem esse statuerent, quem quidem post mortem Larem publicum factum totiusque populi curam ac tutelam sortitum credi consentaneum fuit. Qui autem diversum ab ipso animo Genium putabant, — quam vul-

praestitem, quod praesit gerundis omnibus, vocaverunt. Nam et populi Genio, quem generalis poscitur, supplicant, et unus quisque gubernatori proprio dependit obsequium. Ideoque Genius dicitur, quoniam quum quis hominum genitus fuerit, mox eidem copulatur. Et quoniam cogitationum arcana superae annuntiat potestati, etiam Angelus poterit nuncupari."

137) Festus p. 359, 14: „Tages nomine, Genii filius, nepos Iovis, puer dicitur disciplinam dedisse aruspicii duodecim populis Etruriae."— Obiter de Tagete adnotandum, hunc quoque non Rasenarum sed Tyrrhenorum esse et ipsius nomine et librorum qui ad eum referebantur Acheronticorum inscriptione satis probari. Ita etiam *Lucumones*, qui disciplinam ab eo acceperunt, (Censorin. c. 4) nomen habent Tyrrhenum, cum Graeco λύχη, λευκός, Latino *lux* cognatum, et *illustres, splendidos, nobiles* significans, adoptatum postea a Rasenis, itidem ut *Laris* s. *Lartis* nomen.

garem persuasionem fuisse demonstravimus, — hi utrum Genium etiam post mortem ad Manes eius, cuius in vita custos fuerat, aliquo modo pertinere coniunctumque cum iis manere voluerint, an alii iam homini custodem adiunctum crediderint, certo sciri nequit, et aliter fortasse aliis visum est[138]). Sed omnibus haud dubie consecrati Principis animus ipse pro deo colendus videbatur, ut qui corporis vinculis solutus, ex inferorum sede ad Larum certe dignitatem evectus esset.

28 Haec habuimus, quae de Romanorum in consecratione principum religionibus diceremus. Nunc ad nostrum pietatis officium honoresque a nobis REGI nostro defuncto habendos convertimur. Non adoratur quidem a nobis REGIS Genius, neque sacra Diis Manibus aut Lari offeruntur: sed hoc tamen constat nobis persuasumque est, ILLUM nec dum vivebat sine divini numinis afflatu rem nostram publicam cum iustitia, sapientia, fortitudine rexisse, collapsam restituisse, salvamque et florentem SUCCESSORI tradidisse, neque nunc, postquam mortalitatem exuit, beatusque in coelis aevo sempiterno fruitur, abalienatum esse ab iis, quos, dum in terris degebat, tam regio tamque paterno amore amplexus erat. Pietatis autem officium

138) Paucae sunt inscriptiones sepulcrales huiusmodi, quales ap. Orell. no. 1727: *Diis Manibus et Genio C. Flavii Hermetis.* 1725.: *Genio et Dis Manes* (sic). 1319: *Dis Manibus Iunoni Aemyliae*: quae Geniorum et Iunonum etiam cum Manibus coniunctionem indicant. — Ceterum quod nonnulli Genios mortales habitos esse volunt, ut post obitum hominis propria substantia amissa in universalem animam mundi, unde profecti essent, quasi refluerent, nititur haec sententia uno Horatii loco Ep. II, 2, 188. Nam Macrobii, quem citant, Saturn. I, 10 p. 251, testimonium nullum est, quippe quum nec de Genio loquatur, sed de animo humano, a quo Genium in populi quidem religione diversum fuisse constat, et ne de animo quidem verba Macrobii in istam sententiam necessario interpretanda sint. Populum autem immortalitatem, quam animis humanis tribuebat, sive hi Deorum Manium sive Larum loco habebantur, hanc a Geniis, divinioribus naturis, abiudicasse prorsus incredibile est: et philosophi quoque omne hoc genus medioximorum aut immortale, aut si mortale — quod sane nonnulli crediderunt — longissimi tamen certe aevi esse statuebant. De Genio, praeter Appuleii locum, a Schmidio ad Hor. l. l. mirifice in alienam sententiam detortum, testis est etiam Varro ap. Augustin. VII, 6, ubi aerio illi generi, in quo numerat Heroes, Lares, Genios, expressis verbis immortalitas tribuitur. Itaque nisi quis Horatium solum dissensisse credat, aut aliter quam vulgo interpungenda eius verba, aut, quod aliquanto probabilius, emendanda esse concedet, sive cum Hartungio I p. 34 *immortalis* scribatur, sive *mortalium*, coniungendum illud cum proximis verbis, *in unum quodque caput.*

TALI REGI debitum ita demum rite persolvemus, si virtutum eius memoriam grato animo conservabimus, si tales nos praestabimus, quales ILLUM probaturum confidamus, denique si, quo IPSUM amore, obsequio, reverentia amplexi sumus, eodem animorum affectu HUNC amplectemur, quem successorem nobis reliquit: quem scimus profecto certisque documentis compertum habemus, non nominis solum et imperii, sed virtutis quoque paternae heredem esse, citoque effecturum, ut quoties cum amore et desiderio ILLIUS recordemur, toties etiam cum gaudio non plane ereptum ILLUM nobis, sed in Filio Augustissimo FRIDERICO GUILIELMO IV., DIVI PATRIS FRIDERICI GUILIELMI III., quasi viva et expressa imagine, repraesentatum praedicemus. Sed luctum nostrum ex BEATISSIMI REGIS obitu susceptum, simulque votorum, quibus novi regni auspicia consalutamus, spem ac fiduciam crastino die in publica panegyri oratione germanica eloquuturus est collega coniunctissimus *D. Frid. Guil. Barthold,* Histor. Prof. P. O., quam solemnitatem ut nobiscum concelebrent, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites qua decet observantia invitamus.

P. P. Gryphiswaldiae a. d. IX. Iul. MDCCCXL.

TYPIS CAROLI SCHULTZE.
NEUE FRIEDRICHSSTRASSE 47.